
Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
CENTRALE
RB
61
255
ROMA

RB 255

Enarrationes vetustissimorum theologorum,

in Acta quidem Apostolorum & in omnes D. Pauli ac Catholicas epistolas ab Oecumenio: in Apocalypsim uerò, ab Aretha Cæsareæ Cappadociæ episcopo magna cura collectæ.

Iohanne Hentenio interprete.

PARISIIS.

Ex officina Carolæ Guillard, sub Sole aureo, uia ad diuum Iacobum.

M. D. XLV.

Bibliothecæ Domus Romanæ Pauperum
Matris Dei Scholarum Piarum.


RB 255

NOMINA GRAECORVM AVTORum ex quib⁹ decerpti, uel per quos collecti sunt hi commentarij: in Acta quidem Apostolorum, & in omnes Paulinas & Catholicas epistolas.

Oecumenius,	Gregorius Nyssenus,
Chrysostomus,	Seuerianus,
Photius,	Eusebius,
Basilius,	Clemens,
Cyrillus,	Isidorus,
Gregorius Nazianzenus,	Methodius,
Athanasius,	Dionysius,
Theodoretus,	Acatius,
Gennadius,	Papias.

In Apocalypsim uerò,

Aretha,	Irenæus,
Andreas,	Papias,
Basilius,	Hippolitus,
Gregorius Theologus,	Philo.
Cyrillus.	



Illuſtriſſimo

PRINCIPI AC REVEREN-*diſſimo* Domino D. Georgio *ab Auſtria* Epiſcopo Leodienſi, Duci Bullonenſi, *comiti Loſſenſi ac* Marchioni Francimontano, &c. Iobannes Hentenius Necblinienſis *Hieronymianus*. S. D



AVD *iniuria* Plato *libro de Repub. à ſacroſanctæ philoſophiæ limine ablegat ceu prophanos quoſdam, atque ad eam capeſſandam minimè idoneos* Prīceps *illuſtriſſime, qui anguſto ſunt animo ac ſordido, rerumq; humilium cupiditatibus mancipato.* Haud *enim quaquam fieri poſſe arbitratus eſt, ut quem animum ſordida illa cura rerum humilium occuparit, eo ipſo diuinarum humanarumq; rerum ſcientia comprehenderetur.* Nec *id immeritò.* Quonam *enim modo animus humanis, imò & brutalibus affectionibus deditus, poterit repente hinc auulſus, ſubitò ad ea quæ plus quàm* δὶς διὰ πασῶν *diſſita ſunt, totum ſe transferre?* Quapropter *rectè quoque ait idē in* Phædone, *par omnino eſſe, ut qui ad ſapientiæ ſtudiū ſe conferunt, prius quidem emoriantu[r] [a]nimúmque ipſum ab*

omni corporis sensu cogitationeq; auertant, & quasi in suum ius suamq; libertatem uendicēt. Alioqui enim, quemadmodum habet Lysias Pythagoricus in epistola ad Hipparchum, is qui corruptis obscœnisque moribus speculationes ac diuinos sermones immiscet, non secus agit quàm si cœnoso puteo liquidissimam infundat aquam, quæ & cœnum conturbet, & suam ipsius contaminet puritatem. Quòd si tantam munditiem ab eo exigebant qui ad humanam duntaxat ac naturalem accedit Philosophiam, quanta obsecro requiretur ab eo qui supramundana ac diuina scrutari desiderat? Siquidem

Sapien.1 mundana quærentes toti his inuoluimur, nec in maleuolam animā ingreditur unquā sapientia, nec habitat in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugit fictum, & aufert se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & à superueniente iniquitate corripitur: quod expresse satis intelligendum dedit

Iohan.5 Christus Iudæis, quum ait: Quomodo uos potestis credere, qui gloriam à uobis mutuò accipitis? Porrò tanto maior in nobis doctrina humana requiritur, quanto longius ab hac munditie separamur, sanctique illius spiritus auxilio destituimur, qui sacris olim Apostolis ac prophetis tanquam electis suis organis indiuulse semper aderat, eorúmque linguam ac calamum ad omnia

Iohan.16 dirigebat, iuxta illud Christi promissum: Spiritus ueritatis ducet uos in omnem ueritatem. Hæc iccirco dixerim, quòd ante aliquot annos uidens communicatos esse nobis à Græcis sacros hos ac utilissimos commentarios, plurimum demirabar neminem inter tot uirorum doctissimorum agmina hanc sibi prouinciam suscipere, ut uel cōmunis potissimum utilitatis intuitu, uel

mercedis

*mercedis à domio expectādæ gratia, aut si nō ob aliud,
certè uel sui nominis apud mortales celebritatē, quæ-
rens, quæ in hoc uidebatur esse maxima, Latinos nobis
ipsos redderet. Verū tādē ad me rediēs, rei difficulta-
tem in caussa esse cognoui, quæ singulos à laudatissimo
opere retraheret: cui aut se pares esse diffiderēt: aut la
bores plus quàm Herculeos fugitantes, suos suppone-
re humeros recusarent: placidā quietem ac otium ne-
gotio ultro suscepto præponētes. Ego uerò quanquā
me his longè inferiorē esse perspicerē, ingenioq; ac e-
ruditiōe parum admodū posse præstare cōfiderem: do-
lens tamen maximo hoc fructu tot annis Latinos im-
merito fraudari: multorū quoq; pulsatus precibus, qui-
bus obsistere impudentis potius fuisset quàm uerecun-
di, immensos sanè in hoc subij labores: quo uel erudi-
tiorum animos prouocarem ac iritarem, ut uel sic exti
mulati, omni procul otio reiecto, aut etiā priuato ne-
gotio quo sua quisq; quærit, ea tātum quærant quæ sunt
Iesu Christi. Et piis cœptis satis fauit altissimus: ut, si
non omnibus in locis omniū animis, imò nec meo subin-
de satisfecerim: rarius tamē procul à scopo me halluci-
natum crediderim: atque dāda est uenia si quid in horū
uersione me fugerit, ut fugisse multa non dubito, quum
uariis undique cōstrictus fuerim angustiis. Vix enī cre
di queat quantū laboris uel id mihi addiderit, ut cæte-
ra omittā, ꝙ Photius, uir sanè & sensuū indagator sa-
gacissimus, & flosculorū rhetorices obseruator diligē-
tissimus, plurimis in locis singula Pauli uerba Græca
eorūq; contexturā ueluti trutina pōderaret, quū tamē
Paulū Latinè reddētes, huiusmodi uerborū ordinē si-
mulq; Græcā phrasim immutare coactus fuissem, sic ut*

iam Photij scholia locũ non haberẽt: proinde ambigerẽ frequẽter, num præstaret eam cõmentariorum partem in totũ relinquere, quàm Latinis scabrose nulloq; fructu tradere, ut quæ solis seruiret Græcis, nempe de anxia Græcarũ uocum cõtextura ac significato. Tandem tamẽ omnia fideliter reddere decreui: quanquã me nõ parum quoq; remorarẽtur unici Græci exẽplaris non raræ mendæ: siue librarius hic in culpa fuerit, siue typographus: quæ me plerunq; diuinare cogerent: fœliciterne an secus, id, quẽadmodum & cætera omnia, lectoris iudicio relinquo. Et quanquã ob hæc me non lateat phrasim aliquãto esse in nõnullis duriorem: malui tamẽ fidi interpretis quàm elegãtis paraphrastæ fungi officio, etiãsi hoc cõsequi potuissem: quũ uideã nõnullos, dũ nimis politi in uertẽdo uideri uolunt, ab autorum etiã animi cõceptu nõnunquã excidisse. Ego uerò intra ipsa interpretis septa me satis inclusi: quod ut facerem, etiam ingenij tenuitas me coegit. Neque enim adeo excellẽti præditus sum ingenio, ut, uelut Phidias statuis nõ solum aptam mẽbrorum tribuebat harmoniam, sed etiã dignitatem & amplitudinem, ita & ego uersioni splendorem adiungere possim lumenq; orationis. Ego itaq; meo me pede metior: nec unquã aliud ago, quàm, etsi nõ uerborum mensurã annumerem, at saltẽ Græcarũ sententiarũ pondus Latinis rependã. adeoq; his qui tãtum Latini sunt cõsului, ut ne uerbum quidẽ Græcũ, quoad fieri licuit, relinquerẽ: quod ubi seruari nequiuit, addidi cõtinuò quid illi Latinè respõdeat. Quanquã tamẽ id satis scio, nihil adeo fore ex oĩ parte beatum, ut mereatur omnium plausu excipi: idq; adeo nõ peto, ut etiã magis hoc suspectum haberem, si

meus labor uniuersis probaretur: quum sciam inter tā uaria hominum ingenia, esse non pauca, quibus mea nō probari malim quàm probari. Siquidem non immerito Phocion, quē Demosthenes suarū orationū securim esse dicebat, qui & tantā animi constantiam semper referebat, ut nulli unquam uisus sit nec ridere nec flere, quū die quadā dicens, uideret pariter ab oībus approbari sermonē, conuersus ad amicos, Quid inquit, num mali quippiā dixi imprudens? Quòd si etiā aliquid protulerim laude dignū, id tamen mihi nō adscribēdum est, sed domino, à quo est omnis donatio bona, omneq; donum perfectū. Quod nō Christiani tantū nouerunt, uerumetiā Ethnici, qui nescio quibus fictis à se diis referebāt acceptū, quicquid à se perageretur boni. Et hinc est quod præclarus ille dux Pytho, Atheniensibus ob res fœliciter gestas ipsum admirantibus, ac prædicantibus quod Cotyn regē interemisset, diis inquit habēda est gratia, quibus autoribus hoc facinus gestū est: nā ipse nil aliud quàm manum & operā meā cōmodaui. Quanta autem sit horū cōmentariorum utilitas, ne dicā necessitas, facile quiuis perspicere poterit, qui uel hoc unū considerauerit, quod in hos diuini instrumenti libros, nihil hactenus prodiit, quod satis animo facere posset. Siquidē in Acta solum habemus Chrysostomum, si tamen is Chrysostomus est, qui etiam ubique id potius agere solet, ut homines à uitiis reuocaret ad uirtutes, quàm ut autoris mentem aperiret. Porro in eas, quæ Catholicæ dicūtur, epistolas, aut in Apocalypsim nullos omnino habemus cōmentarios lectu dignos, nisi quod ex his quæ nunc in lucem damus, nuper decerptum ac confarcinatū est. Pauli uerò epistolas etsi plures interpretari co-

Iacobi.1.

nati sint, adeo tamen illarum lectio salebrosa est ac plena anfractibus, lectorē sæpius suis lōgißimis periodis ac hyperbatis suspensum retinens, seseq; inaccessam & inuiā sensuum profunditate reddēs, ut nisi quis eū, quo ille scripsit, spiritum ducem habeat, nunquā illæ satis à quoquam enarrentur. Porrò Paulinū cuiuis adesse spiritum nō facile credidero, maxime quum illos miserrime ac turpißimè uideā in his hallucinari, qui sese unos Pauli mentē tenere impudenter asserunt, nullos alios præter suum ipsorū animum consulere uolentes cōmētarios, imo calumniantes potius illos ac subsannantes. Itaq; præter hunc suum erroris spiritum nullam aliorū recipiunt enarrationē: sed omnia suo explicāt arbitra-
2.Pet.3. *tu, aut deprauant potius: quos suis Petrus depinxit coloribus, dum Paulinas epistolas, non certè ut isti, clarißimas dicit ac facillimas, nullaq; opus habere enarratione, sed nōnulla continere intellectu difficilia, quæ indocti, inquit, parumq; firmi detorquent, sicut & cæteras scripturas ad suā ipsorum perniciem. Siquidē diuinas omnes scripturas deus arcano suo cōsilio noluit usquequaque peruias esse hominibus: ne facile cōtemnerent, quod facile adepti essent: sed ut multo labore subacta hominum ingenia, primumq; ipsius implorato auxilio, tandem accceptum thesaurum tanto haberent chariorē, tantoq; seruarent cautius, quanto maiori studio ac diligentia accepissent. ¶Cæterum quis horum sit author cōmentariorum, manifestū est non eundē esse primariū omnium autorē: quū in Actis Apostolicis simul & i Paulinis epistolis plurima hic in cōpendiū redacta sint, quæ fusius tractauerat Chrysostomus. Rursumq; plurimorū aliorū sententiæ referuntur, nūc qui-*

dem positis in solo literæ contextu nominibus, nunc uerò additis etiã in margine: quæ & nos eodem modo ut in exẽplari reperta sunt omnino reliquimus. Ad Apocalypsim aũt certus præfigitur autor, additis etiam in initio nominibus eorũ à quibus ille nonnulla excerpserat. Præterea in omnibus his cõmentariis frequenter quoq; ponuntur uariorũ autorũ sententiæ, suppresso illorũ nomine, nescio an librariorum oscitantia. Varios tamẽ esse uel ex eo liquet, ꝙ sæpius contrariũ inuenias eius quod præcesserat. Vtq; unũ uerbi caussa proferamus exẽplum: quum prius in Apoca. dixerit Babylonẽ esse Constantinopolim, nõ mundũ nec aliam quãuis ciuitatẽ, postmodũ multis in locis dicit ac probat esse mũdũ, & nullã particularẽ ciuitatem. Cæterum quanquã in prioribus libris nemo suum præfixerit nomen: ut est Græcis consuetudo, nunquã suo nomine euulgare quæ ipsi suo marte non elaborarũt, sed ueluti cẽtones quosdã ex uariis collegerunt: euidẽtibus tamen propemodũ coniecturis colligimus Oecumeniũ esse partim autorẽ horum partim collectorem: qui tamen interdũ ubi suam post alios profert sententiã, suum quoq; addidit nomen, ne quis illã aliis tribueret, quã ipse dignã non censebat quæ cum eorũ sententiis cõferretur. Plurima autẽ excerpsit ex Chrysostomo, cuius tamẽ nomen tũc solũ addi curauit, quum eius uerba recenseret: non autem quum ipsius sententiã contractioribus uerbis referret. Quòd autẽ sit Oecumenius qui hæc omnia præter Apocalypsim nobis, ut nunc in lucẽ eduntur, tradiderit, his colligimus argumentis. Primũ postremis commẽtariorũ uerbis epistolæ ad Colossenses, proprio etiã nomine margini præfixo, scribit in hunc modũ: Quum

ab exẽplari non integrè inuenissem beati Iohãnis scho lia in epistolã ad Colossenses, cõscripsi illa ut potui. Si quid igitur in ipsis leue aut reprehẽsione dignũ inuẽtũ fuerit, nouerit is qui legit meũ esse huiusmodi lapsũ. Rursum quarto ad Ephesios cap. habet hæc uerba, addito in margine Oecumenij nomine : ὅρα τί κἀγὼ ἐνόμισα. οὔτε γὰρ ἐχώρισα τὰ τοῦ μακαρίου νοῆσαι. hoc est: Animaduerte quid & mihi uisum sit : neq; enim datum fuit quæ ipsius sancti sunt considerare, Chrysostomũ intelligens, propter quod & Iohãnis nomẽ in margine adiunctum erat. Satis itaq; ostendit Oecumenius se collectorem esse commentariorũ in omnes epistolas, non tamen ullã alibi fecisse suiipsius mentionẽ, eo quod in illis nactus esset integrum Chrysostomi exẽplar. Rursum huius enarratio ponitur frequentius post aliorũ explicationes, reddendo interdũ caussam eorum quæ præmissa erant: addendo etiã non raro, Mihi quoq; ita uidetur posse dici: Quid si & hoc modo dicatur: Iuxta hũc intellectũ quẽ & diuus Iohãnes suscipit: Aut etiã Cyrilli seu Basilij aut cuiusuis aliorũ nomina citat. Porrò hæc plurimis locis uidere est, quorũ nonnulla hic recẽsebimus. Ad Roma. quinto ad ea uerba, Peccatũ non imputatur ubi non est lex. Capite nono ad ea uerba, Nisi dominus sabbaoth reliquisset nobis semen. Primæ ad Corinthios. 6. quum dicitur, Qui scortatur, in corpus suũ peccat. Capite. 7. De uirginibus præceptũ domini non habeo. Capite. 15. Quũ tradiderit regnum deo & patri. Et eodẽ: Vt sit deus omnia in omnibus. Ad Ephe. 2, Iuxta principem potestatis aeris. Cap. 4. A quo totum corpus quod coaptatur & cõpingitur. Capite. 4. Sol non occidat super iram uestram. ubi ait: Quosdã audi-

ui ita interpretãtes. Secundæ ad Theſſ.3. Porrò domi-nus dirigat corda ueſtra. Ad Heb.10. Vmbram habens lex futurorũ bonorũ. Ca.12. Qui pro gaudio ſibi pro-poſito: aliis quoq; locis innumeris. Quũ igitur hinc lu-ce manifeſtius ſit Oecumeniũ Paulinarum epiſtolarum collegiſſe commentarios, arbitramur idẽ ipſum feciſſe in Acta Apoſtolorũ & in Catholicas epiſtolas, quan-quã nec ibi ſuum nomen addiderit: quum eiuſdẽ omnino ſint phraſis, niſi quòd ibi pauciores habuerit quos imi taretur, quorũ etiam nomina uix unquã in Græco exẽ-plari addita inuenimus, nec in literæ contextu nec in margine. Nũc itaq; clariſsime ac Reuerendiſsime Geor gi, obſecro te ut hoſce noſtros labores, qui tuis auſpi-ciis in lucem prodire conántur, læta atque exporrecta fronte ſuſpicias. Id aũt ut facere auderem, partim mihi perſuaſit tuorum morum uno omniũ ore prædicata in-tegritas, cum admirabili prudentia pariq; humanitate coniuncta, partim uero incredibilis quidã, quem nõ ob-ſcure præ ſe ferre uiſa eſt tua amplitudo, erga huiuſ-modi autores amor: partim quoq; talis erat ſingularis ac gratuitus tui in me fauor, cognitaq; tuæ erga me uoluntatis propenſio, ut nihil me tibi nõ debere inge-nuè faterer. Hoc etiã potiſsimũ nomĩe, quòd quũ è tuis ortus ſim ditionibus, ſinguliq; ſuum principẽ recens pa triam ingredientẽ munuſculo quopiã, quod obſequio-ſum teſtetur animũ, excipere ſoleant, ego nequaquã ua cuis manibus accedere debui. Quod ſi ſera uideatur gratulatio, nõ ob id reprehẽdi debet, quũ dilata ſit ur genti ac probata omnibus cauſſa. Nemo enim probaſ-ſet opinor, ſi præcipitanter, ut tuæ amplitudini gratu-larer in tempore, fœtum hunc ſeu aborſum potius, im-

maturum abiecissem, aut à me abire permisissem. Porrò quo nunc munere apud tuam celsitudinem maiorem me gratiam initurum cõsiderem non erat, quàm si utilißimos hos, imò propemodum necessarios commentarios ei potißimum consecrarem, qui nõ modo singulari præditus est pietate, sed præter omne genus doctrinæ tanta quoque dicendi facundia ac eloquẽtia, quanta uel ab eius generis hominibus requiri potest maxima, qui omnem ætatem in literis consumpserunt. Accedunt ad tantam præstantißimarum artium doctrinam, & cæteræ uirtutes dignæ magno principe. Iustitia in imperio, pacis tuendæ cura, magnitudo animi, pietas, studium iuuandæ ac ornandæ religionis Christianæ, clementia, ac bonitas eximia. Hoc principe duce quid poterit esse aduersi, si cum uirtute omnia sequunda sunt? Nemo in illo quicquàm inconsultum metuat, prudentißimus est. Nemo insolentiam animi cogitet, modestißimus est. Nemo iniuriam timeat, æquißimus est. Bene merentes sua confirmabit humanitate: languidos excitabit industria: improbos seueritate compescet. Certè huiusmodi omnino requirebatur, qui infœlicißimis ac seditiosißimis hisce temporibus celeberrimæ ecclesiæ præficeretur, amplißimæq; ditionis habenas ea prudentia, eáque doctrina moderaretur, ouésque à truculentis penè luporum faucibus eriperet, nempe qui in uariarum ecclesiarum moderatione iam probatus esset. Siquidem tranquillo mari quilibet nautarum uectorúmque gubernare potest: at ubi sæua fuerit orta tempestas, ac turbato mari rapitur uento nauis, tum uiro ac gubernatore opus est: & qui ante omnia duo hæc Platonis præcepta teneat, quæ Cicero dicit necessario

adesse his oportere, qui omnino reip. profuturi sunt. primum ut ciuium utilitatem sic tueantur, ut quicquid agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum. Neque enim idem principem decet quod priuatum. Atque hinc est quòd Pelopidas uxori quæ ad bellũ proficiscentem muliebriter rogabat, seruaret seipsum. Alij inquit ut isthuc faciant monendi sunt: nam princeps ac dux hortandus est potius ut seruet ciues. Alterum est ut totum corpus reipu. curent: ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant: nam id seditionis maximiq; dißidij ac inuidentiæ caussa esset. Verum neque ego is sum, qui, ne dicam tibi, sed nec alij cuiuis cõsilium dare poßim, neque tu is es cui opus sit illud à quoquam expetere. Tu tibi in omnibus monitor dandus es: tuis cõsiliis, diligentiæ ac industriæ relinquendus. An nos timeamus ulla te parte arctißimã æquitatis regulã trãsiturum? facturũ aliquid te tuisq; maioribus, ac regali tua prosapia indignũ, aut à tuis moribus alienum? neue ab honestißimis uitæ rationibus aberres? Vnde hic nobis metus, aut quid de te non debemus nobis polliceri? qui non modo ueterum laudes splendorémque prioris ætatis, sed & ingenia laudantium uirésque superasti. Quapropter his relictis, quæ & ego frustra eloqui tentarem, & tu inuitis aut obturatis potius auribus exciperes, Deum optimum maximúmque precor, te nobis, imò patriæ ac communibus studiis diutißimè seruet incolumem. Datũ Louanij in collegio Theologico, Anno à partu uirgineo 1545. pridie Calendas Apriles.

Candi-


Vrsum in huius operis exordio premonēdus mihi es candide Lector, eūdem quem in priori tomo ordinem nos seruasse adnotādorum numerorum capitū, tam iuxta Græcos, quem hic autor obseruauit, quàm iuxta Latinos, quem nos quippiam citantes, aut aliud notantes semper sequimur, quum nullam facimus Græcorum capitum mentionem. Itaque initio statim cuiusque faciei positus numerus, Latinorum est: qui verò maiusculis literis supra ipsos paginę versus adscribitur, Græcorum. Rursum vbi bibliorum locus quispiam fuerit in contextu citatus, aut ad ipsum quoquo modo allusum, nec tamen in opposito margine additus est Latinus capitis numerus, ad eūdem qui paulò ante citatus est locum recurrito, noluimus enim frustra idem eiusdem voluminis caput iterato ponere. Quinetiam quum variorum eiusdem voluminis capitum cōsequutiuè dicta citant, posito semel dūtaxat voluminis nomine, numeros capitum simul adiunximus, eo quo illa citantur ordine. Preterea eandem hic mihi dari veniam precor, quam in Euthymio postulaui, quod voces quasdam non vitauerim à quibus abhorrent nōnulli nostro hoc politiori seculo: nempe Saluator, Saluare, Compassio, Dispensatio, ac similes, ne si exactiores subſtituerem, quę sacrarum scripturarum studiosis non adeo tritæ essent, Lectorem quoquo modo remorari videremur. Ad hęc quum Græcum exemplar singulorū argumētà capitum initio cuiusq; libri, aut epistolę recēseret, maluimus singula singulis capitibus præfigere, ne ad dinoscendum capitis argumētum, necesse tibi foret subinde ad libri initium recurrere. Quapropter etiam nonnūquam coacti sum partes textus aliter quàm in Græco essent exēplari diuidere: quum ibi cōtinuato textu, in margine duntaxat noui capitis numer annotaret. Nōnūquam etiam ne textus adeo mutilus aut minutatim cōcisus videret, plures cōiūxim periodos, quæ in Gręco exemplari diuisæ erant, potissimum in epistola ad Romanos & in Apocalypsi, qui libri in hoc à cęteris maximè dissidebār, vbi tamē diuisas huiuscemodi sentētias cōiunximus, ad singularū enarrationē rursum eas, aut ex integro, aut in parte repetiimus. Nōnūquam vero hanc fecimus

mus vnionem, eo quod permixtim partes huiusmodi variarũ periodorum non suo ordine explicabant: quod adeò frequens erat, vt huic malo nõ vbiq; remediũ præstiterimus: ideoque hic te admonemus, vt si quãdo sentẽtiæ alicuius explicationẽ requiras, etiam præcedẽtis clausulæ enarrationem perlegas. Sæpius enĩ vbi quispiam citatur autor, & præsertim Photius, non eam dũtaxat literæ partẽ quę proposita est declarat, sed ea etiam quæ subsequunt. Ne id quoq; temerè à nobis factũ existimes, quod nõnunquam Pauli, Lucæ, aut Iohannis literã non satis modo verterimus, id enĩ facere coacti sumus, vt scholiorum respectũ haberemus: alioqui si reliquos sequuti fuissemus interpretes, scholia in huiusmodi locis nulli seruissent proposito. Hui^9 quoq; te admonitũ velim, quoties loc^9 quispiã in his ex veteri citatur instrumẽto, hunc iuxta versionẽ Septuaginta referri, vtpote qui Græcè scripserũt, hi autẽ collectores Greci tãtùm erãt: qui etiam nõ raro sensum magis citant quàm verba: aut, quod mihi magis videtur, ex memoria citant, quæ, vtpote labilis, etiam doctissimos nõnũquam fallere solet. Deniq; id etiam animaduerte, quãtum nostris temporibus hi seruiant cõmentarij, qui plurimis in locis indicant breuibus, quę Pauli verba variis obsistant hæresibus, illasque confodiant. Accipe itaque Lector candide ac fruere fœlicibus auspiciis præda quam ex Græcorum bibliothecis tuis vsibus primi aduexim^9: quãquam huius pars (vt verum fatear) nempe in epistolam ad Romanos, ante aliquot annos erepta fuerat, Iohanne Lonicero interprete, verum mutila admodũ vt quæ ne tertiam quidem partem haberet eorũ quę nunc in eam epistolam tibi damus: eaq;, nescio cuius vitio, satis infœliciter latinitate donata: neq; enim interpretem temerè accusare velim: quanquam is etiam in nuncupatoria epistola satis indicat quàm nõ magnifaciat ea quę vertat, seseq; maluisse in alio versari argumẽto. Maiori inquit delectatione in eo versatus essem, si in scripturę scopo, in fide, in Christi meritis, sanguine & morte, atq; adeo in iustificatione mansisset firmiter ac cõstanter. Et post pauca. Nõnunquam sane bonus hic vir dum Pauli mẽtẽ nõ assequitur, nec respõdet per omnia fidei analogię, operib^9 plus ęquo tribuit, vt appareat theologũ esse Grecum: quorum sane cõmẽtaria, quum Christũ doceat & in Christi gloriã cõscripta sint, nobis haud statim sunt contemnendæ.

nenda. Cęterum Christiano potius volupe esse debet, videre & agnoscere quo dono veteres Christũ prędicarint. Quanquàm autem nõ parum multi reperiantur, qui citius hunc interpretem diui Pauli sint reiecturi quàm lecturi: eorũ tamen calũnia minimè mihi probari potest. Cur enim nõ potius D. Apostoli pręcepto obsequimur, Omnia probate, quod bonũ est tenete. Hactenus Lonicerus de eo quem vertendũ susceperat. Verũ nõnulla in primis capitibus loca cõferemus, quę ipsi nobiscum fuere in Græco exẽplari cõmunia, veluti ex ipsius versione liquet, quo & de his & de aliis locis innumeris, quibus non satis inter nos cõuenit, Lector iudicare valeat: & primum Gręca ponem⁹, deinde nostrã versionẽ, ac tertio Loniceri verba. In primis sup illa primi capitis verba, Ad obediẽdũ fidei, vbi ait interpres καὶ γὰρ οὐ δεῖ πολυπραγμονεῖν γέννησιν καὶ οὐσίαν θεοῦ, ἀλλὰ μόνον ὑπακούειν. Quod nos ita reddidim⁹: Neq; enim oportet dei generationẽ vel substãtiã curiosè scrutari, sed tantùm obedire. Ipse verò sic habet: Etenim nõ oportet variis occupari reb⁹ eũ qui filij dei generationẽ & essentiã nouisse velit, sed solũmodo verbo obedire. Eodẽ capite sup illud, Inuisibilia em̃ ipsius ex creatione mũdi operib⁹ ĩtellecta cõspiciunt. Gręca: τὰ ἀόρατα γὰρ φησὶν, οἷον ἄγγελοι καὶ αἱ ἄλλαι ἀσώματοι οὐσίαι, ποῖα ταῦτα; τὰ ἀπὸ κτίσεως κόσμου εἰς γένεσιν παραχθέντα. Nostra versio: Siquidẽ inuisibilia, ait, puta angeli cętereq́; substãtiæ incorporeæ: quænã sunt hęc incorporea? quę ex creatione mundi ad esse perducta sunt. Lonicerus: Inuisibilia em̃ inquit. qualia nam hæc? Quę à cõdito mũdo ad generationẽ rerũ peracta sunt. Statimq; postmodũ vbi Gręca habẽt, τῶν παρηγμένων εἰς γένεσιν: Nostra versio: Ea quę ad esse producta sunt. Lonicerus: Quæ generationis via pducta sunt. In fine capitis sup ea verba, Nõ solùm faciũt, verumetiã assentiunt ppetrãtibus: vbi Græcus Isidorus retulit quosdã aliter legere, ac cõtẽdere deprauatos esse Græcos codices, tãdemq́; subiũgit, ἐγὼ δὲ οὔτε ἡμαρτῆσθαι ἐν τούτῳ φήσας τὰ ἀποστολικὰ βιβλία, οὔτε καταδραμεῖν τῶν μὴ νενοηκότων φράσας, τοῖς ἐντευξομένοις ἐπιτρέψω τὴν ψῆφον. φημὶ τοίνυν, ὅτι ἐπειδὴ τοῦ πλημμελεῖν τὸ ἐπαινεῖν τοὺς πλημμελοῦντας πολλῷ ἐργαλεώτερόν ἐστι καὶ μεῖζον εἰς κολάσεως λόγον, εἰκότως εἴρηται, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσιν.

 IX

σιν. Nostra versio: Ego autem neque in hoc deprauatos esse codices apostolicos asserens, neq; cum his qui nõ intellexeruut cõtẽdere volens, lectorib⁹ isthuc iudicãdũ permittam. Dico ergo, quòd quum eos qui peccãt collaudare lõgè operosius sit, ac magis ad supplicij ratiõnẽ momẽtũ habeat quàm peccare, merito dictũ est, Nõ solùm ea faciũt, verũetiã assentiuntur perpetrãtib⁹. Lonicerus: Ego verò neq; errasse existimans apostolicos libros, neq; assentiens illis qui non assequuti sunt mẽtẽ Pauli, lectorib⁹ isthuc iudicãdum permittã. Cẽseo igitũ ꝙ simulatq; delinquẽtes cõmendare dum delinquũt, sit multo molestius ac maius quàm delinquere, merito hac castigationis ratione dictũ est, Non solum ea faciunt, verumetiam agẽtibus assentiunt. Et quãquàm in margine dicat se fideliter reddidisse quod Græcum exemplar habebat, ex ipsius tamẽ versione satis liquet eodẽ modo quo & nos Græca legisse: verum, quum ea aliter intellexisset, quędã immutasse, alia verò addidisse. Item sup illud. 7. cap. Noui ꝙ non habitet in me, hoc est in carne mea bonũ. Græca, τὸ αὐτεξούσιον θέλει δεῖξαι. καὶ ὅτι ὁ ἄνθρωπος κύριος τῆς ἐπ' ἄμφω τοῦ τε ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ ῥοπῆς. φησὶν οὖν. οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ τὸ ἀγαθόν: οὐκ ἀποκεκληρωμένον καὶ ἀνάγκῃ τινὶ παραμένον μοι ἔχω τὸ πράττειν τὰ ἀγαθά, ὥστε καὶ πρὸς βίαν ἀφέλκειν με τῶν κακῶν: τοῦτο γὰρ οἴκησις, ἡ εἰς ἀεὶ διαμονή, καὶ οἱ ὁν ἐγκάθισις. Nostra versio: Arbitrij libertatẽ vult ostẽdere, quodq; homo dominus sit potẽtiæ ad vtrũq; tam bonum quàm malum. Ait ergo: Non habitat in me bonũ: non mihi sorte datũ, aut necessitate quadã apud me permanẽs habeo vt bona operer, ita vt vi quadã abstraheret me à malis. Nam ea dicitũ habitatio, ꝑpetua videlicet ꝑmanẽtia ac veluti residẽtia. Lonicerus: Libertatẽ vult ostendere, nẽpe ꝙ homo non sit domin⁹ ad boni maliq; momẽtũ. Dicit itaq;, Non habitat in me bonũ, non est certũ, neq; necessario apud me ꝑmanet, vt possim bona persequi: imò natura mea adeò corrupta est, vt vi quadã ad mala me ꝑtrahat. Id eñ est veluti habitatio assidua ꝑduratio, & veluti cõsessio est ac residẽtia. Ex horũ deductiõe satis apparet non esse typographi vitio additũ aduerbiũ negãdi Non, initio huius particulæ: & etiã ex eo ꝙ in margine annotauerit: Aduersus liberũ arbitriũ: Quum autẽ non satis caperet Græca, addidit, Non: & infra, Imò natura mea adeò corrupta est,

 ꝙ puta-

q̄ putaret id exigi ꝓpter verba sequentia ὥστε καὶ πρὸς βίαν ἀφέλκειν με τῶν κακῶν: q̄ ꝑperā itellecta vertit, Vt vi quadā ad mala me ptrahat. Hæc alij prauæ mētis potius esse dicerent quàm ignorātię: tum ꝓpter ea quę suprà recitata sunt ex nūcupatoria ipsius epistola, tum ꝓpter alia quędā eiusmodi: vt q̄ nōnulla reliquerit ad illa Pauli verba secūdo capite: His quidē qui secundū tolerātiam boni operis &c. vbi Græca habēt: οὐ γὰρ μόνον ἡ πίστις ἀρκεῖ, ἀλλὰ καὶ ἔργων χρεία. ὑπομονὴν δ' εἰπών, γενναίως ἔχειν διδάσκει πρὸς τοὺς πειρασμούς. hoc est: Neq; enim sola fides sufficit, sed & opera sunt necessaria. Quum autē dixit Tolerātiā, docet vt aduersus tētationes & afflictiones strennuè se habeāt. Ipse verò relictis priorib⁹ verbis de fide & opib⁹, suā versionē à sequētib⁹ incipit, hoc modo: Tolerātiā dicēs, docet vt sese strēnuè aduersū tētationes gerāt. Et mihi quidem facilè ꝑsuadebit priora illa verba desiderata fuisse in suo exēplari, vt quod tertiā vixdū partē habuerit eorū quę ex nostro vertimus: at vereor ne id aliis ꝑsuadere nō possit, eo q̄ in prooemio dixerit, bonū hūc virū dum Pauli mētem nō assequit̃, nec respondet per omnia fidei analogię, operib⁹ plus ęquo tribuere. Ego tamē eo sum ꝓpēsior animo, vt hæc illi cōtigisse credā, q̄ aliis reb⁹ occupato, nō vacauerit exactius hęc pōderare: nec tantùm studij sacris literis ac reb⁹ theologicis impendere potuerit; quàm illi qui nullis aliis distracti studiis, toti his incumbūt. Ceterum priusquàm ad ipsam accedam enarrationem, primum loca quædam subiiciam, in quibus diffidebat nostrum exemplar ab his quæ vulgò circunferuntur Græcis exemplarib⁹: quo tamen non raro factum opinor librariorum aut typographorum incuria, quòd nec vulgatæ editioni conformis esset eiusmodi lectio, nec bibliis Complutensibus, de quibus in Euthymio feci mentionem in epistola ad lectorem. Nōnunquam ergo quum apertum viderem in exemplari mendum, nulla facta aut hìc aut circa eum locum rei mentione, restitui vt oportuit: aut vbi operæpretium videbatur, id in margine annotari curaui, & idcirco ea loca hìc nō subiiciā. Porrò non decreuimus annotare loca (quemadmodum nec in Euangelia fecimus) quibus & hoc nostrum & alia Græca exemplaria diffideāt, à vulgata editione Latina: quòd id ex variis aliis interpretibus quisque petere possit.

LOCA

LOCA QVAEDAM IN QVIBVS NOSTRUM EXEMPLAR ALIO MODO HABET, QUÀM EA QUÆ VULGÒ CIRCUMFERUNTUR GRÆCA EXEMPLARIA.

¶ Actorum quinto capite (iuxta Latinorum semper supputationem) Non (poteritis) dissoluere. Habet enim δυνήσεσθε per futurum, non δύνασθε, id est potestis per præsens. Et ita legisse videtur, qui vulgatam dedit editionem.

Cap. 12. prope finem. Barnabas autem & (Saulus) reuersi sunt, Habet enim σαῦλος non παῦλος. Faciunt nobiscum & Complutensis editio (Græcam semper dicimus) & vulgata. Vnde & Hieronymus ait ipsum accepisse nomen Paulus à conuerso Sergio Paulo, de quo sequenti cap. 13.

Cap. 14. circa finem. Et inde soluerunt (Miletum) vnde erãt traditi gratię dei. Et huius etiam mẽtionẽ facit in cõmẽtario, quanquàm probat magis vt legatur Antiochiam.

¶ Initio sexti capitis ad Romanos, Manebimus in peccato,, ? Non addebat ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ. i. vt gratia abũdet, quod tamen ausi sumus restituere, iudicantes librarij aut typographi negligentia omissum, quum id haberent oĩa alia quę videre contigit exemplaria.

Cap. 8. Scimus quòd omnis creatura cõgemiscit (vnà cum filiis) addit enim τῶν τέκνων.

¶ Primæ ad Cor. 4. Et tũc laus erit,, à deo. Neq; enĩ additur ἑκάστῳ. i. vnicuiq;. Et hoc etiam modo repetit in cõmentario.

Cap. 5. Expurgate,, vetus fermentum. Neque enim addit οὖν, id est igitur, sicut nec vulgata editio.

Cap. 7. Aut quid nosti vir vtrum vxorẽ saluabis (an non?) Nam habet ἢ μὴ, & non εἰ μὴ, id est nisi. Et in commentario multis suam lectionem declarat. Siquidem alius oritur ex ea lectione sensus.

Cap. 12. Scitis quòd (quum) Gentes essetis. Quanquam enĩ in textu additum non sit ὅτε. id est quum, videtur tamen negligentia omissum, quum in commentario semel, atque iterum illud repetat. Et ita habet Complutensis editio ac vulgata. Eodem etiam modo legisse videtur Theophylacti interpres ac Ambrosius. Itaque & nos illud restituimus.

Cap. 15. Indies morior per (vestrã) gloriationẽ. Habet enĩ ὑμετέραν secunda persona, cum editionibus Complutensi

ac vulgata. Sic etiam legerunt Chrysostomus ac Photius, quos noster scholiastes adducit, & inter Latinos Hierony. August. Ambro.

❡Secundæ ad Cor. 1. Per multos gratiæ agantur pro (vobis) Nam & in litera & in commentario habet ac declarat ὑμῶν secunda persona. Sic & Complutensis editio: & Chrysosto. Theophy. & Ambro.

❡Ad Galatas cap. 3. Quotquot (in Christum) baptizati estis. Nam additur εἰς χριστόν. Faciunt nobiscum & exemplar Cõplutense & vulgata editio.

❡Ad Ephesios cap. 1. In omni benedictione spirituali in cœlestibus (per) Christum, siue (in) Christo. Nam additur præpositio ἐν. Faciunt nobiscum & Complutensis editio & vulgata.

Cap. 3. Quæ sit (dispensatio) mysterij. Neque enim habet κοινωνία, id est communio, sed οἰκονομία: sicut & Complutense exemplar & vulgata editio.

Cap. 6. Et galeã salutaris (accipiendo) Habet enim δέξασθαι per infinitiuum: quod mendum non esse ex commentario manifestum est.

❡Primæ ad Thessa. 2. Sed fuimus (paruuli) in medio vestri. Habet enim & in litera & in commẽtario νήπιοι, nõn ἤπιοι, id est placidi. Nobiscum legit qui vulgatam dedit editionẽ.

Cap. 3. Et consolaretur vos de fide (vestra) Habet enim ὑμῶν secunda persona. Sic & Complutensis editio & vulgata. Quodque ita legendum sit ex eo liquet, quòd statim subiungitur Misi ad cognoscendum fidem vestram.

Cap. 5. Pacem habete in (vobisipsis) Habet enim ἑαυτοῖς reciprocum, nõ αὐτοῖς simplex relatiuum, quum etiam alius oriatur sensus. Sic & Complutense exemplar.

❡Primæ ad Timoth. 1. A deo patre nostro & (Christo Iesu domino nostro) Non, Domino Iesu Christo domino nostro. Faciunt nobiscum & Complutense exemplar, & vulgata editio.

Eodem. Quæ quæstionem magis præbent quàm (gubernationem siue dispẽsationem) Habet enim οἰκονομίαν. quod etiam ex commentario patet, non οἰκοδομίαν, id est ædificationem. Facit nobiscum editio Complutensis.

Cap. 5. Hoc enim,, acceptum est coram deo. Non additur

ante

ante dictionem Acceptum, καλὸν καὶ, id est honestum ac. Hoc modo legisse videtur qui vulgatam dedit editionem.

¶ Secundę ad Timo.2. Discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen(domini) Nam habet κυρίου, & non χριστοῦ. Conformiter nobiscum legunt & Complutense exemplar & vulgata editio.

Cap.4. in vltimis epistolæ verbis. Gratia(nobiscum) Nam habet μεθ' ἡμῶν prima persona, quod etiam ex commentariis patet. Sic & Chrysostomus & Theophylactus.

¶ Ad Titum cap.2. Nihil habens quod de(nobis) dicat mali. Rursum ἡμῶν prima persona. Sic & vulgata editio.

¶ In epistola ad Philemonem. In agnitione omnis boni quod est in(nobis) erga Christum Iesum. Rursum ἡμῖν prima persona. Et ita habet exemplar Complutense.

¶ Ad Hebræos cap.9. Habebat itaque etiam prius illud(tabernaculum) Addit enim σκηνή.

¶ Iacobi cap.2. Ostende mihi fidem tuam,, & ego ostēdam tibi ex factis meis fidem meam. Non enim additur priore loco ἐκ τῶν ἔργων σου, id est ex operibus tuis, Id tamen addit etiam editio Complutensis.

Cap.4. Et non accipitis id propter quod,, postulatis. Habet enim διὰ τὸ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς, non addita negatione μὴ, id est non, quod manifestius patet in commentario.

Cap.5. Pro thesauro recondidistis vobis(iram) in extremis diebus. Addit enim ὀργὴν, sicut etiam legit is qui vulgatam dedit editionem.

¶ In epistola Iudæ. His qui in deo patre(dilecti) sunt. Habet enim ἠγαπημένοις, non ἡγιασμένοις, id est sanctificatis Pariter legunt nobiscum, & Complutensis, & vulgata editio.

¶ Apocalypsis cap.1. Ego sum A & Ω,, dicit dominus deus. Non additur ἀρχὴ καὶ τέλος, id est principium ac finis, nec in exemplari Complutensi. Porrò scholiastes legisse videtur additum πρῶτος καὶ ἔσχατος, id est primus ac nouissimus, quum id scholiis explicet: quod vltimo cap. & nos habemus & cæteri omnes.

Cap.2. Et inuenisti eos mendaces,, & patientiam habes: & sustinuisti propter nomen meum, & labore non defecisti.

Aliorum verò Græca sonant: Et inuenisti eos mendaces, & sustinuisti, ac patiētiam habes, & propter nomen meum laborasti, nec defecisti. Complutense exēplar hæc omnia paulò aliter habet, quàm alia quæuis lectio.

Eodem. Quod est in paradiso dei (mei) Additur enim μοῦ. Simili modo legunt & Complutense exemplar & vulgata editio.

Eodem. Et non negasti fidem meam,, in diebus,, quibus Antipas testis meus fidelis &c. Siquidem post fidem meam, non habet coniunctionem καὶ, id est &. Rursum post Diebus, non habet μοῦ, id est meis. Et vtrobiq; conformiter nobiscum habet editio Complutensis.

Eodem. Qui docuit (Balac:) Habet enim τὸν βαλὰκ, & non ἐν τῷ βαλὰκ, id est in Balac. Rursum infra. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum (similiter.) Nam habet ὁμοίως, & non ὃ μισῶ, id est quod odi. Resipisce (itaque) Additur enim οὖν. Cōplutensis editio nobiscum habet in duobus prioribus: quanquàm sequentibus iungat dictionem ὁμοίως, id est similiter: & ita non addat dictionem οὖν, id est Itaque. Et conformiter is qui vulgatam dedit editionem.

Eodem. Quod permittas mulierem (tuam) Iezabel quę se dicit (prophetissam) Siquidem habet σοῦ, & προφῆτιν per ἰῶτα in vltima. Nobiscum vtrobiq; facit exēplar Cōplutēse.

Eodem. Et dedi illi tempus vt resipisceret (& non vult resipiscere) à scortatione sua. Habet nāq; καὶ οὐ θέλει μετανοῆσαι. Et deinde sequitur illa particula, ἐκ τῆς πορνείας αὐτῆς. id est à scortatione sua, & non præponitur. Neque etiam exprimitur ἐγὼ ante verbum βάλλω, id est mitto. Per omnia nobiscum faciunt Complutensis & vulgata editio.

Cap. 3. Non enim inueni opera tua plena corā deo (meo) Additur enim μοῦ. Sic & Complutensis & vulgata editio.

Eodem (Sed) habes pauca nomina,, in Sardis. Habet namque in initio ἀλλὰ, & ante dictiones, In Sardis, non addit cōiunctionem καὶ, id est &. Vtrobique faciunt nobiscum Complutensis & vulgata editio.

Eodē. Qui aperit, & nemo claudet ipsum nisi is qui aperit: & nemo aperiet nisi is qui claudit. Habet eī hoc modo ὁ ἀνοίγων, καὶ οὐδεὶς κλείσει αὐτὴν εἰ μὴ ὁ ἀνοίγων· καὶ οὐδεὶς ἀνοίξει εἰ μὴ ὁ κλείων. Cōformiter in parte nobiscum legit editio

Complutensis.

Complutensis. Verum loco ꝗ habet ὃ,& nõ addit finales dictiones ꝗ μὴ ὁ κλείωμ. Itaq; hunc illa sensum reddit. Qui aperit & nemo claudit ipsum: qui non aperit & nemo aperiet.

Cap.4. Et de throno (egrediuntur) Habet nãq; per præsens & compositum ἐκπορεύονται, non per imperfectum & simplex verbum ἐπορεύοντο, id est procedebant. Facit nobiscum exemplar Complutense.

Eodem. Dign⁹ es domine (& deus noster sancte) accipere gloriam. Additur enim κὴ ὁ θεὸς ἡμῶμ ὁ ἅγιος. Et in hoc cõcorditer nobiscum legit editio Complutensis. Statimque infra: Et propter voluntatem tuam (erant) & creata sunt. Nam habet ἦσαν, non εἰσὶ, id est sunt. Et in his facit nobiscum qui vulgatam dedit editionem: nisi quòd in priori non addit κὴ ἅγιος, id est & sancte.

Cap.5. Et ego flebã multũ, ꝙ nemo dign⁹ esset invẽtus aperire,, librum, neq; aspicere illum, Nõ enĩ addit κὴ ἀναγνῶναι, id est & legere. Similiter legit & is qui vulgatam dedit editionem.

Eodẽ. (Et erat numer⁹ eorũ myriades myriadum) & milia milliũ. Præmittit nãq; κὴ ἦμ ὁ ἄριθμος ἀυτῶμ μυρίαδες μυριάδωμ. Cõformiter legunt & exemplar Cõplutense & vulgata editio, nisi ꝙ hæc non addit, Myriades Myriadum.

Cap.6. Veni & vide,, Et ecce equus pallid⁹. Neq; enĩ additur κὴ εἶδομ. i. Et vidi. Neq; præcedẽs verbũ erat βλέπε, sed ἴδε. Statimq; infra nõ habebat ἀκολουθεῖ μετ᾽ ἀυτοῦ. i. sequitur eã, sed per imperfectum ἠκολούθει ἀυτῷ. i. sequebat eã. Rursumq; verbum ἀποκτεῖναι. i. interficiẽdi, nõ sequebat immediate dictionẽ ἐξουσία, sed præcedebat immediate illã particulã ἐν ῥομφαίᾳ. i. in gladio. Multa quidem sunt huiusmodi minutula, quæ in Apocalypsi diuersa ab aliis editionibus habentur: nusquã tamẽ est in sententia varietas. Idcirco cõtenti aliquot annotasse loca, ne nostra temeritate putaremur immutasse, reliqua silentio præteriuimus. Complutensis vero editio cuncta hoc loco legit paulò immutata.

Eodem. Et propter testimonium (agni) quod habebant, & (clamauerunt). Addit enim ἀρνίου. i. agni: & habet ἔκραξαν non ἔκραζον, id est clamabant per imperfectum. Vtrobique facit nobiscum exemplar Complutense.

Eodem. Dictumque est eis vt requiescerent adhuc ad tem

pus,,donec & cætera. Non additur μικρόν. id est modicum nec in editione Complutensi.

Cap. 7. Salus(deo nostro)qui sedet super thronū,& agno. Habet enim τῷ θεῷ ἡμῶν post dictionem ἡ σωτηρία, & nō τοῦ θεοῦ ἡμῶν post dictionem τοῦ θρόνου: nā ita legēdo hic esset sensus: Salus sedēti super thronum dei nostri. Faciunt nobiscum & exemplar Complutense & vulgata editio.

Et(lauerunt)stolas suas & dealbauerūt,,in sanguine agni. Habet enī ἔπλυναν,nō ἐπλάτυναν.i. dilatauerunt. Et in hoc faciunt nobiscum & Complutensis & vulgata editio. Porrò mendum esse opinor quòd post Dealbauerunt, non addatur αὐτάς.i.eas. Mihi tamen non probatur quòd alia Græca exemplaria ibi rursum repetant στόλας αὐτῶν, id est, stolas suas.

Eodem. Et deducet eos ad fontes aquarum (vitæ) Habet nanque ζωῆς,& non ζώσας,id est viuos. Cōcordat nobiscum, & Complutensis editio & vulgata.

Cap. 8. Factaque sunt,,tonitrua & fulgura,, Non enim additur aut primo loco φωναὶ,id est voces,aut postremo καὶ σεισμός.id est & terræmotus. Sed vtrunque opinor esse mēdum, quum illa habeant omnia quæ videre contigit exemplaria.

Eodem. (Et tertia pars terræ exusta est) & tertia pars arborum concremata est. Præcedit enī καὶ τὸ τρίτον τῆς γῆς κατεκάη. Ita quoque habet Complutense exemplar.

Eodem. Et vidi & audiui vnam(aquilam) volantem. Habet enim ἀετοῦ,non ἀγγέλου,id est angelum. Faciunt nobiscum & Complutense exemplar & vulgata editio: & in hoc nomine magnam facit vim in scholiis.

Cap. 9. Et data est ipsi clauis putei abyssi,,Et ascendit fumus de puteo sicut fumus fornacis(ardentis)Non habet καὶ ἤνοιξε τὸ φρέαρ τῆς ἀβύσσου, id est, Et aperuit puteum abyssi. Et infra non habet μεγάλης,id est magnæ, sed καιομένης, id est ardētis. Et in hoc posteriore facit nobiscum exemplar Complutense: Nam prius opinor esse mendum propter caussam frequenter dictam.

Eodem. Et super capita earum tanquam coronæ (aureæ) Habet enim χρυσοῖ,non ὅμοιοι χρυσῷ,id est similes auro. Et hoc etiam modo legit editio Complutensis.

Eodem.

Eodem. Et habent caudas ſimiles ſcorpionum & aculeos: & in caudis ſuis habent poteſtatem lædendi homines. Habet enim καὶ ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν, ἐξουσίαν ἔχουσιν ἀδικῆσαι. Non autem ſicut alij καὶ κέντρα ἦν ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν, καὶ ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἀδικῆσαι τοὺς ἀνθρώπους: hoc eſt, Et aculei erant in caudis earum, & poteſtas ipſarum lædere homines. Statimque infra, ἔχουσαι, id eſt habentes, non autem καὶ ἔχουσι, id eſt & habent. Facit in vtroque nobiſcum exemplar Complutenſe.

Eodem. (Non) reſipuerunt. Habet enim οὐ, & non οὔτε, id eſt neque. Nam ſic maneret ſenſus omnino dependens ac ſuſpenſus. Nobiſcum legit editio Compluten.

Cap. 11. Vbi & dominus (eorum) crucifixus eſt. Habet enim αὐτῶν, non ἡμῶν. Ita habet & exemplar Complutenſe & vulgata editio.

Eodem. Et (audiui) vocem magnã de cœlo dicentem ipſis. Habet nanque ἤκουσα, non ἤκουσαν, id eſt audiuerunt. Et pauld poſt: Et in illo (die) factus eſt terræmotus magnus. Siquidem habet ἡμέρα non ὥρα, id eſt hora. Vtrobique nobiſcum legit editio Complutenſis.

Eodem. Factum eſt regnum mundi & domini noſtri Ieſu Chriſti. Habet enim ἐγένετο ἡ βασιλεία τοῦ κόσμου τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ. Nam alia exemplaria pluraliter legunt, Facta ſunt regna mundi domini noſtri & Chriſti eius. Complutenſis verò editio legit quidem ſingulariter, verum in cæteris refert verba ſenſumque aliorum.

Cap. 13. Et data eſt ei poteſtas committendi (prælium) menſes quadraginta duos. Additur enim πόλεμον, etiã in Complutenſi exemplari.

Eodem. Et ſeducit (meos) qui habitãt in terra. Addit enim ἐμούς: idque in præcedenti ſcholio declarat. Sic & in editione Complutenſi.

Eodem. Vt (dent ipſis characteres) Habet enim δώσουσιν & χαράγματα, vtrunque pluraliter. Sic & Complutenſis editio, quæ habet adhuc apertius per ſubiunctiuum verbum δῶσιν. Alij verò ἵνα δώσῃ χάραγμα, id eſt vt det characterem.

Cap. 14. Hi (à Ieſu) empti ſunt ex hominibus. Addit enim ὑπὸ ἰησοῦ. Statimque infra: Et in ore ipſorum non

eſt in-

est inuentum (mendacium) cum vulgata editione. Nam habet ψεῦδος & non δόλος, id est dolus. Statimque loco eius quod communiter legitur & vulgata habet editio, puta ante thronum dei, habet, οὗτοι εἰσὶν οἱ ἀκολουθοῦντες τῷ ἀρνίῳ, id est hi sunt qui sequuntur agnum. Porrò Complutense exemplar horum loco nihil habet.

Eodem. Et alius (secundus) angelus sequutus est. Additur enim δεύτερος, sicut & in Complutensi exemplari & in scholiis declaratur.

Cap. 15. Et egressi sunt septem angeli habentes septem plagas,, (qui erant) vestiti lino mundo. Non enim adiunctum habet ἐκ τοῦ ναοῦ, id est de templo cum aliis exemplaribus: neque ἐκ τοῦ οὐρανοῦ cum Complutensi. Postea vero addit καὶ ἦσαν, id est & erant.

Cap 17. Habentes poculum aureum in manu sua plenum abominationibus & immunditiis fornicationis terræ. Habet enim τῶν ἀκαθάρτων τῆς πορνείας τῆς γῆς: non ἀκαθάρτητος πορνείας αὐτῆς, id est, immunditia fornicationis suæ. Porrò Compluten. habet modo paululum ab vtrisque diuerso.

Eodem. Videntes bestiam quæ fuit & non est (& aderit) Addit nanque cum Complutensi καὶ παρέσται.

Cap. 20. Et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus & Satanas (qui seducit orbem vniuersum). Addit enim cum Complutensi ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην.

Cap. 21. Et ipse deus cum eis erit,, (Et cessabit) omnis lachryma. Primum enim non addit θεὸς αὐτῶν, id est deus eorum. Deinde non habet, ἐξαλείψει ὁ θεὸς πᾶν δάκρυον, id absterget deus omnem lachrymam: sed ἐκλείψει πᾶν δάκρυον, id est deficiet vel cessabit omnis lachryma.

Eodē. Ecce (ecce) noua facio omnia. Geminat enim ἰδού. Vereor tamen ne mendum sit.

Cap. 22. (Factus sum) ego A & Ω. Habet enim γέγονα ἐγὼ τὸ Α καὶ τὸ Ω, cum Cōplutensi editione, & non, γέγονε. ἐγὼ εἰμὶ τὸ Α καὶ τὸ Ω. i. factū est. Ego sum A & Ω. Statimq; infra: Ei qui vicerit dabo hæc. Nam habet ὁ νικῶν δώσω αὐτῷ ταῦτα: & non, ὁ νικῶν κληρονομήσει πάντα, id est qui vicerit possidebit omnia.

Eodem.

Eodem. Et ambulabunt gentes,, per lucem eius. Neque enim addit σωζομένων, id est quæ saluæ fiunt. Similiter neque exemplar Complutense neque vulgata editio hoc habent.

Eodem. Et adferent gloriam & honorem gentium in illam (vt ingrediantur) Additur enim ἵνα εἰσέλθωσιν. Porò id non addit exemplar Complutense. Mirum itaque est vnde id acciderit, vt nunc habeamus hunc librum, omnium qui in sacris continentur literis mendosissimum, quum angelus ipse in hoc solo legatur grauissima comminatus fuisse supplicia, his qui in eo adderent quicquam aut detraherent. Siquidem multa sunt quæ nostrum habet exemplar simul cum exemplari Complutensi, non autem cum reliquis communibus exemplaribus: quædam vero ne cum Complutensi quidem, interdum tamen hæc communia habet cum editione vulgata. Rursum Complutense nonnulla habet sibi soli propria, quædam verò cum communibus exemplaribus & non nobiscum.


INDEX DICTIONVM AC SENtentiarum quæ in his commentariis memoratu dignæ uisæ sunt.

Aposto-

Caro

Christus

Lex


ROMA

Phialæ

Q

R

XXIIII

FINIS.

Duodecim Apo STOLORVM NOMINA, ET *quibus in locis Christi Euangelium prædicauerint, quóue modo uitam finierint.*



RIMVS Simon Petrus Apostolorum princeps (veluti per suas epistolas ipse indicat) in Ponto, Galatia, Cappadocia & Bithynia, præterea & in Italia predicato Euangelio: Romæ tandem, Nerone imperatore, verso capite crucifigitur, quãdoquidem ipse ita pati voluerat. Sepelit autẽ in ipsa vrbe Roma tertio calẽdas Iulij.

Andreas frater ipsius, sicuti tradiderunt maiores nostri Scythis & Sogdanis ac Sacis domini nostri Iesu Euãgelium prædicauit: in magna quoq; ciuitate, vbi intersectio est Absari, & Phasis fluuius præterfluit. Sepelitur autem patris Achææ ciuitate, ab Aegea proconsule crucifixus.

Iacobus Zebedæi, duodecim tribubus quę dispersæ erant Euãgelium prædicauit. Sub Herode tetrarcha, qui & Agrippa dicebatur, gladio interemptus est. Obdormiuit autem ciuitate Marmarica.

Ioannes frater ipsius in Asia Christi prædicauit Euangelium. Traiano * autem imperatore in Patmos insulam propter verbũ domini relegatus, ibi cõscripsit Euangeliũ. Sepelitur autẽ Ephesi adhuc viuens, dei voluntate sic ordinante.

** Aut in librario mẽdũ fuit, aut memoriæ lapsus i autore. Eusebius Cæsariensis &*

Philippus Apostolus in Phrygia domini prædicat Euangelium Sepelitur autem Hiera ciuitate.

Bartholomęus Apostolus Indis Euangelium domini prędicauit, his inquam, qui fœlices appellantur: qui & euangelium iuxta Matthæum illis tradidit. Obdormiuit autem ci-

D civitate Albano Indicæ magnæ Armeniæ.

Thomas Apostolus, veluti maiorum traditio complectitur, Parthis ac Medis, Persis & Germanis, Hyrcanis ac Bactris Christi prędicauit euangelium. Obdormiuit autem ciuitate Calamina Indiæ.

Matthæus Euangelista euangelium Hebraica lingua cõscriptum tradidit. Obdormiuit autẽ Hiera ciuitate Parthiæ, & ibi sepelitur.*

Iacobus Alphæi, qui cognominatus est Iustus, qui & primus Ierosolymis episcopatũ suscepit, à Iudæis lapidatus interiit in ciuitate Ierusalem, ac ibidem in templo sepelitur.

Thaddæus, qui & Lebbæus & Iudas Iacobi, Edesenis & vniuersæ Mesopotamiæ Euangelium prædicauit, sub Augaro Edesenorum præside. Obiit Bereti & ibidem sepelitur.

E Simon Cananęus Cleopæ filius, sicut & Iudas, post Iacobum Iustum factus est Ierosolymis episcopus: quumq; annos centum viginti vixisset, cruci affixus sub Traiano imperatore martyrium sustinuit.

Mathias quum esset vnus è septuaginta discipulis, vndecim Apostolis annumeratur loco Iudæ Iscariotæ, qui & domini proditor factus fuerat. Moritur in Aethiopia exteriori, in loco vbi Absari interfectio est, postquam ibidem prædicasset euangelium.

Paulus Apostolus à Damasco incœpit, & Ierusalem ascẽdit. inde Tarsum, & ab eo loco Antiochiam, rursumq; secũdo Ierusalem, ac iterum secundo Antiochiam: & inde, cum F Barnaba separatus ad Apostolatum, descendit Seleuciã, deinde Cyprum, vbi & Paulus vocari cœpit. Deinde Pergen, postea Antiochiam Pisidiæ, Inde Iconiũ, exinde Lystram & Derben Lycaoniæ: deinde in Pamphyliam, postea Pergen, postmodum Attaliam: deinde rursum tertiò Antiochiam Syriæ, postea tertio rursum Ierusalem propter circũcisionẽ: postea rursum quartò Antiochiam. Deinde Syriam pertransiuit ac Ciliciam. Exinde rursum secundo Derben ac Lystram, vbi & Timotheum circuncidit: postmodum in Phrygiam & Galaticam regionẽ: deinde in Mysiam, postea Troadem, & inde Neapolim: exinde Philippos Macedonię vrbẽ. Postmodum vbi Amphipolim ac Apolloniam pertrãsissent, venerunt Thessalonicam, postea Beræam, exinde Athenas,

deinde

hunc sequutus Hieronymus, aliiq; plurimi, dicũt sub Domitiano id factũ esse. Verũ hac de re aliâs fortassis plura.

** Hæc est Hieropolis in Asia, quã Ptolemæus Hierocæsareã appellat, unde dicitur Hieropolitani. Porro à Hierapoli Phrygiæ in qua Philippus sepult° dicitur Hierapolitani appellantur.*

deinde Corinthum: postea Ephesum, inde Cæsaream: post- A
modum secundo Antiochiam Pisidiæ: deinde in Galaticam regionẽ ac Phrygiam, vnde rursum secundo Ephesum, postea pertransita Macedonia venit in Græciam. & inde quum pertransissent Macedoniam secundo rursum venerunt Philippos, & à Philippis Troadem, vbi Eutychum qui ceciderat suscitauit: Hinc Asson, deinde Mitylenem: postmodum in partes quæ sitæ sunt contra Chium, exinde Samum, & inde Miletum, vnde aduocatis his qui Ephesi erant, loquutus est cum eis: hinc Coum, post Rhodum, & inde Pataram, hinc Tyrum, postea Ptolemaidem, indeque Cæsaream: & hinc rursum ascendit quarto Ierusalem, vnde transmissus est Cæsaream ac postmodum vinctus Romã Ita à Cęsarea venit Sidonem, & hinc Myra Lyciæ: postea Cnidum: ac inde B
plurima passi, in insulam venerunt vbi vipera manum eius apprehendit, mansitque illæsus: deinde Syracusas, postea Rhegium, & inde Puteolum, vnde pedes ascendit Romam, occurrentibus ipsi fratribus ad Appij forum ac tres tabernas. Postmodum quum Romam ingressus esset, multoque tempore docuisset, tandem in ipsa vrbe Roma martyrio vitam finiuit.

MARTYRIVM PAVLI Apostoli.

Sub Nerone Romanorum imperatore martyrio vitam ibidem finiuit Paulus Apostolus, capite gladio amputato, C
anno à salutari passione tricesimo sexto, vbi bonum certamẽ Romæ certasset, quinto die iuxta Syromacedones Panemi mensis, qui apud Aegyptios dici potest Epiphi, apud Romanos vero tertio calendarum Iulij nempe vicesimo nono mensis Iunij, quo consummatus est diuus Apostolus suo martyrio, sexagesimo nono anno ab aduẽtu saluatoris nostri Iesu Christi. Est ergo omne tempus à quo martyrium sustinuit trecentorum triginta annorum, vsque ad præsentem hunc consulatũ, qui quartus quidem est Arcadij, tertius vero Honorij duorum fratrum imperatorum Augustorum: indictione nona, periodi anni quintidecimi, mensis Iunij vicesimo nono die.

Hic ergo annus quo hæc scribebatur erat ab incarnatiõe domi-

Marcus Euangelista, Alexandrinis vniuersæque regioni

nica treceтesimusnonagesimus nonus. quæ illi adiacet vſque ad Pentapolim, prædicato domini euāgelio, Alexandriæ ſepelitur in Bucolis, cum Iᶜtare qui primus in Lycia martyr fuit, quem Alexāder tranſtulit, poſuitque vbi omnes ſepulti ſunt epiſcopi.

Titus Cretæ epiſcopus, ipſis Cretis & circumadiacentibus inſulis domini prædicauit Euangelium: ibique moriens ſepultus eſt.

Creſcens in Galliis domini prædicauit euangelium, & ibi ſepelitur.

Eunuchus Candaces reginæ Aethiopum in Arabia fœlici & Taprobana inſula quæ eſt in rubro mari prædicauit domini Euangelium. Fertur ibi quoque martyrio vitam finiſſe & glorioſe ſepultus eſſe: & extat eius ſepulchrum in hunc vſque diem.

Ex ſeptuaginta ſaluatoris Apoſtolis fuerunt, veluti ſcribitur quinto informationum libro, Barnabas Soſthenes, Cephas eiuſdem cum Petro nominis, Mathias qui connumeratus eſt duodecim, & Barſabas ac Linus, cuius meminit Paulus ſcribens Timotheo, Thaddæus, ac Cleopas, quique cum ipſo erant.

ARGVMENTVM LIbri Actorum.



VCAS Euangeliſta enarrator eſt Actorū Apoſtolorum: Hic enim quum Antiochenus eſſet genere, arte vero medicus, ſimul cū Apoſtolis peregrinabatur & potiſſimum cum Paulo: ſcribitq; quod exacte cognouit. Narrat autem quónam angelis ſuſcipientibus aſſumptus ſit dominus: ac ſpiritus ſancti factam ſuper Apoſtolos, omneſque qui tunc præſentes erant, quinquageſimo die diffuſionem. Præterea Mathiæ conſtitutionem loco Iudæ proditoris, ac ſeptem diaconorū creationem. Paulique electionem & quæcunque paſſus eſt, quæque Apoſtoli, per orationem & fidem, quam in Chriſtum habebant, miracula ediderunt.

Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Simon qui dicitur Petrus & Andreas frater eius, Iacobus & Iohannes, Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi filius & Simon Cananæus,

nanæus,Iudas Iacobi & Mathias qui cũ vndecim loco proditoris annumeratus est. Constitutorum vero diaconorũ nomina sunt hæc: Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas & Nicolaus. Post hæc autem electus est & Paulus vas electionis.

Horum autẽ Apostolorum signa, quæ ediderũt, hęc sunt.

Petrus & Ioannes per nomen domini curarunt eum, qui ab vtero matris claudus erat, & sedebat ad portam quæ speciosa dicebatur. i. *Acto.3.*

Petrus Ananiam ac Sapphiram vxorem ipsius mendacij conuicit, quòd suffurarentur ex eo quod apud deum promiserant: ac repente mortui sunt. ii. *Act.5.*

Petri vmbra ad ægrotos pertingens curabat eos. iii. *Ibidẽ.*

Stephanus faciebat prodigia & signa. iiii. *Act.6.*

Philippus Eunuchum animaduertit legentem Iesaiam prophetam & baptizauit eum. v. *Acto.8.*

Philippus in Samaria multos spiritus eiecit, pluresq; claudi ac paralysi dissoluti ab eo curati sunt. vi. *Ibidẽ.*

Paulus quum accederet Damascum, vidit visionẽ statimque euangelista factus est. vii. *Act.9.*

Petrus Lyddæ Aeneam paralyticũ ab octo annis in grabbato decumbentem curauit. viii. *Ibidẽ.*

Petrus Ioppæ mortuam Dorcadem, quæ & Tabitha dicebatur, fusa oratione excitauit à mortuis. ix. *Ibidem*

Petrus vas è cœlo descendens plenum omni genere animalium vidit. x. *Ac.10.*

Petrus seruatus ac vinctus in carcere, ab angelo solutꝰ est, ignorantibus id militibus: Herodesque à vermibus exesus expirauit. xi. *Act.13.*

Paulus in Cypro Elymam magum increpauit, & cæcus factus est ipse magus. xii. *Act.13*

Paulus Lystris eum qui à natiuitate claudus erat, per nomen domini sanauit. xiii. *Ac.14*

Paulus à visione in Macedoniam vocatus est. xiiii. *A.16*

Paulus mulierem quę spiritum habebat diuinatorem, Philippis emundauit. xv. *Eodẽ.*

Paulus & Sylas in carcerem coniecti sunt, pedesque ligno constrictos habebant: media autem nocte terræmotus factus est, eorumque vincula dissoluta sunt. xvi. *Eodẽ.*

xvii. D Act.19 A corpore Pauli deferebant sudaria super infirmos ac dęmonio vexatos,& curabantur.

xviii. Act. 20. Paulus Troade Eutychũ,qui à fenestra ceciderat & mortuus erat,excitauit dicens: Anima eius in ipso est.

xix. A.27 Quum Romam versus nauigaret Paulus,tempestatem passi sunt ipse omnesque qui cum ipso in naui erant, quatuordecim dies vnà cum noctibus : omnib' autem sese perituros arbitrãtibus,adstans dominus Paulo, dixit ei: Propter te his vitam concedo & seruati sunt.

xx. Ac.28 Egressum è naui Paulum vipera momordit,& omnes quidem arbitrabantur illum moriturum , verum quum illæsus permansisset, existimarunt ipsum esse deum.

xxi. Eodē. Patrem Publij in insula dysenteria laborãtem Paulus ma-
E nibus impositis sanauit,multosq; alios ægrotantes curauit.

ITEM ET ALIO MODO argumentum in Acta Apostolorum.



Vanquam liber inscriptus sit Acta Apostolorum, potissimum tamen Pauli actiones complectitur: quas etiam Lucas exacte nouerat, vtpote qui simul cum eo peregrinatus fuerat,vnaque conuixerat, & in multis necessitatibus subministrauerat. Necessarium autem fuit vt ab aliorum Apostolorum
F actionibus inciperet. Neque enim aliter posset diligenter Pauli historiam prosequi,nisi præmissa Apostolorum historia. Quomodo enim manifesta fieret Pauli crudelitas & feritas priusquam ad prædicationem accederet? aut consensus in cędē cognati sibi Stephani?& inopinata illiusvocatio, ac conuersio ad illos,quos ad idvsque temporis fuerat persequutus? & perpessa pro iis rebus pericula quas prius persequebatur, & quibus sequentis vitæ tempore Iudæos prouocabat,& ad rabiem vsque insanire cogebat? Nequaquam ex his cognitus nobis esset Paulus, nisi præcederet Apostolorum historia. Præterea quoque si ab ipso cœpisset Paulo, omnino digressione vti necesse esset, ad docẽdum ea quæ circa ipsum contigerant:& ita narrationis tenor impediretur,nẽpe multa includẽdo,sine quibus nihil,quod de Paulo diceretur,

retur,poſſet eſſe manifeſtum. Vt igitur facile intelligibilem A
ac moleſtia carẽtem faciat de Paulo ſermonem, cœpit à cõ-
muni de Apoſtolis ſermone. Poſtquam autem ad eum qui de
Paulo erat perductus eſt, iam ex hoc ad intentum ſibi ſcopũ
Lucas peruenit & relicto de cæteris ſermone, ſoli illi hæret
quem ab initio intenderat. Non autem ſcripſit vel Pauli mor-
tem vel ſecundam ipſius apud Neronem accuſationem: At-
qui etiam tunc cum Paulo erat, quum Paulus ipſe ſcriberet
ſolum Lucam cum eo eſſe: vel quia decretum ipſi non erat 2. Timo. 4
hiſtoriam ad finem deducere,ſed ſolum oſtendere acceſſum
eius ad Chriſtum,& quantum laborum ſuſceperit. Vel tem-
pus non eſt datum vt finem imponeret argumento quod ab
initio conceperat. Multa nanque turbatio & afflictio erat B
quę inter principia diſcipulis domini à perſequutoribus im-
minebat. Quanquam autem circa primordia promittit præ-
ſens liber narrationem actionum apoſtolicarum, veluti ſu-
pra meminimus: vt tamen manifeſtius dicatur ſancti ſpiritus
acta in hoc continentur. Nã ſimul vt Apoſtolis adfuit, quæ-
cunque admiranda per eos acta ſint, per hunc librũ cogno-
ſcimus ſpiritu videlicet hæc per eos operante. Sed & vati-
ciniorum Chriſti decurſus per hunc librum manifeſtatur.
Siquidem dictum illud, His maiora facietis, per vmbram A- Ioan.14.
poſtolorum quæ miracula edebat, & ſemicinctia etiã à cor- Ac.5.&
pore, quæ inaudita operabantur, completum eſt. Itaque æ- 19.
quum eſt vt euangelium quidem, actiones Chriſti cõtineat,
liber vero Actorum, ſancti ſpiritus. C

PRAEFATIO IN ACTA
iuxta Chryſoſtomum.



PLuribus hic liber omnino ignotus eſt, adeo vt neque de ipſo nouerint an extet, neque de autore qui illũ vel conſcripſit vel edidit. Iccirco ob hanc potiſſimum cauſam pro viribus in hãc deſcendi prouinciam: vt & ignorantes attraherem, & tantum theſaurum latere, aut in tenebris reconditum eſſe nequaquã permitterem. Neque enim minus nos iuuare poterit quã

euãgelia tanta plenus est philosophia, dogmatúmque recti-
tudine,& horum potissimũ,quę de spiritu sancto dicta sunt.
Itaque ne librum hunc prætercurramus,sed magna cum di-
ligentia scrutemur. Siquidem vaticinia illa quæ Christus in
euangeliis prædixerat,ea opere expleri videre est in hoc li-
bro,ipsámque veritatem rebus ipsis refulgentem, ac magnã
discipulorum ad meliora immutationem,idque per spiritum
Iohan.14. qui ipsis infusus erat. Etenim Christum audierãt dicentem.
Quisquis in me credit, signa quæ ego facio, & ipse faciet, &
maiora his faciet. quódque prædiceret discipulis ipsos ad re
Matth.10 ges ac præsides esse ducẽdos: & quòd in synagogis suis fla-
gellarent,ipsós,ac indigna paterentur,sed omnibus superio-
res euaderent.Præterea quòd euangelium in vniuerso orbe
Matt.24 prædicandum esset,quæ omnia nullo prætermisso accidisse,
licet in hoc libro intueri,aliáque plura quæ dixit discipulis,
dum vnà cum eis versaretur. Ad hæc ipsos Apostolos vide-
bis hîc volucrum in morem terram ac mare percurrẽtes, il-
lósque prius timidos ac rudes, repẽte alios ex aliis effectos,
contemptu non modo diuitiarum, verùm etiam gloriæ fa-
stus,iræ ac cõcupiscentiæ:vtqúe vno verbo dicam, omnibus
superiores esse effectos, multámque inter ipsos cõcordiam,
& ne vel minimum inuidentiæ motum vt superioribus tem-
poribus, neque primorum sedilium amorem, sed vniuersam
exactámque in ipsis virtutem & admirandam charitatem re-
Iohan.13. lucentem: de qua etiam multa illis præceperat dicens: Per
hoc cognoscent homines quòd mei sitis discipuli si dilexe-
ritis vos mutuò.Licet hic quoque dogmata inuenire,quæ ni
si hic liber extaret, nulli adeo manifesta essent. Quinimo id
quod nostræ salutis caput est, occultaretur, & incertũ esset?
nempe quod tam vitæ mores,quàm dogmatum veritatẽ cõ-
cernit. Porrò maxima pars eorum quæ hic tractantur,Pauli
acta sunt,qui plus omnibus laborauit:idqúe in causa fuit, ꝙ
libri autor beatus Lucas, eius esset sectator ac discipulus:cu
ius virtutem multis quidem in locis videre licet, maxime au
tem ex eo quòd præceptori indiuulsus adhæserit,& eum in
omnibus sit sequutus. Quãdo ergo omnes Paulum relique-
rant,hic quidem in Galatiam,ille vero in Dalmatiam profe-
2.Tim.4. ctus,audi quid de hoc dicat, Lucas inquit est mecum solus.
2.Cor.8. Corinthiis vero ipsum mittẽs,ita de eo loquitur. Cuius laus
est in

eſt in euangelio per omnes eccleſias. Et quum ait quòd viſus ſit Cephæ deinde duodecim iuxta euãgelium quod acceperant, huius euãgelium intelligit. Itaque nequaquam aberrauerit, qui hũc laborem illi tulerit acceptum. Quum autem hunc dico, Chriſtum dico. Et cur tandem non omnia conſcripſit, quum ad finem vſque cum eo permanſerit? Hic dicere poterimus, & quod hæc ſufficiãt his qui animaduertere voluerint: & quòd ad ea, quæ magis vrgebãt, ſemper incumbentes, ſtudium ad conſcribendas hiſtorias transferre non poterant. Siquidem multa etiam manuũ traditione abſque ſcripto tradiderunt. Cuncta ergo quæ hoc libro reconduntur admiratione digna ſunt: maxime autem quod ita ſeſe apoſtoli demiſerint, quod etiam ſuggeſſit illis ſpiritus, per hoc ipſum præparans eos, vt in verbo dei diſpenſando verſarentur. Ideo ſane quum tanta de Chriſto diſſeruiſſent, pauca quidem de eius diuinitate dixerunt, plurima vero de humanitate tractarunt, tum de paſſione, tum de reſurrectione, & aſcenſu. Hoc enim erat quod interim quærebatur, vt reſurrexiſſe crederetur, & ad cœlos aſcẽdiſſe. Sicut ergo Chriſtus ipſe præ cæteris omnibus rebus ad hoc maxime ſtudiũ adhibebat, vt ſe à patre veniſſe oſtenderet: ita & iſte potiſſimum adſtruit, quòd reſurrexit, & ad eũ peruenit, à quo profectus fuerat. Niſi enim hoc primum crederetur, certe Iudæis vniuerſum de Chriſto dogma penitus incredibile videretur: præſertim quum acceſſiſſet aſſertio de reſurrectione, déque in cœlum reditu. Paulatim igitur ac ſenſim eos ad ſublimia prouehit. Paul⁹ vero quum Athenis eſſet, ipſum ſimpliciter hominem vocat, nihil vltra dicens. Etenim ſi Chriſtum ipſum de ſua ad patrem æqualitate diſſerentem Iudæi ſæpius lapidare conati ſunt, ipſúmque ob id blaſphemum appellabant, multo minus hoc à piſcatoribus excepiſſent, idq; poſtquam cruce interiiſſet. Et quid Iudæos dicere attinet? quum & ipſi tunc diſcipuli frequenter, vbi ſublimiora audirent dogmata, turbarentur ac offenderentur. Propterea etiã dicebat eis Chriſtus: Multa habeo quæ vobis dicam, ſed nũc portare non poteſtis. Quod ſi illi non poterant qui tanto tẽpore cum eo verſati fuerant, quique tot arcanis communicauerant, tot miracula conſpexerant: quonam modo homines ab aris & ſimulacris ac ſacrificiis, felibus & crocodillis huiuſmo-

Marginal notes: 1.Cor.15. (beside "eſt in euangelio"); Nota. (beside "non poterant. Siquidem"); Acto.17. (beside "blimia prouehit"); Ioan.8. (beside "ſtum ipſum de ſua")

D (huiusmodi namque erant cultus Græcorum) aliisque malis tum primum abstracti, repente sublimes dogmatum sermones recepissent ? Quo pacto inquam Iudæi quotidie audientes illud adeo suis auribus instillatū, dominus deus tuus
Deut.6. dominus vnus est,& præter ipsum non est alius,quum hunc vidissent in cruce clauis affixum, magis autem & crucifixissent & sepelissent,neque resuscitatū vidissent, audiētes hūc ipsum esse deum patrique æqualem, an non maxime omniū resiliissent,ac sermonem huiusmodi lacerassent ac discerpsissent ?Ob id ergo sensim ac paulatim eos instruunt : & multa quidem condescensionis dispensatione vsi sunt. ipsi tamen ex hoc abundantiori fruuntur spiritus gratia: ac ipsius Christi nomine maiora operantur his quæ ipse fecerat: vt vtrinq; & seipsos humi iacentes erigant, & sermonem de resurrectione comprobent. Siquidem hic liber potissimum resurrectionis est demonstratio. Hoc enim vbi creditum fuerit,cætera quoque viam inuenient. Argumentum itaque & omnis scopus libri huius est hic potissimum, si quis crassiori sermone comprehendere velit.

FINIS PRAEFATIONIS.

Enarratio vete- A

RVM SANCTORVM VIRO-*rum, ab innominato quodam, imo ab Oecumenio, ex diuersis monumentis collecta, & accuratè in compendium redacta in acta Apostolorum.*

CAPVT I. *De doctrina Christi, quæ fuit à resurrectione & apparitione ad discipulos & de promissione sancti spiritus, de uisa Christi assumptione, & de glorioso eius secundo aduentu.* B



RIOREM *quidẽ librũ feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus & facere & docere, usque ad eum diem, quo (quum Apostolis præcepisset per spiritum sanctum, quos elegerat) assumptus est.* Cap. I. C

Priorem librum dixit, non euangelium, quum tamen Paulus suum vocet euangelium vbi ait: Iuxta euãgelium meum. 2. Timo. 2. Nam arrogantiam vbique fugiunt. Sicut & Matthæus, Liber, inquit, generationis. Quod si Marcus dicit, Initium euãgelij Iesu Christi, non tamen suam scripturam vocat Euangelium, sed Christi prædicationem. Initium enim prædicationis Christi, fuit progressus à prædicatione Iohãnis. Initiũ vero reuelationis mysterij Christi & incarnationis ipsius, fuit natiuitas ex virgine, & quæcũque ad hæc sequuta sunt. Quo etiam initio scriptorum suorum vsus est Matthæus, & idem hic Lucas: quæ scripta fideles postmodum euangelia quoque appellare dignati sunt, tanquam vere comple-

Matth. 1.
Marci. 1.

ſtentia Euangelium, hoc eſt Chriſti doctrinam. Verum
Iohan.21. quum ait: *De omnibus.* videtur Iohanni Euangeliſtæ repugnare: ille namque dicit poſſibile non eſſe hæc ſcribere: neque enim mundum poſſe capere libros qui ſcriberentur: hic autem de omnibus ait ſe librum feciſſe ab exordio vſque ad aſſumptionẽ. Quid ergo dicemus? Quòd hic ſe nihil prætermiſiſſe ait eorum, quæ cohærent ac vrgent, in quibus diuinitas ac veritas prædicationis comprehenditur. Etenim ipſe quoque Iohannes de his omnibus diſſeruit. Non enim quippiam eorum reliquerunt: per quæ vel diſpenſatio verbi iuxta carnem creditur & cognoſcitur, vel magnitudo ipſius iuxta diuinitatẽ relucet & manifeſtatur. *O Theophile.* Præfectus erat hic Theophilus. Ne autem mireris ſi vnius viri gratia tantum curæ ſuſceperit, vt illi duo integra volumina laboris plena conſcriberet. Dominicæ namque vocis obſer-
Matth.18 uator erat, qua dicebat. Non eſt voluntas patris mei, vt pereat vnus puſillorum iſtorum. *Et facere & docere.* Eum, qui paſſus eſt, dicit etiam miracula edidiſſe. aut hoc dicit: quoniam per ea, quæ operabatur, admonebat. *Vſque ad eũ diem.* Ordo eſt, Vſque ad eum diem quo aſſumptus eſt, cætera per parentheſim interponuntur. Quod autem ait: *Quum Apoſtolis præcepiſſet per ſpiritum ſanctum.* vel hoc dicit, ſpiritualia ſignificans fuiſſe præcepta, nihil ſeculare præ ſe ferentia, vel etiam vt ſpiritum connaturalem ſibi demonſtret, vtpote cui ex diuina hypoſtaſi nihil deſit eorum, quæ à Deo expleri poſſunt. Quænam autem ſunt præcepta. Euntes docete
Matth.28 omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Ait autem, *Aſſumptus eſt.* non Aſcendit: nam adhuc de eo tanquam de homine diſſerit.

Quibus etiam exhibuit ſeipſum uiuentem, poſtquam ipſe paſſus fuerat, compluribus argumentis.

Quum dixiſſet, Aſſumptus eſt, ne quis exiſtimaret alterius hoc factum eſſe virtute, ſtatim etiam ſubiunxit, quod propriæ eſſet authoritatis. Quibus etiam exhibuit ſeipſum viuentem. Eundem autem oſtendens qui paſſus fuerat ac reſurrexerat, ſermoni coniunxit quod ſequitur, dicens, *Poſtquam ipſe paſſus fuerat.*

Per dies quadraginta. Non di-

Non dixit, In diebus. neque enim cõtinue cum ipsis versabatur, quemadmodum ante passionem, sed differenti modo: simul quidem & desiderabiliorem eis reddens suam apparitionem, simul quoque & sublimiorem magisque diuinum seipsum ostendens.

Apparens illis,

Quam ob causam non omnibus palam, sed Apostolis tantum apparuit? Quia vulgo phantasma visum fuisset, quod ignorabat arcanum mysterium. Nam si ipsi quoque discipuli initio increduli erant ac turbabantur, quid verisimile est vulgus passurum fuisse? Propterea ex signis, ad quę edẽda gratiam acceperunt Apostoli, indubitatam reddit resurrectionis demonstrationem, omnibusque expositam, adeo vt non his tãtum, qui tũc erant, quod ipso aspectu futurũ erat, verum etiam posteris omnibus manifesta fieret resurrectio.

Et loquens de regno Dei.

Hinc discimus, quod etiam post resurrectionem docebat discipulos.

Et conuescens.

Simul edẽs ac bibẽs. Dicitur enim συναλίζων, quasi ἅλων hoc est sale & mensa communicans.

Praecepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris.

Iubebat ne ab Ierosolymis discederẽt: volens firmiorem reddi apud ipsos resurrectionis sermonem per miracula quę crucifixi inuocatione fierent: per tribulationes etiam, quas paterentur à Iudæis. nec tamen ab eius amicitia, qui crucifixus fuerat ac resurrexerat, deficerent, sed huic potius cõmorerentur. Quod si statim ab Ierosolymis discessissent, nihilque horum fuisset subsecutum, suspecta certe fuisset resurrectio. Praeterea quoque multi erant ibidem credituri. Simul etiam expectare eos oportebat, ne qui dicerent, quod notis relictis ad extraneos ostentandi sui gratia accedebát. Rursum etiam quia nondum spiritus virtute armati, inutiles redderentur ad hostium congressus. *Promissionem patris.* Et vbi hoc pater promisit? Dicimus ergo quòd vel per defectũ oportet dictũ hoc intelligi, vt subaudiatur præpositio ἀπὸ, sitque sensus:

D sitque sensus: Expectarent à patre promissionem, quam vobis inquit, feci, de spiritu sancto. Vel etiam quia sicut ipse ait, Quæ à patre audiui, hæc annuncio vobis: sancti quoque spiritus promissio etiam si per ipsum facta sit, attamen à patre erat. Quod si & ab ipso quæris spiritu, Ioel fide dignus est qui sermonem confirmet dicens, Effundam de spiritu meo super omnem carnem.

Ioel.2.

Quam audistis ex me,

Iohan.16. Quando autem audierunt? Quando dixit: Expedit vobis vt ego abeam, nisi enim ego abiero, paracletus nõ veniet ad vos. Rursumque: Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis. Verum si nunquam adhuc aduenerat spiritus, quomodo dixerat: Accipite spiritum sanctum? Vel quia hoc dixerat, capaces eos reddens ac idoneos ad spiritus susceptionem: acceperunt autem quando descendit. Vel quod futurum tanquam præsens dixit. Vel quod spiritus datio, aut purgatiua est, aut perfectiua. Consummata ergo spiritus superuentio in Apostolos, & quę perfectum reddit, adeo vt alios quoque perficiat, tempore pentecostes facta est, non autẽ eo præsente venit: Nam si tũc dominus discessisset, spiritus vero mansisset, non fuisset tanta consolatio: adeo enim ei adhærebant, vt ægre diuelli possent. Non statim autem descendit spiritus, sed post octo fortassis aut nouem dies, vt paululum contristati, & in desiderio ac necessitate promissionis constituti, purum ac perfectum reciperent in eius aduentu gaudium. Præterea autem oportebat in cœlo nostram comparere naturam, ac perfectam fieri reconciliationem, ac tunc venire spiritum. Considera autem, ne rursum post assumptum dominum fugiant, quomodo hac expectatione, tãquam catena quadam omnes eos illic retineat.

Iohan.20 E

F

Quia Iohannes quidem baptizauit aqua.

Apostoli in initio aqua baptizati sunt, postea vero etiam sancto spiritu. Hic iam manifeste suam supra Iohannem demonstrat potentiam, veluti quando dicebat: Qui minor est in regno cœlorum, maior Iohanne est.

Matth.11

Vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies.

Baptizabimini dixit, non Baptizabo, mansuetudinẽ amplectens,

plectens, & arrogantiam fugiens: præsertim quum Iohannes prius hoc docuisset dicens, Ipse vos baptizabit spiritu sancto & igni, superfluum esset vt ipse per seipsum adderet. Verum an non per gratiam baptizat in cœnaculo absque aqua? Vtique. nam spiritus efficacior est, per quem etiam aqua operatur, quãdoquidem ipse quoque Christus absque oleo inunctus est. A Matth. 3.

Itaque cõgregati interrogabãt eum dicentes: Domine num in tempore hoc restituis regnum Israeli?

Considera hic. Quoniam ante passionem de mundi consummatione interrogauerant, non iam de hoc interrogant, sed de mundano regno. Nam adhuc imperfectius affecti erant. Simul autem congregati interrogabant, vt multitudine exorarent ac flecterent. Quum autem ante passionem audissent, quòd nullus diem nosset, nunc tamen rursum interrogant. Quia enim audierant ꝙ spiritum essent accepturi, tanquam iam digni, scire hoc volebant, & hæsitationibus liberari cupiebãt. Non autem dixerunt Quando, sed Num in tempore hoc? vtrum nunc inquiunt? adeo diem desiderabãt. Porro videntur mihi nequaquam perspicue cognouisse quid esset regnum. Nondum enim aderãt spiritus qui eos doceret. Dixerunt autem Restituis: nam maiora iam de ipso concipiebãt: ideo etiam apertius cum eis disserebat. Non enim dixit, Neque filius nouit, sed, Non est vestrum. & nè contristarentur, subiunxit: Sed accipietis virtutem & cætera. Et illi quidem de consummatione non interrogarunt, ipse vero docet id quod non interrogarunt. Siquidem optimi præceptoris est docere non quæ discipuli discere cupiunt, sed quę eis vtilia sunt. Propterea interrogationi nõ respondet vt quę nihil haberet vtilitatis, sed quod magis vrgebat docuit: spiritu namque tunc maxime illis opus erat. B C

Dixit autem eis: Non est uestrum nosse tempora uel temporum opportunitates.

Vbique futurarum cognitione rerũ priuat ipsos: nõ tãquã ignorans, sed quòd sciret nihil illos ex eo iuuari ad spiritualem salutem: hinc etiam indefinite prius ait ad illos: Vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies. Quòd si quæras cur non protinus spiritum demittit, aut

etiam prefinitum tempus non significauerit: Disce quòd statim ab ascensu spiritus non veniat, vt magis desideratam efficiat sui susceptionem : neque ad certum diem, vt ad certamen paratos ac decentiores ad ipsius aduentum reddat.

Quæ pater posuit in sua potestate.

Aduertendum est num dictum hoc aliquid adferat momenti volentibus certum humanarum rerum terminum siue fatum tollere. Quod enim ait. *Quæ pater posuit in sua potestate.* tollit fatum. Verum si pater posuit, manifestum est, quòd & filius posuerit : omnia enim quæ patris sunt, etiam
Iohan.17 filij sunt.

Sed accipietis uirtutem superueniente spiritu sancto in uos, & eritis mihi testes in Ierusalem & in uniuersa Iudæa & Samaria & usque ad extremũ terræ.

Matth.10 Quoniam ante hæc præceperat, In viam gentiũ ne abieritis &c. quòd solis missus esset Israelitis: nunc vnà cum his, & Samaritanis & cæteris gentibus prædicationem communicat. Simul etiam denunciat ꝙ per vniuersum orbem pietatis sermo diffunderetur. Quid enim aliud preter hoc significat quod ait, Vsque ad extremum terræ?

Et quum hæc dixisset, uidentibus illis eleuatus est.

Abducens eos à quouis alio nugamento, ne rursum ipsum interrogarent, statim cœpit in cœlum conscendere. Addit autem *uidentibus illis.* Quandoquidem hic situm erat vniuersum fidei negotium ac necessitatis illorum, principium quidem rei videri potuit, finis autem nõ ita: propterea quoque adstiterunt viri docentes quòd in cœlo requiescat: neq; enim visio ad finẽ pertingebat. In resurrectione vero cõtrario modo, principiũ quidẽ visum non est: superfluum nãque fuisset, quum is qui resurrexerat viuens appareret, & sepulchrum vacuum esset : finis vero manifestus erat, nam viuens ipsis manifestabatur.

Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Nubes quidem dominum suscepit, vt honoris æqualitatem ad patrem demõstraret. De patre enim dictum est, Nubes & caligo in circuitu eius. Et incarnatus quidẽ deus, nube tanquã vehiculo vsus est, nam dominus erat: Elias vero igni.

Psal.96 (printed beside "tem ad patrem demõstraret")

Ille enim

Ille enim tanquam dominus vniuersi, propria ascẽdens virtute, terrenum quiddam & quod deorsum fertur, ad ascensum assumit: nec magis ductus quàm reducens ipse vehiculum. Elias vero seruus erat, ideoque sursum ferente vehiculo egens, & equis qui velocitatem itineris illi pararent. Iccirco etiam de hoc dictum est: Ascendit Elias in turbine tãquam in cœlum. De domino vero: Eũte illo in cœlum. Duo autem viri albis induti confirmant domini in cœlos restitutionem, propter id quod dicitur: Per duos aut tres testes sermo firmus constituitur. A Deut. 19.

Quúmque intẽtis essent oculis eunte illo in cœlum, & ecce duo uiri adstiterunt ipsis in ueste alba.

Angeli apparẽtes propter operationem viri appellantur, iuxta visionis cognationẽ: ne omnino consternarent eos, qui iam nouitate assumptionis perculsi erant. B

Qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis intuentes in cœlum?

Viri viris loquebantur, nec tamen similis erant substãtiæ.

Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlum, ita ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum.

Ne turbentur discipuli, & veluti pereunte præceptore ac diffluente illi corpore, spe destituantur in posterum, qua expectandus erat, & propterea alius alio dispergatur metu ac timore: ob hanc causam adueniunt viri, & ascensum in cœlum ipsis manifestantes, & corporis permanentiam ac salutem, his verbis quibus dicunt, Hic Iesus ita rursum veniet. Per hoc autem quod ait, Quid statis? admonet illos vt relicta cura de ea re, Ierosolyma redirent iuxta domini prçceptum, quo dixerat: Ab Ierosolymis ne discederent. Idcirco etiam quum eò accessissent, adhuc subtimidi propter præceptoris absentiam, in ciuitate non versabantur, sed in cœnaculum ascenderunt, tanquam in tutiorem & occultum locum. Dicit autem Chrysostomus, quòd die sabbathi facta est assumptio, ideo etiam annotatur, Ad sabbathi iter: ne videantur sabbatho maiori vsi pedestri itinere, quàm à lege constitutum esset. C

Tunc reuersi sunt Ierusalem à monte qui uocatur

D *Oliueti, qui est iuxta Ierusalem (nempe) ad sabbathi iter.*

Vnum miliare; quòd iter erat sabbathi, vt ait Origenes quinto στρωματῶν, siue miscellaneorum, duorum millium cubitorum erat: idque potissimum, quod sanctum tabernaculum & arca tanto interstitio castrorum ordinem præcedebat, & à tanto interuallo tentoria figebant, quo spacio licebat his qui castrametati erant, sanctum tabernaculum sabbatho accedere.

Et quum introissent, ascenderunt in cœnaculum, ubi manebant & Petrus & Iacobus, & Iohannes &
E *Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perseuerantes unanimiter in oratione & obsecratione, cum mulieribus & Maria matre Iesu, cúmque fratribus ipsius.*

Petrus interpretans vel cognoscens: Iacobus supplantator laboris. Iohannes gratia dei: Andreas decens potentia vel condemnatus: Philippus os viduarum vel os lampadis: Thomas abyssus vel geminus seu dubius. Bartholomæus filius eius qui suspendit aquas. Matthæus donatus: Iacobus Alphæi supplantatio: Simon Zelotes disciplina vitæ: Iudas Iacobi, hic & Thaddæus vocabatur. Discipulos nominatim
F recenset, vt ostendat quòd quum passionis tempore lapsi essent, Iudas quidem seipsum à choro apostolorum omnino deiecit: Petrus vero & simul erat, & à præceptore per tri-
Iohan.19. nam interrogationem reuocatus est. Quod si Iohannem in sua accepisse Christi matrem proditum est, certe quum Iohannes vnà cum Apostolis adesset, etiam ipsa simul aderat. ALIO MODO. Nō frustrà discipulorū facit catalogū: sed demōstrare volēs quòd humanū quippiā passi erāt, at non in lapsu pmāserāt. Siquidē Petrus qui negauerat, amaris lachrymis à negatione absolutus est, veluti ex hoc manifestum est, quòd paulo post creditū sit ipsi rationale ouile. Thomas qui incredulus fuerat, ab incredulitate sanatus est, vulneribus & latere manibus contrectatis. Itaque quū alij omnes simul essent,

essent, solus desideratus est Iudas. Et Maria Dei mater aderat, quandoquidem & Iohannes qui hanc in sua acceperat, & fratres aderant. Quod si & Ioseph sponsus in viuis erat, vtique aderat & ipse. maxime autem hic, qui, dubitantibus filiis suis, nunquam circa dispensationem dubitauit. Sed manifestum est quòd iamdudum mortuus erat: quia neque ipse tunc aderat, quum cognati Iesum docentem videre cuperēt, Quid enim ait? Mater tua & fratres tui quærūt te foris: Non autem additur, Et pater tuus. Matth. 12

CAPVT II. *Petri concio ad eos quibus notum erat de morte & apostolatu Iudæ proditoris: in quo narratur etiam de Mathiæ substitutione, qui per orationem sortitus est apostolatum gratia Dei.*



T in diebus illis surgens Petrus in medio discipulorum dixit (erátque turba nominum simul fere centum uiginti.) B

Surgit Petrus non Iacobus, & tanquam feruentior, & velut is cui discipulorum præsidentia commissa erat. Præterea quoque Iacobus modestus erat, orationi ac quieti magis aptus, cæteris videlicet negocia tractantibus. Ideoque Ierosolymitanam præsidentiam illi cedunt. Vide autem quomodo vniuersa communi decreto faciat, & non ex primatu neque sua authoritate. Centum autem viginti simul aderant ex his qui domino crediderant. Siquidem & septuaginta erant, & quingenti quos ait Paulus vidisse dominum postquam resurrexerat. Sed hos verisimile est ex his fuisse, qui magis approbati erant, & ad liberius loquendum feruentiores. 1. Cor. 15. C.

Viri fratres oportuit scripturā hanc impleri quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid.

Consolatur eos à prophetia. Nec ait. Quam Dauid dixit, sed spiritus sanctus per os Dauid. Quænam autē hæc erant? Quæcunque psalmus centesimus octauus continet, quorum etiam post pauca faciet mentionem. De Iuda autem loquens modeste simul, & absq; omni inuidia tractat sermonem. Neque enim execrandum vocat aut scelestum, sed simpliciter quod factum est indicat. Porro quòd subiūxerit, Hic itaq;

D adeptus est prædium è mercede iniquitatis, & quod præcipitio crepuit, aut diffractus est: prius quidem, nempe adeptũ esse prædium, non ad Iudam referens dixit: neque enim ipse prædium emit, sed sacerdotes ex argenteis quos Iudas in tẽplo abiecerat: verum quia illi erãt merces proditionis Iudæ, possessio quoque reputatur ipsius. Rursumq; quia prædium in sepulturam separatum est, completa est scriptura quę ait.

Psal. 68. Commoratio eius deserta est: Quid enim sepulchris magis

πρηνὴς desertum est? Per hoc autem quod ait pręcipitio crepuit medius: ostendit quod simul vt prodidit, præ nimia animi pusillanimitate & socordia tali fine per desperationẽ vsus est. Verum quum sacra euangelia dicant præfocatione aut suspendio vsum, licet hic præcipitatum fuisse asserat, & quæcũque

E deinceps narrãtur, nihil ex hoc dissonãtię consequitur: vtrũque enim factum est. Confracto nãque funiculo quo præfocatus erat, ita præcipitio in terrã decidit ac crepuit. Interim autem dum hęc post quadraginta dies de eo narrantur, protinus hæc à proditione facta fuisse confirmat.

De Iuda qui fuit dux itineris his, qui comprehẽderunt Iesum, quia annumeratus erat nobiscum, & sortitus erat sortem ministerij huius. Siquidem hic adeptus

πρηνὴς *est prædium de mercede iniquitatis, & pronus crepuit medius, & effusa sunt omnia uiscera eius. Et innotuit omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appellaretur*

F *prædium illud proprio illorum idiomate Hacaldema, hoc est ager sanguinis. Scriptum est enim in libro psalmorum.*

Psal. 108. *Fiat cõmoratio eius deserta, & non sit qui habitet in ea, & episcopatum eius accipiat alter.*

Iudæ interitus. Iudas suspendio è vita non discessit, sed superuixit: deiectus est enim prius, quàm pręfocaretur: idque Apostolorum Acta indicant quod pronus crepuit medius. Hoc autem planius

Papias. scripsit Papias Iohannis apostoli discipulus dicens: Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permãsit Iudas. intantum enim corpore inflatus vt progredi non posset, quum currus leui cursu pertrãsiret, curru cõpressus est, ita vt effunderent eius intestina. ALIO MODO. Corpore enim

adeo

A

adeo inflatus eſt, vt neq; poſſet ꝑgredi qua currus leui curſu pertranſibat, imo ne ſolum quidem capitis tumor. Siquidem & palpebras oculorum eius adeo intumuiſſe ferunt, vt lumen omnino videre non poſſet, oculi vero illius neq; διόπτρας, nempe inſtrumenti medicorum adminiculo apparere poſſent, tanta profunditate ab exteriori aſpectu erant ſeparati: genitale vero illius membrū omnem excedebat obſcœnitatem ac magnitudinem. Porro ſanies ac vermes contumelioſe confluentes ex toto ipſius corpore ferebātur egredientes, per ſola loca ſecretiora. Poſt multa vero tormenta & vltiones, quum in ſuo prędio, vt aiunt, mortuus eſſet, prę fœtore prædium illud deſertum permanſit, & non habitatum vſque in hodiernum diem. Sed neque ad hoc vſque tempus, locum illum quiſquàm præterire poteſt, niſi obturatis manu naribus. Suggerit autem Lucas hoc loco Iudæ ſupplicium, quod ſtatim ſubſecutum eſt. Nam imbecilliorum animæ præſentibus refrenantur potiſſimum. Auxit autem peccatum, vocans eum proditorem: ſupplicium vero, quum hoc etiam illum paſſum eſſe commemorat. Hacaldema autem dictum eſſe, non à Iuda, ſed à Iudæis intendit. Nam ait, Proprio illorum idiomate, nempe Iudæis iniquitatem atteſtantibus.

Quàquam hic habeatur ἰατρικῆς διόπτρας, proprie tamen διόπτρα inſtrumentū eſt nō medicum ſed B *geometricum, cuius uſus eſt ī aſtrolabiis, aliiſque huiuſcemodi īſtrumētis.*

Oportet igitur ut ex his uiris qui nobiſcum uerſati ſunt omni tempore quo intrauit, & exiuit inter nos dominus Ieſus, *exorſus à baptiſmate* Iohannis, *uſque ad eum diem quo aſſumptus eſt à nobis unuſquiſpiam conſtituatur teſtis reſurrectionis eius nobiſcum. Et ſtatuerunt duos,* Ioſeph *qui uocatur* Barſabas, *qui cognominatus eſt iuſtus &* Mathiam, *& orantes dixerunt: Tu domine, qui corda noſti omnium, oſtende utrum ex his duobus elegeris, ut accipiat ſortem miniſterij huius apoſtolatus, unde præuaricatione excidit* Iudas, *progrediens in locum ſuum.*

C

Rem illis communicat, ne in pugnam euadat, & in contentionem incidant. Propterea quoque incipiens, Viri fra-

 tres (inquit)

D tres(inquit)oportet eligi è vobis,multitudini iudicium permittens,simulque & eos qui eligerent venerandos reddens, & seipsum inuidia liberans erga illos:tum quia fieri oportebat, tum quod prophetam inducat dicentem. Episcopatum eius accipiat alter. E quibus autem oportet? ex his qui sui probationem præbuerant tempore quo apud ipsos fuerant congregati. Ideo neque ait, E mansuetis,ne cæteros contristaret,visus contumelia afficere. Addidit autem, *Exorsus à baptismate Iohannis.* Nam quæ ante hoc acta erant nullus ipsorum nouerat, qui didicisset ac præsens fuisset,nisi tantum is qui ipsos elegerat, sed per spiritum discebant. Testem vero dicit resurrectionis. Nam hoc diuinitatis Iesu potissimum erat firmamentum. Siquidem miraculorum eius quæ ante

E passionem edita erant, multi testes erant etiam incredulorum qui viderant. Studebant autem Apostolorum explere numerum, ne præceptoris electio veluti mutila esset & imperfecta. Verum non multos statuerunt, sed solos duos, ne maior causaretur tristitia,multorũ reiectione. Barsabas vero & Ioseph ac Iustus, vel distinctionis nomina sunt vel virtutis. Opportune autem cordium vocãt cognitorem : nec dicunt Elige,sed quem elegeris ostende. Omnia nãque à Deo cognita sunt ac definita, etiam priusquàm animo concipiamus. Sortem præterea appellat,& rem omnem ostendens benignitatis ac electionis esse diuinæ,& veterũ admonẽs,quoniam & leuitas ita sorte elegit. Determinate autem ait Mi-

F nisterij huius : erant enim & alia. Locum vero suum,aut suspendium vocat:hoc est quo sese dignum reddidit Iudas per proditionem,vel quod repulso Iuda,hic suum aut proprium habeat locum accepto illius episcopatu.

Et dederunt sortes ipsorum, ceciditque sors super Mathiã: & suffragijs additus est undecim Apostolis.

Quum nondum perfecti sint, eum qui dignus sit sorte, & non miraculo discunt. Non est autem improbandum quod

Ionæ.1. sorte fit. Nam si de Iona vim habuit,quum abiecti ac prophani homines sortem mitterent, quidnam de sanctis qui rem orationi permittunt sentiendum est? Etenim si sola mens illorum recta iuste negocium direxit, multo magis diuinorum virorum.

Caput

CAPVT. III. *De diuina spiritus sancti superuentione die pē- tecostes facta super eos qui crediderant, in quo etiam Petri doctrina è prophetis continetur, nempe de passione, resurrectione & assumptio- ne Christi donóque spiritus sancti: de fide eorum qui præsentes erant per baptisma, de consensu in communem utilitatem, & appositione credentium.* A

ET quum compleretur dies pentecostes, erāt omnes unanimiter in eodem loco. Et factus est repente de cœlo sonitus tanquàm impe- tu uenientis flatus uehementis, & repleuit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis diuisæ linguæ in modū ignis, seditq; super singulos eo- rum: & repleti sunt omnes spiritu sancto, cœperuntq; loqui aliis linguis. Cap. II. B

Quum cōpleretur dies pentecostes: hoc est circa pētecosten, circa ipsum iam festū: quum tēpus esset maturæ messi spiri- tuali falcē immittere: quādo propter festū multi aderāt, etiā eorū qui ipsum crucifixerāt, & vt acciperēt cędis à se perpe- tratæ increpationē. Repentino autē sonitu, & non insensi- biliter factus est accessus spiritus, & de cœlo: vt subita qui- dem cōsternatione, & magis excitaret, & omnes ad cōcurrē- dum impelleret: sensibiliter vero, vt miraculū confirmaret, quod omni careret calumnia. Nam si hoc etiam facto sonitu per calumniam ad ebrietatē referebant, quid nō dixissent, si ita factum non esset? De cœlo autē propter multū impetum, C siquidē hoc significare vult per vehementē flatum, vt osten- dat opus fuisse eius qui in cœlū assumptus erat. Quēadmodū etiam super mare rubrum flabat vehemens vētus auster. Be- Exod. 14 ne autē in his omnibus, per similitudinē loquutus est, nēpe ὥσπερ, id est tāquā, & ὡσεὶ πυρὸς, id est in modū ignis, ne sen sibile quippiam de spiritu existimetur. Repleuit etiā flatus totam domū, in piscinæ morem implens: quandoquidē pro- missum etiam illis erat: Baptizabimini spiritu sancto & igni, Matth. 3 etiam hoc abundantiæ signum erat, ac vehemētiæ. Ignis ve- Supra. 1 ro non repleuit domum, ne omnes terreret, ac vidētes fuge- re compelleret, & ita nihil testari possent eorum, quæ post- modum acta sunt, sed diuiditur spiritus in linguas igneas,

 residetq;

D resideté; super singulos eorum, nēpe centum & viginti, qui in domo residebant. Siquidem ex vna radice erat gratia paracleti in varia dona diuisa, linguaq; opus erat, quę dei dona declararet ac illustraret, quæ in modum ignis vniuersa repugnantia corriperet. Porro in specie ignis, nam spiritus quoque deus est (deus autem noster ignis consumens est) & vt similitudinem naturæ demonstraret cum patre, qui ita Mosi in rubo apparet. Præterea super singulos sedet, stabilitatem ac permanentiam significās. Dictio enim Sedit, idem significat quod permansit & requieuit. Considera vero quòd apud Iohannē, vt ab vno homine cognosceretur, in modū columbæ videtur, descendēs super caput Christi quando autē multitudinem totam conuerti oportebat, tanquam ignis. Idque poterant Hebræi ex veteri quoque testamēto de deo intelligere quòd ignis consumens esset. Præterea etiam dum discipuli orationi & obsecrationi mutuæq; dilectioni incumberent, tunc venit ad eos spiritus sanctus.

Heb. 12
Iohan. 1.
E
Deut. 4

Prout ipse spiritus dabat eloqui illis.

Erant enim scitæ breuesq; sententiæ, quas linguis variis proferebant.

Erant autem Ierosolymis habitātes Iudæi uiri religiosi ex omni natione eorum qui sunt sub cœlo.

Quòd religiosi essent ex eo ostendit, quòd relictis patriis possessionibus, domibusque dimissis Ierosolyma eligerent habitare, vt iuxta patriam legem ter in anno possent apparere coram domino.

F

Facta uero hac uoce conuenit multitudo, & confusa est, quòd audiret unusquisque lingua sua illos loquētes. Stupebant autem omnes & mirabantur dicentes, inter sese: Nónne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? Et quomodo nos audimus eos propria quisque lingua nostra in qua nati sumus? Parthi & Medi & Elamitæ & habitatores Mesopotamiæ, Iudææq; & Cappadociæ, Ponti & Asiæ, Phrygiæq; & Pāphyliæ, Aegypti & partiū Libyæ eiusquæ est finitima Cyrenæ,

& illic uersātes Romani, Iudæiq; & proselyti, Cretes & Arabes audiuimus eos loquētes nostris linguis magnifica dei. Stupebant autem omnes ac admirabantur alius ad alium dicentes: Quidnam uult hoc esse? A

Confusa est multitudo siue turbata, idque merito: existimabant enim quòd negocium illis facesserent ob ea quę aduersus Christum temere commiserant, ob quę etiam conscientia eorum animas concutiebat. Et homicidæ quidem ita se habebant. Religiosi vero admirabantur, quum illos Galilæos esse cognoscerent, & tamen patriis ipsorum linguis loquerentur. Verum Apostoli quidem nouerant quæ dicerēt, nempe quòd magnifica dei: quibus autem linguis ea loquerentur, non nouerant nisi viri religiosi qui audiebant, puta B Scytha fortassis aut Indus, quòd Scythica aut Indorum lingua Apostoli loquerentur.

Alij autem irridentes dicebant: Musto impleti sunt.

Erant autem & nonnulli eorum qui intelligebant, abiectiores fortassis, qui irridentes, ea quæ fiebant ebrietatis esse dicerent. Nisi enim intelligerent, rem ipsam nequaquam ad ebrietatē calumniantes referrent. Verū dices: Si ipsos loquētes intelligebant, quonā modo irridere audebāt? Sed malitia quę ex nimia prauitate est, à nullo alio q̄ ab ipsa peruersitate procedit: vt quoquo modo inueniat, quo præsens bonum obturbet ac repellat. Quale etiam erat quòd Christo miracula edente, non poterant quidem ambigere circa vim C & efficaciam signorum, sed insanientes rem Beelzebul ascribebant. Gentium autem meminit quæ Iudæis hostes erant, puta Cretum Arabum & aliorum quorum linguis loquentes, signum hoc præbebant, quòd hos omnes fide superaturi essent. Vbique autem sese virtuti admiscet nequitia: pij siquidem admirabantur, alij vero irridebant. Vide autem dementiam irridentium. Musto, inquiunt, impleti sunt. Atqui huius tempus non erat. Siquidem pentecostes tempus erat quando nullum est mustum Mustum nanque dulce vinū est quod ab ipso fluit torculari. Sed & hora tertia erat, quando non est verisimile ebrios esse homines, potissimum qui in periculis & in timore versantur. Omne itaque negocium qualitati

Matth. 12
Lucæ. 11

D qualitati adſcribunt dicẽtes: Muſto impleti ſunt. Improbitas nanque id vnum quærit, vt quoquo modo aliquid dicat, non vt rationabile quippiam dicat. Verùm illud magis admirandum, quomodo illis admirantibus & confitentibus, quũ Iudæi eſſent, Romanis, proſelytis, & iis qui fortaſſis crucifixerant: gentibus propemodum omnibus id prædicantibus, nempe quòd ipſorum loquerentur linguis, inuenti tamen ſint nonnulli qui irriderent. ALIO MODO. Dicere muſto impletos eſſe Apoſtolos eorum eſt, qui à qualitate calumniam ſtruunt. Muſtum enim dulce vinum eſt quod etiam ad inebriandum aptius eſt, lenitate ſeu auiditate ad dulcedinẽ, denſiorem euaporationis repletionem ad concaua cerebri producens. Vtrum autem hi qui irridebant, ea quæ dicebã-
E tur intelligebant an non? Etenim ſi non intelligebant, neque eorum irriſio rationi innitebatur. Vt quid autem angit aliquem vilis quæpiam nugacitas temere prolata? Sed manifeſtum eſt, quod etiam ipſi intelligebant, & maximè coràm habentes eos qui rem miraculo adſcribebãt: & tamẽ ipſi illam malitioſe calumniabantur, vt moris eſt peruerſis. ALIO MODO. Intelligebant quidem, verùm non placebant eis quę dicebantur. Alij enim dicebant eſſe dei magnifica. Multis ſiquidem moris eſt, quibus non arrident quæ dicuntur, vt dicentem inſanire aut deſipere arbitrentur. Quẽadmodum etiam de Chriſto: intelligebant quidem miracula, ſed quum laudare illa oporteret, illi, tanquam in Beelzebul facta eſſent, conuitiabantur.
F

Stans autem Petrus cum undecim extulit uocem ſuam & loquutus eſt illis: Viri Iudæi & qui habitatis Ieruſalem uniuerſi, hoc uobis notum ſit, & auribus percipite uerba mea.

In ſuperioribus quidem ſolicitudinẽ oſtendit, quum multitudini permittit electionẽ eius, qui cum vndecim conſtituendus erat: hic autẽ dicendi libertatem. Atqui id facit neq; beneuolos habẽs auditores, ſed irridẽtes ac ſubſannantes & clamantes: ad hęc quũ ipſe idiota eſſet ac illiteratus. An non ergo factũ eius ſupra hominẽ eſt, quòd videlicet ſilẽtium ruperit ſeu loqui tentauerit? Ait autem, *Cum undecim*, Indicãs

quòd cõmuni voluntate ac voce ipse os omnium erat: adsta-bant enim vndecim tanquã testes eorum quæ dicerẽtur. Vocem autẽ extulit, hoc est, cum multa dicẽdi libertate loquutus est, vt statim ab initio cognoscãt gratiam spiritus. Nã qui ante hoc tẽpus nõ tulit vilis puellę interrogationẽ, hic ĩ medio populi clamãtibus omnibus adeo imperterrite cõcionatur, vt indubitatum sit hoc resurrectionis indicium. A

Non enim sicut uos existimatis hi ebrij sunt.

Non dixit, Sicut vos irridentes dicitis, sed Sicut vos existimatis, benignius tractans sermonẽ: nec aperte volẽs ostẽdere ipsos hoc à malitia dixisse, viã illis pręstruens ad conuersionem ac resipiscentiã: Nam est, inquit, hora diei tertia: Et quid hoc est? an nõ contingit hora tertia ebrium esse? vtiq;: verùm id nõ seruit proposito: neq; enim illi de ipsis ita existimabant, sed conuitiantes atq; irridentes hoc dicebant. B

Nã est hora diei tertia: Sed hoc est quod dictũ fuit per prophetã Ioel. Et erit in nouissimis dieb' dicit dñs. Effundã de spiritu meo super omnẽ carnẽ. Et prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ. Iuuenes uestri uisiões uidebũt, & seniores uestri somnia somniabũt. Et quidẽ super seruos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de spiritu meo & prophetabunt. Et dabo prodigia in cœlo superne, & signa ĩ terra inferne, sanguinem & ignem & uaporem fumi. Sol cõuertetur in tenebras & luna in sanguinẽ, priusquã ueniet dies domini magnus & manifestus. Et cõtinget ꝙ omnis quicunque inuocauerit nomen domini saluus erit. Ioel. 2. C

Hoc attentiores interim illos reddidit. Hora vero tertia hæc esse facta non vulgariter intelligendum est: sed quòd tunc ignis splendor ostenditur, quando eo neq; ad opera vtuntur homines, neq; ad parandum prãdium, quando clarus est dies, quãdo omnes in foro sunt. Deinde Ioel prophetiam subiunxit: nulla Christi facta mentione, aut signorum quorum ipsi fuerãt spectatores, aut ꝙ hęc eius fuerat promissio. Nam si hoc dixisset, omnia subuertisset, ac despectui exposuisset:

D fuiſſet:ſed patrem interim inducit, qui per prophetā hoc illis promiſerat,& inuidiam aufert. Nec ſolis inquit Apoſtolis,ſed omni carni, ſyncere videlicet & ex affectu credenti.
Matt.7. Non enim qui dicit mihi domine domine inquit, ſed qui optima vita hoc facit,non tamē hoc addit:id efficiens vt promiſſionis ſermo minus grauis ſit ac leuior, quaſi ſola vocatio ſufficiat ad ſalutem. Illud vero: *Sol conuertetur in tenebras*, & paulo ante, *Sanguinem & ignem & uaporem fumi:* hæc de futuro ait iudicio. Proprius autem de Ieroſolymis dictū eſt, & de captiuitate quæ tunc facta eſt, præſertim quum etiam
E iuxta Ioſephum multa huiuſmodi præludia facta ſint ante Ieroſolymorum ſubuerſionem. Dicere autem lunam in ſanguinem eſſe conuertendam, cædis deſignat magnitudinem, tanquam luna quum ſit vicinior, poſſit hoc à ſanguinis euaporatione perpeti. Illud ſane: *Priuſquàm ueniet dies domini magnus & manifeſtus*, terrentis eſt & concutientis propter expectata pericula: quandoquidem non dicit: Impune nunc peccate, bono eſtote animo, ſed, Præludia hæc eſſe cognoſcite magni illi° diei ac periculoſi, quo ſequetur operum retributio. Attamen cum minis quandam etiam ſubiungit benignitatem, addens: Et omnis quicunque inuocauerit nomē
Rom.10. domini ſaluus erit. Et hoc quidē Paulus Apoſtolus de Chri
F ſto dictum eſſe ait: nunc vero quum huius non habeat occaſionem, quadam ſermonis diſpenſatione hoc prætermiſit.

De bello Iudaico li. 6. & li. 7. ca. 17. Euſebius lib. 3. hiſto. eccle. cap. 8.

Viri Iſraelitæ audite uerba hæc: Ieſum Nazarenū uirum à deo deſignatum ad uos uirtutibus, prodigiis & ſignis, quæ per ipſum fecit deus in medio ueſtri, ſicut & ipſi ſcitis. Hunc definito conſilio & præſcientia dei traditum quum accepiſſetis, per manus iniquorum crucifixum interemiſtis: quem deus ſuſcitauit ſolutis doloribus mortis, quatenus impoßibile erat illū
Pſal.15. *teneri ab ea. Dauid enim dicit de eo: Prouidebam dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mibi ne commouear. Propter hoc lætatū eſt cor meū, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in*

scet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec sines ut sanctus tuus uideat corruptionē. Notas mihi fecisti uias uitæ, replebis me iucunditate cum facie tua. A

Quoniam in superioribus vehementer eos reprehendit, nunc ipsos exhilarat, non assentando, sed refocillando & requie dignos iudicando. Ideo quoque præfatur, & patris ac progenitoris Dauid meminit, ne conturbet eos quòd Iesum in sermone prætulerit. Quum enim statim prophetam audissent, sustinuerunt. Nam si solum Iesum produxisset homicidis hominibus, statim illos offendisset. Propterea etiam non dixit Credite, sed Audite: vt magis inuidia sermo careret. Ideo quoque de Iesu humilius loquitur. Siquidem *Iesum* inquit *Nazarenum*, nempe à vili abiectáque patria nominans. Deinde *Designatum*, nō de quo nullum haberi posset dubium, sed per opera demonstratum, *quæ per ipsum fecit Deus:* quia à deo erat. Interim enim etsi de[9] fecit, sed per eum, & *in medio uestri* non clàm, néque in angulo, sed vobis testantibus. Quoniam autem ad ipsorum facinus procedebat quod sese per crucem exeruit, ipsos etiam liberare conatur per hoc quod ait, *Definito consilio & præscientia Dei:* simul quidem ostendens vltroneam ipsius passionem, & quòd his quæ definita erant obsequuti sint. Attamen ipsos liberando non omnino sine accusatione relinquit: subdit enim: *Per manus iniquorum interemistis* Siquidem per man[9] iniquorum, nēpe Iudæ ac militum crudeliter inquit interemistis. Nam si hi qui peregerunt, iniqui sunt: etiam ij certe, qui interemerunt. Quum ita sensim illos obiurgasset, sumpta quoque deinceps audacia manifestius eos carpit dicens. *Quem deus suscitauit solutis doloribus mortis:* Hoc est ipsa quoque mors ipsum detinens doluit, & veluti graue aliquid passa est. Vetus namque testamentum ὠδῖνας appellauit, id est, calamitates, vt quū diciur ὠδῖνες, id est, calamitates vel dolores inferni circundederunt me. Per hoc quod addit. *Quatenus impossibile erat illum teneri.* magnitudinem eius demonstrat, & quod amplius non moritur. Ad hæc prophetam etiam Dauid adducit dicentem nō de seipso sed de eo, vt dictum est, hoc est de Christo. Et hic quoque ab humilioribus & iuxta id quod demissius B C Psal. 114

D demiſſius eſt prophetiam propoſuit, tanquam his quibus opus erat introductoriis ſermonib⁹. *Quatenus impoſſibile erat.*
Iohan.10. Ipſe enim dicebat: Nemo tollit animam meam à me, ſed ego à meipſo pono illam, & ego rurſum ſumo eam.

Viri fratres licet apud uos libere dicere de patriarcha Dauid, quòd & defunctus eſt & ſepultus eſt, & ſepulchrũ eius apud nos eſt uſque in hodiernum diem. Propheta igitur quum eſſet, & ſciret quòd iuramento iuraſſet ſibi deus, ut de fructu lumbi ipſius ſederet ſuper thronum ſuum: præſcius quòd Chriſtus ſecundum
E *carnẽ reſurgeret, loquutus eſt de reſurrectione Chriſti, quòd non derelicta ſit anima eius in inferno, neque caro eius uiderit corruptionem.* Hunc Ieſum ſuſcitauit deus, cuius nos omnes teſtes ſumus.

Expleta prophetia aliis rurſum aggreditur procœmiis, *Viri fratres* inquit. Siquidem quum magnum aliquid dicturus ſit, mitiori vſus eſt præfatione, fratres vocans. Quemad-
Infra.7. modum & Stephanus, Fratres & patres Audite. Deinde ait: *Licet libere dicere de patriarcha Dauid.* Quum nullam inferat iniuriam, multa tamen vſus eſt modeſtia. Nam ſi ita ſimplici-
F ter dixiſſet: Hæc de Dauid nõ ſunt dicta, odioſus vtique ſermo apparuiſſet, & iram potius incitaſſet, quàm obſequentes reddidiſſet. Sed multo honore vſus erga beatum Dauid, id efficit vt facile ſuſcipiatur, quòd de Chriſto ſit teſtimonium: & ita omnis hic ſermo diſpenſatoriè ordinatur. Morti ſiquidem ac ſepulchro Dauid nõ addidit quòd nõ reſurrexit, ſed quòd ſepulchrum etiam eius apud nos eſt: quod tantundem eſt ac ſi dixiſſet, Non reſurrexit. Et neque ita venit ad Chriſtum, ſed rurſum laudat Dauid dicens: *Propheta igitur quum eſſet.* vt per honorem quem ipſi eiusque generi exhibet, ſuſcipiant de Chriſti reſurrectione ſermonem. Neque dixit, Promiſit ipſi deus, ſed quod maius erat & incommutabile, Iurauit. Additio vero illa *Secundum carnem,* prædicantis eſt quòd Chriſtus etiam ſit deus, ſemperque cum patre. Omnia autem ad patrem refert, vt interim excipiantur quæ dicuntur. Sed quomodo ſedit ſuper thronum Dauid? Quia regnat

regnat,omnibus Iudæisque ac Gentibus irretitis, siue prædicationis sagina ad eius fidem & cultum attractis. Id etiam quod ait *Neque caro eius uidit corruptionem,* non minus resurrectionis opus manifestat. A

Dextera igitur dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc quod nunc uos uidetis & auditis. Non enim Dauid ascēdit ad cœlos.

Rursum ad patrem refert quod factum est: ita enim nouit auditores attrahere. Dicens autem Exaltatus, etiam de assumptione innuit; & quòd in cœlis sit. Nec tamen manifeste dixit, In cœlis est. Quoniam ergo nunc paulum progressus est,& signorum eius meminit ac resurrectionis,consequenter etiam addit, *Effudit.* Siquidem circa initium patrem dicebat nō Christum hoc promisisse per Ioel prophetam. Postquam autē admirandorū meminit quæ circa Christum facta sunt, audenter iam dicit ipsum effudisse. Itaq; nō de patre dicebat Ioel, sed de Christo. *Promissione,* inquit, *accepta* à patre. Vel qua ipse nobis discipulis promisit dicēs, Et alium paracletum mittam vobis: vel qua pater ante passionem ipsi promisit quum ait: Et glorificaui & rursum glorificabo. Promissionem vero patri attribuit, sermonem attēperans, vt facilius ab auditoribus susciperatur. Quęcunque enim dixerit quispiam, nisi ad id quod vtile est direxerit, frustra & vane dicit: Ostendit ergo quòd ipsum crux non modo non diminuit, verumetiam clariorem reddidit. Nā quod per Iohānem baptistam etiam ante crucem promisit pater, nēpe Ipse vos baptizabit spiritu sancto & igni, hoc post crucem dedit. B Iohā.15.16. Iohan.12. C Matt.3.

Sed dicit ipse: Dixit dominus domino meo sede à dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certo sciat ergo uniuersa domus Israel quòd dominum ac Christum fecit deus hūc Iesum quem uos crucifixistis. Psal.106.

Iam non cum submissione loquitur. Nam ex his quæ dicta sunt sumpsit audaciam. Sed quid ait? quòd Dauid dicit; Dixit dominus domino meo: & ipso Dauid excellentiorem ipsum ostendit. Quòd si Dauid vocat ipsum dominum, multo magis

D to magis ipsi non respuent. Timorem quoque illis immittit addens, *Donec posuero inimicos tuos*. Et ne sibi fides non habeatur, subiectionē patri attribuit. Sed magnifica hæc rursus ad id quod humilius est reducit dicens: *Certo ergo sciat uniuersus Israel quòd & dominum & Christum fecit deus hunc.* Fecit, hoc est, ordinauit ac constituit, sed non quòd ipsam fecerit substātiam. Sublimius autem quodammodo dixisset de Christo & magis consequens ad ea quæ præcesserant: Certo ergo sciat vniuersus Israel quòd à dextris patris sedet.

His autem auditis compuncti sunt corde, dixeruntque ad Petrum ac reliquos Apostolos: Quid faciemus uiri fratres? Petrus autem dixit ad eos.

E Ex eo quòd cum benignitate concionem tractauerit, ad compūctionem eos deduxit. κατενύγησαν vero, hoc est percussi sunt: senserunt enim animam quæ ipsos condemnabat: ideo remissionem quærunt: & mansuete eos fratres vocant quos prius irridebant. Nō dixerunt autem Fratres, quasi per huiusmodi appellationem adæquarentur ipsis, sed quantam erga illos familiaritatem contraxissent ostendentes: & quoniam Petrus quoque ab initio sermonis ita eos vocauerat, inde habebant & ipsi ansam ita eos appellandi.

Resipiscite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi ad remißionē peccatorum: & accipietis donū spiritus sancti. Vobis enim facta est pro-
F *mißio & filiis uestris, omnibusq; qui longe absunt, quotcunque aduocauerit dominus deus noster. Aliisq; uerbis plurimis testificabatur & exhortabatur eos dicens: Seruemini ab hac praua generatione. Itaque qui libenter susceperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt illo die animæ circiter ter mille. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum & cōmunicatione ac fractione panis & orationibus.*

Tanquam os omnium Apostolorum designatus ait: Resipiscite & baptizetur. Nam hoc fundamentum erat credētium in Christum. Hoc ergo primum petit, & postmodum finem

finem ac perfectionem fundamento subiungit dicens, *donum spiritus sancti*, tanquam fide per hæc media demonstrata. Per hoc autem quod ait: *Vobis enim facta est promissio & filiis uestris, omnibusque qui longe ac prope sunt*: ostēdit doni magnitudinem, vt quod non modo ipsis sufficiat, sed & filiis: præterea & gentibus benigne exhibeatur: nam hoc innuit per id quod ait: *His qui longe absunt*, atqui si his qui lōge absunt, multo magis sane vobis qui prope estis. Considera vero quòd tunc gentium fidem innuit, quando compunctos inuenit ac sese condemnantes. Vbi enim seipsam anima condemnauerit, iam inuidere non potest. A

Factus est autē omni animæ timor, multaq; prodigia & signa per Apostolos edebātur. Omnes uero credentes erant coniuncti, & habebant omnia communia: & possessiones ac substantias uendebant, & distribuebāt ea omnibus prout cuique opus erat. Et quotidie perseuerabant unanimiter in templo. B

Neque enim more vulgi desipiebant, sed quoniam Petrus multus erat ac vehemens desuper fluendo siue exhortando, & futura promissionibus ostendendo, merito terrebātur. Nā attestabantur sermoni opera. Quemadmodum enim in Christo primum fuerunt signa, deinde doctrina, rursumque miracula, ita & nunc. Possessiones vero distrahentes ac distribuentes prout cuique opus erat, non temere sed dispensatorie faciebant: nam iuxta cuiusque dignitatem diuidebant. C Præterea quod sequitur, *Perseuerabant unanimiter*, non vno aut altero die fiebat, sed quotidie vt præmisit, idque vno animo. In templo autem residebant credentes, tāquàm studiosiores ac feruentiores effecti, & circa nihil aliud potētes studiū pietatis exercere, q̄ aut circa locum aut circa templum.

Et frangentes iuxta domum panem, simul sumebāt cibum cum exultatione & simplicitate cordis laudantes deum, & habentes gratiam apud omnem plebem. dominus autem addebat qui salui fierent quotidie cōgregationi.

Domum dicit nunc templum, nam in ipso edebant. Dixit

D autem, *Frangentes panem*, vt tenuitas ac simplicitas victus eorum appareat. Panem enim frangentes, vna cibum sumebant, at genio non indulgebant: ita vitam fidei conformem reddebant: Ita se mutuo diligentes gratiam habebant apud omnem plebem. Nam licet pôtifices præ inuidia in eos insurgerent, gratiam tamen apud plebem habebãt. Hoc autê efficiebatur per eleemosynam, puramque conuersationem. *In simplicitate cordis*, hoc est in modestia & frugalitate, nihil sublime de se sentientes in bonis actionibus ac eleemosynis quas præstabant: quod maxime Iudaicum erat, veluti ex ia-
Luc.18. ctabundo pharisæo manifestum est.

CAPVT. IIII. *De claudi à natiuitate cura Christi uirtute fa-*
E *cta, electaq; Petri instructione in qua sese demittit, & consilium ad illorum salutem adducit: in quo etiam subditur pontificum animaduersio zelo eius quod factum erat, & de miraculo decertatio.*

Cap.III. *Simul autem Petrus & Iohannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.*

Iohan.13. Magna est horum duorum vnanimitas & amicitia. Nam
Io.20.21. huic innuit Petr⁹ in domini passione vt præceptorem interrogaret. Rursumque ad sepulchrum simul currunt. Et item de hoc ait Petrus Christo: Hic autem quid? Ascendebant au
F tem in templum, non tanquàm adhuc Iudaizantes, sed vtiliter sese demittentes hoc faciebant: vtq; curato claudo in têplo omnes haberent testes quotcunq; venissent. Multi enim ibi versabantur ob loci reuerentiam. Per hoc autem quod horam significat, docet quòd precibus semper incumbebant. Meminit vero & templi, vt vtroque, tempore inquam & loco, quæ scribit confirmet. Quum autem multa edita sint ab Apostolis miracula, prout superius meminit Lucas qui hæc scribit, nullius illorum nominatim fecit mêtionem: sed illud tantum scribit quo omnes moti sunt. Nam illa fortassis etiam contemnebantur, eo quòd parua viderêtur. Aut etiam, quia historia hæc non arrogantiæ gratiâ ab ipso elaborata est.

Et quidê uir, qui claudus erat ab utero matris suæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi quæ dicebatur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab intro-

ab introeuntibus in templum, Is quum uidisset Petrum A
& Iohannem ingressuros in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Defixis autem in eum oculis Petrus cum Iohanne dixit, Aspice in nos. At ille intendebat in eos sperans se aliquid accepturum ab eis. Dixit autem Petrus.

Quomodo claudi nomen nõ ponit? Quia neque illud nouerant Apostoli. Homo namque penitus ipsis ignotus erat: idque vt neque obsequij aut affectionis gratia sanitates perficere videãtur, neque vlla fictionis suspicio etiam apud eos qui impudendissimi sunt exoriri possit, quod in gratiã Apostolorum quidã ipsis noti confingerent peractas circa se sanitates. B Quomodo ergo nomen non interrogabant post datam sanitatem? Quia ocium ipsis non erat vt vacarent circa ea quæ nihil conferebant. Verum quomodo illum non adduxerunt ad Christum vt sanaretur? Fortassis increduli quidam erant qui iuxta templum residebant aut in eo ministrabant: vbi neque ad Apostolos ipsum adduxerunt, quũ illos ingredi viderent & quòd talia edidissent miracula. Quod claudus esset ab vtero matris id omnibus notum erat qui in tẽplo degebant: ideo etiam quum hoc ita esse cunctis manifestũ esset, neque cura illis fuit de nomine domini ipsius, ad hoc vt ipsum ab illo appellantes nobis significarent, sed de sola eius imbecillitate, eiusque appellatione: & hæc ægritudo ac C damnum factum est ipsi nomen ad præcipuum notumque indicium. Quum autem multa ab Apostolis ederẽtur miracula veluti diximus, eum ad ipsos non adduxerunt Iudæi, siue quòd Christo inuiderent, siue propter incredulitatẽ: nõdũ enim eos arbitrabantur posse operari tãtum miraculum.

Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do.

Hoc ipsorum omnimodam auri inopiam demõstrat. Neque enim, quemadmodum nos frequenter dicimus, hoc loco aut hoc tempore non habeo: ita & ipse: sed, *Non est mihi:* significans omnino se non possidere aurum.

In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.

D *Et apprehensa manu eius dextera erexit eum. Protinus autem consolidatæ sunt plãtæ illius ac tali, & exiliens stetit & ambulabat. Et ingressus est, cum eis in tẽplum inambulans ac saliens laudansq́; deum. Et uidit eum uniuersus populus inambulantem ac laudantem deũ. Agnoueruntq́; illũ ꝙ ipse esset is, qui ad eleemosynã sedebat ad speciosam portã tẽpli. Et impleti sunt admiratione & stupore super eo quod contigerat illi.*

Quod Christus frequẽter propter imperfectiores faciebat non solo sermone curans, sed & tactu: hoc nũc & Petrus
E facit: simulque per hoc quòd erigit, resurrectionis cõfirmat mysterium: & ne videatur factum ab eo, qui nõ rogatus sese vltroneus ingessisset. Erectus autem faciebat, vel facti adhuc incredulus, & tentans ad cautiorem & firmiorem gressum: aut quia ne ambulare quidem nouerat. Additum vero
Ioan. 9. est, *Agnouerunt illum:* quasi iam propter miraculum ignot⁹ esset Simile quoq; accidit de cæco à natiuitate. Solemus autẽ & nos hac vti dictione, ἐπιγινώσκω in his quæ vix cognoscuntur. *Inambulans ac saliens:* quasi iam propropter saltum propemodũ ignoraretur is, qui paulò antè adeo tardus erat, vt ad progressum, aliorum egeret auxilio.

Quum teneret autẽ claudus qui sanatus fuerat Pe-
F *trum & Iohannem, cucurrit ad eos totus populus stupefactus ad porticũ, quæ dicebatur Solomonis. Intuitus autem Petrus respondit ad populum.*

Tenebat Apostolos post redditam sanitatem, vel beneuolentia, vel quasi plausum & fauorem illis concilians, vel omnibus ostendẽs eos qui se sanauerant. Aut suspicatus, quòd si ab eis relinqueretur, rursum à pristino naturæ vitio corriperetur. Arbitrabatur enĩ se eatenus morbo liberatũ esse, dũ ipsos teneret, & ab eis cõtrectareĩ: maximè ꝙ Petrus ita illũ erigẽdo curauerat. *Ad porticũ quæ dicebatur Solomonis:* Sola hęc portic⁹ supererat à Solomonis ædificatione. Exusserat enĩ tẽplũ Nabugodonosor: rursũq́; ædificare iusserat Cyr⁹ Persa.

Viri Israelitæ quid admiramini super hoc? aut nos
quid

quid defixis oculis intuemini, quaſi propria potentia A
aut religione effecerimus ut hic ambularet.

Ipſius Iſrael appellatio duarũ rerum ſuggerit intellectũ,
nẽpe laudis à Iaacob cui ob dei obedientiã appellatio Iſrael
adaptata eſt, ab inferioribus detractis ad ſublimia, cœleſtia,
diuina ac intelligibilia: & accuſationis ſeminis eius ab exitu
ex Aegypto, quod nunquam perſuaderi poterat, plenũ ſem-
per iritationis. Ex vtroq; ergo nomẽ Iſrael illis tribuit: hinc
videlicet erubeſcentiam, ꝙ deo non pareant, vt progenitor
eorũ fecerat: illinc etiã perditionẽ, vt qui Aegyptũ egreſſi
ſunt, nec ad promiſſam ſeruati ſunt hæreditatẽ. Quorũ duo-
rum reminiſcentia per nomen Iſrael facta, huius quidẽ præ- B
bebit æmulationem, illorũ vero imitationis fugã, timore ſi-
milis perditionis: ex attentione eorũ quæ dicenda ſunt. Hęc
autem concio maiori dicendi libertate plena eſt: non ꝙ in
priori terreretur, ſed quoniam quũ illi ſæui eſſent & impro-
bi, nequaquam tuliſſent. Deinde illam quidem incipiẽs, per
prooemium attentionem in illis efficit dicens: Hoc vobis no
tum ſit, & auribus percipite verba mea: hic vero tali præpa-
ratione non opus eſt, neq; enim torpebant, ſed ſignũ in clau
do factũ omnes reddidit attentos, & timoris ac conſterna-
tionis plenos effecit. Vide autẽ quomodo repellẽs ſuam ip-
ſorũ gloriam quam ſignis aſſequuti erant, nihil magni de ſe-
ipſis loquitur. Siquidẽ qui modeſte ſentit de præclaris ſuis C
operibus, magis attrahit auditorẽ. Ideò quoq; ipſi contẽpta
humana gloria ſeipſos amplius glorificabant, nõ humanum,
ſed diuinũ, eſſe demõſtrantes quod factum erat. *Quaſi pro-
pria potentia.* Animaduerte, ꝙ ait non potentia humana hũc
ſaluum factum eſſe, ſed diuina. Nazaræus igitur deus eſt cu
ius nomen illum curauit.

*Deus Abraham & Iſaac & Iaacob deus patrũ no-
ſtrorũ glorificauit filium ſuũ Ieſum, quem uos tradidi-
ſtis, ac negaſtis ipſum corã Pilato, quũ ille abſoluendũ
iudicaſſet. Vos autem ſanctum & iuſtum negaſtis, &
poſtulaſtis ut uirum homicidam donaret uobis, autorẽ
uero uitæ interfeciſtis quem deus ſuſcitauit à mortuis,
cuius nos teſtes ſumus.*

D Adhuc humilioribus hęret tã in his quę ipsos concernũt, q̃ quæ Christũ respiciunt. Ipsos quidẽ dum ait ꝙ nõ propria potentia ediderint miraculũ. Christũ vero, addendo Glorificauit filiũ suum, neq; enim contingit vt gloriæ additamẽtũ accipiat q ex se glorificatus est. Vbi ergo demisit tã id quod seipsos cõcernit q̃ quod Christum: facinus adauget Iudæorum aduersus Christũ: neq; illud inumbrat vt prius. Hoc autem facit magis illos allicere volens. Nã quanto magis ipsos ostendit obnoxios, tãto amplius illud succedit. Per hoc aũt, *Quem uos tradidistis & neg.astis.* duæ ponuntur accusationes.

Iohan. 18. & 19. Siquidẽ Pilato ad cædẽ tradiderunt dicentes, Nobis nõ licet interficere quenquã. Negauerunt autẽ clamantes, Nõ habemus regẽ præter Cæsarẽ.

E Atqui sane quũ etiam Pilatus gentilis, qui neque signa à Christo viderat, neque prophetas de Christo audierat, vellet tamen ipsum absoluere: ipsi qui & Christũ miracula edentẽ conspexerant, & notitiã habebant prophetarũ in his quæ illis de ipso dixerant: nõ tamen ad eũ adducti sunt. Dicens vero, *Homicidam postulastis,* efficaciter probat, ꝙ Christũ potuerint absoluere. Nã si homicidã absolui fecerunt qui longe amplius obnoxius erat, an nõ certe longe facilius potuissent eũ absoluere qui crimine carebat? Nunc autẽ ediuerso obnoxium quidẽ liberarunt, insontem vero vt interimeretur tradiderunt. Præterea dicendo. *Autorem uitæ,* ostẽdit ꝙ seipsum suscitauerit ipse Christus.

F Resurrectionẽ vero non prophetarum confirmat testimoniis, sed choro Apostolorum qui ipsis fidedign⁹ erat. Deinde vero postquàm efferendo crimen eorum, vehementer contristauit, rursum remittit, ad pœnitentiam illos inuitans: ꝙ ex ignorantia & insipientia peccauerint, ꝙ illud quod ab initio constitutum erat ac prophetarum oraculo prædictum, non potuerit euitari. Vbi vero hucusq; processit, iam etiã palàm cogendo inducit ad suscipiendam pœnitentiam, tum ad abolitionem delictorum, tum ad delicias fruitionemque æternorum bonorum, quæ per pœnitentiam bonorúmque operationem percipiuntur.

Et ob fidem nominis eius hunc quem uos uidetis, & nostis consolidauit nomen ipsius.

Hoc est, quid dico quod qui credidit in nomĩe eius cõsolidatus sit? imò etiam priusquàm crederet, nomen tantum,

inuocatum

inuocatum consolidauit illū, tanta manat nomen illius gratia: nondū enim crediderat, sed sola nominis inuocatio rem omnem peregit. A

Et fides quæ per eum est, dedit ipsi integritatem istam in conspectu omnium uestrum.

Quę autem sit fides quæ per eum est, ipse declarat vbi ait: Vt cognoscant te solum verum Deum &c. Nequis enim dicat: Itaque etiam si infidelis inuocet nomen ipsius, etiam si in curatione increduli id fiat, nihilo minus salus subsequetur, si sola nominis inuocatio consolidauit hunc. Ne quis ergo hoc dicat, subiunxit: *Et fides quæ per eum est:* hoc est, magnum quidē est nomen, & à quo emanant sanitates, sed opus est etiam animabus quæ gratia dignæ haberi possint. Siquidem nomen ab infidelibus inuocatum, quum is etiam qui salute eget permansurus est incredulus, nequaquam suum sortietur effectum. Dicere itaque, Nomen ipsius consolidauit istum, sublime ac perfectum est, & Iudęos exacerbauit: illud vero, Fides quæ per eum est, humilę. Ipse autem partim quidem ex rei natura sermonē distribuit, partim vero iuxta auditorum affectum & potentiam, humilia permiscens sublimibus, quo facilius sermo excipiatur. Iohan. 17 B

Et nunc fratres noui quòd per ignorantiam feceritis sicut & principes uestri. Deus autem quæ prænunciauerat per os omnium suorum prophetarum passurum esse Christum, compleuit hoc modo. Resipiscite igitur, & conuertimini quo deleantur peccata uestra: ut ✱ ueniant tempora refrigerationis à conspectu domini. C

✱ Quidā pro ὅπως ἂν uertas Tātisper dum, ut sit sensus Quo deleātur peccata uestra, tātisper-

Noui inquit quòd per ignorantiam feceritis, eo quòd plures vestrum videam conuerti, & saluos fieri. Siquidem nonerat quòd non ignoranter fecissent, sed ita dicebat, ostium illis pœnitentiæ aperiens. Ideo ait: Resipiscite, non de commissis in cruce (nam de illis prædixit quòd per ignorantiam facta essent) sed de aliis delictis. Dicens autem, *Tempora refrigerationis*, futurum ostendit vt in multas miserias inci-

 dant, &

per dū D dant, & bellis vastentur: hic enim sermo ad eum qui deplo-
ueniant tē randus est, cupitque consolationem, aptari potest. *Vt ueniant*
pora refri *tempora refrigerationis* inquit. Vt temporibus videlicet re-
geratio- frigerationis refocillarentur: quæ à conspectu domini, siue
nis. diuina & paterna substantia dicit adducenda. Neque enim verisimile erat eos, qui per passionem in filium iniurij fuerant, non accepturos dignam vltionem, quam etiam à Romanis nacti sunt militibus per Vespasianū & Titum, ij qui Iudaicam aduersus Christum insaniam exercuerant. Neque solum propria politia destituti sunt, verùm etiam post suæ metropolis, templique euersionem, vitam quoque ducunt erraticam toto mundo dispersi: & vsque ad huius mortalis vitæ consummationem ita perdurantes, nunquam refrige-
E rationem consequentur. In eo enim Christi de cœlis aduentu vnicuique iuxta labores condigna rependet præmia. Horum autem quæ tunc futura sunt, cognitionem Iudæis nunc proponit, vt horum timore pœnitentiam magis strennue arripiant.

Mittátque eum, qui ante prædicatus est uobis, Iesum Christum, quem oportet quidem cœlo suscipi usque ad tempora instaurationis omnium quæ loquutus est Deus per os omnium sanctorum suorum, à seculo prophetarum.

Vide quomodo ordine procedat. In priori siquidem con
F cione resurrectionem, ac in cœlis sessionem innuit. hic autem manifestum etiam aduētum, quem vocat tempus refrigerationis, per quod significat tempora resurrectionis:
2.Cor.5. quæ & Paulus inquirit dicens: Et nos qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati. Nihil autem vetat vt dicat quispiam tempora refrigerationis ea esse, quæ sequuta sunt Ierosolymorum expugnationem. Siquidem dies afflictionis illorum, & quibus in captiuitatem ducebantur, pro-
Mat.24. pter electos abbreuiauit Christus, vt credētes inueniant refrigerium, & seruentur à vehementi illa miseria & necessitate. Superius autem dicens, Deus autem quæ prænunciauerat, non ponit scripturæ testimonium de crucifixione, quia singula illa cum multis ipsorum accusationibus, ac supplicio

plicio aduersus illos dicta sunt, nec voluit omnino eos contristare. Simplicius vero vsus est his quæ de Christo erant, sermonem iuxta auditorum humilitatem dispensans. Nam missio domini à cœlo ad id adducta est, quod in eo visibile erat siue humanum: in cœlum vero susceptio, in futurum refertur. *Quem oportet cœlo suscipi* inquit. Atqui iam susceptus est tempore assumptionis. Sed hoc potius vsus est sermone, quàm qui magis proprius esset, tanquam videlicet magis eo assuetus: vt quum in sua epistola de Christo loquitur: Accipiens enim à Deo patre potestatem voce ad eum delapsa de cœlo. Exigit enim sermonis cõtextus, vt Accipiens pro Accepit sumatur, vt intellectus exprimatur. Hoc itaque etiam in loco, Quem oportet suscipi, Oportet, pro Oportebat positum est. Aut quoniam eius in cœlum assumptio non ab omnibus conspecta est propriis oculis, finit eos interim sua vti suspitione. Dicendo tamen cœlum ad eius qui missus erat susceptionem paratum esse, his qui vigenti magis sunt ingenio, demonstrauit per hoc quod ait, Quem oportet cœlo suscipi, quòd, quum filius sit & coæternus Deo patri & à patre missus, à quo vt mediator & arbiter constitutus est, tanquam patris filius & vnigenitus, etiam indubitatò ad cœlum redeat: vt qui ex cœlo descenderat, rursumq; in paternas ædes nullo prohibente suscipiatur: & ibidem vnde iuxta dispensationem ad hæc inferiora venerat, iterato in sede collocetur: vt filius ac cœlestis cõfirmetur, vtque demonstretur eũdem rursum tanquam approbatum à cœlo venturum. Præterea vt hæc manifestius nota sint, ad Mosen ac prophetas remittit. Moses quidem ait: Prophetam suscitabit vobis dominus Deus noster mei similem. Et Dauid eius de cœlo descensionem assimilat pluuiæ descendenti in vellus. Deinde ipsos ad prophetas transmissos iterum consolatur, tanquam constitutos, qui nascerentur filij obedientes prophetarum, & si non natura, tamen gratia per munificentiam largientis. Habet namque & filium natura: verum magnum est discrimen eius, qui natura filius est ad eos qui sunt adoptione filij. Hi enim spirituali prophetarum filiatione adoptati sunt, ille vero naturali dispositione filiationem obtinet. ALIO MODO. Illud quidem, *Quem oportet suscipi,* positum est ac si diceretur: Necesse est ipsum suscipi, vt qui sane Deus sit. Quo-

A 2. Pet. 2. B C Deut. 18. Psal. 71.

D sit. Quomodo ergo non dixit, Quem cœlum suscepit? Hoc tanquàm de superioribus temporibus differés loquitur. Cæterum quod ait. *Vsque ad tempora instaurationis*, causam manifestat quare nũc adhuc non veniat. Oportet (inquit) instaurari, & ad terminum venire vniuersa, & tunc veniet.

Moses siquidem ad patres dixit: Prophetam suscita
Deut. 18. *bit uobis dominus Deus noster è fratribus uestris mei similem ipsum audietis iuxta omnia quæ locutus fuerit uobis. Continget autem. Omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur è populo.*

Quid illud est, Mei similem? Nascitur Christus in Bethlehem, & Moses in Aegypto: ille Israelita, sicut etiam hic iuxta carnem: ille è genere sacerdotali, veluti Christus ex Dauid propter virginem: Pharao illum persequitur, hunc Herodes: infantes occidit ille, infantes & hic interimit, & vterque masculos: per matrem seruatur ille, per matrem & cum matre seruatus est & hic: in capsula ille & ad ripam fluminis, hic etiã in Lyco Aegypti ciuitate iuxta idem flumen: ab aliena ille nẽpe filia Pharaonis nutritus est, & hic in aliena ciuitate, quæ Pharaoni subiecta fuerat. Hæc autem dixerim non dominum seruo conferens, sed locum & tempus assimilans, & veritatem in vmbra describens.
E

Omnes quoque prophetæ à Samuele, & deinceps
F *quotquot loquuti sunt, etiam annũciauerunt dies istos.*

Etiam hic subaudiendum est. Ad patres nostros, vt sit sensus. Omnes quoq; quotquot loquuti sunt ad patres nostros.

Vos estis filij prophetarum & testamenti, quod testatus est Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham:
Gene. 22. *Et per semen tuum benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primum Deus suscitato filio suo Iesum, misit eũ qui benediceret uobis, dum cõuerteremini unusquisque à malitijs uestris.*

Vos estis filii prophetarum, hoc est ne timeatis, neque existimetis vos alienos esse à promissionibus: vos estis filij prophetarum,

phetarum, itaque vobis dicebant, & propter vos hæc facta A
sunt. Vos quidem estis filij prophetarum, ipse verò filius ἐπιμερί-
Dei est, qui participauit in se patris substantiam, ac seipsum σας κα-
aliis participandum dedit. *Vos estis filii prophetarum & te-* τὰ τὴν
stamenti. Filij, hoc est, hæredes: Nam si filius, & hæres. hæ- οὐσίαν
redes vero non recenter inscripti, sed tanquam filij. Et vt τὸν πα-
ostendat quod quantum est ex adoptione, vtique si velint. τέρα ἐκεί-
hæredes sunt, & ipsi tanquam filij: ideo etiam vt filiis inquit νοις δὲ καὶ
misit filium. Misit quidem & aliis, sed vobis primum: neque ἑαυτόν.
id tantum, sed primum quidem & precipue vobis, qui tamen Gala. 4.
eum crucifixistis & interemistis. Et quando misit? non nunc
solum, sed & ante passionem priusquam tãtum facinus per-
petratum esset, & post resurrectionem. Vnde ait: *Suscitato fi-
lio suo misit eum.* Quo tandem fine? vt benediceret ac saluaret B
vos, si sane etiam ipsi conuerti velitis, à malis vestris.

Loquentibus autem illis ad populum, superuenerunt eis sacerdotes, ac dux templi & Sadducæi, dolentes, eo quòd docerent populum, & annunciarẽt per Iesum resurrectionem mortuorum: & iniecerunt eis manus, posuerúntque eos in custodiã in posterũ diem: erat enim iam uespera. Multi autem ex eis qui audierant sermonem, crediderunt. Cap. IIII.

Vide quo modo res disponãtur. Primum omnes simul ir-
risi sunt, deinde in concionibus celebres effecti, quum etiam C
grande edidissent miraculum: ita iam tandem postquam li-
bere loquuti fuissent, permittente Deo in pericula incidunt,
ac certaminibus tanguntur. Considera vero Iudęorum pro-
gressum ac crementum ad crudelitatem, nempe quòd qui
prius in Christo capiendo proditorem quærebant, nunc
ipsi manus iniiciunt, audaciores facti post passionem, ha-
bebant enim ducem: vt his quæ facta essent publicum rur-
sus crimen affigerent, nec propriam vlcisci viderentur in-
iuriam, quod vbique facere nituntur. Coràm multitudi-
ne autem Apostolos vinxerunt, vt eos etiam qui viderent
timidiores redderent. Sed contrarium accidit: Nam multi
ex his qui audierant sermonem crediderũt. Vides manifeste
diuinam

D diuinam efficaciam? Atqui eos etiam qui crediderant oportuit reddi imbecilliores: sed Petri concio, diuino adiuta spiritu, ipsas eorum animas tetigerat. Priuatim autem interrogant, ne ex ipsorum libertate loquendi, auditores lucrum reportarent.

Et factus est numerus uirorum circiter quinque millium. Accidit autem postero die ut congregarentur principes & seniores ac scribæ Ierosolymis, simulque Annas princeps sacerdotum ac Caiphas, Iohannésque ac Alexander & quotquot erant é genere sacerdotali: ipsosq; in medio positos interrogabant.

E *Quinque millia.* Ob hoc enim prædixerat de quinq; millibus. Mat. 14 Date illis vos quod edant: hoc est, vos etiam postmodum quinque millia fide saturate.

Qua potentia aut quo nomine fecistis hoc uos? Tūc Petrus repletus spiritu sancto dixit ad eos:

Atqui sciebant: dolentes enim quòd annunciarēt per Iesum resurrectionē tenuerunt eos: interrogabant tamen, existimantes eos iudicium ac multitudinem veritos, esse negaturos, totumque negocium per hoc corrigendum arbitrantes. Vide autem quàm subdole interrogant. Malebant enim Apostolos fateri suum esse opus, quàm potentiæ Christi. Et aduerte quòd neque nominare volebant claudi sanitatem, F neque enim dicunt quidnam sit, sed *Fecistis hoc.* Illi vero hos quidem cum honore nominarunt dicentes principes populi: vbi autem ad rem venerunt, non abstinuerunt ab accusatione quæ opportuna esset. Aiunt enim: Nos quidem tanquam bene meritos maxime coronari oportuit. Verū quoniam iudicamur seu examinamur, notum sit vniuerso populo. hoc enim magis eos contristabat.

Principes populi & seniores Israel, si nos hodie examinamur super beneficio homini infirmo præstito, per quod hic saluus factus est, notum sit uobis & uniuerso populo Israel: quòd per nomen Iesu Christi Nazareni, quem uos crucifixistis, quem deus suscitauit à

mortuis:

mortuis: per hoc, inquam, iste adstat coram uobis sanus. Hic *est ille lapis qui reiectus est à uobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est per ullum alium salus.* Neque *enim est aliud nomen datum hominibus sub cœlo, per quod oporteat nos saluos fieri. Videntes autem Petri ac Iohannis in dicendo constantiam, compertóque quòd homines essent illiterati & idiotæ, mirabantur, & agnoscebant eos quòd cum Iesu fuißent, hominem autem uidentes stantem cum eis qui sanatus fuerat, nihil poterant contradicere.* A

Principes populi, quantum ad magistratum in popularem turbam. *Seniores Israel,* quantum ad intelligentiam ac peritiam docendi populum qui à terrenis ad diuiniora subleuatur. Nam in duo diuisit cœtum auditorum, tanquàm hi non ex æquo possint intelligere quæ dicuntur: sed quibusdam leuiter quodammodo auscultantibus quæ proferuntur, alij sanè profundius ac efficacius animo reponunt quæ nunciantur. Quoniam ergo tanquam curam gerētes muneris ad quod electi estis, voluistis nos hodie examinate, qui beneficium infirmo homini contulimus: & non potius ex ipso opere venerationem cum admiratione illi tribuitis, cuius nomine tantum bonum effectum est: quoniam inquam in tantum errorem incidistis, quid aliud hinc agendum est, quàm vt nos à profundo sopore vos excitemus, dicentes & vobis & plebi quòd per hoc nomen id effecerimus? Nomen autē vocat hoc loco opinionem quæ de eo habetur & gloriam, quemadmodum etiam Psalmographus dum ait, Quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Quæ opinio adeo vilis apud vos effecta est, vt non solum venerādus non sit iudicatus, verumetiam eum qui tale nomen habet, maleficorum morti subieceritis. Nazarenum autem eum vocat à loco in quo illum esse natum suspicabantur: & hic quoque in humilioribus quæ de Christo sunt versatur, vt manifestius reddat quòd veræ gloriæ nihil officiat abiectio quæ est apud homines, si modo sit qui rem acutius perspiciat. Ideo quoq; in eorum confusionem ad quos erat sermo, vbi dixisset, *Crucifixistis,* B C Psal. 8

D *cifixiſtis*, ſtatim addit, *Suſcitauit à mortuis.* Quis ſuſcitauit?
Deus, Quoniam enim vobis eius opinioni ac gloriæ inuidẽ-
tibus, placuit abolere morte infandis debita, eam quæ à mira
culis illi creſcebat gloriam. (Nam iccirco dicebant, Quid fa
Iohan.11 cimus quia hic homo multa ſigna facit) cruci quidem veſtræ
reſurrectionem oppoſuit. Quis? deus qui ſuſcitauit eum: Pa-
tri ſiquidem reſurrectionem attribuit, & quia omne diuinũ
opus commune eſt, præter illa quæ viuificæ trinitatis perſo-
nas deſignant: & vt hinc quoque illos deo aduerſari oſten-
dat: nondum enim temporis occaſio ſinebat, vt ita nude di-
ceret propria potentia eum reſurrexiſſe, potiſſimũ apud ho-
Roma.9. mines qui ſua ſtabilire nitebantur, & ideo dei iuſtitiæ non
erant ſubiecti. *Per hoc ergo nomẽ* (ait Petrus) *iſte adſtat ſanus:*
E Verbo Adſtat, ſubindicat Erectus eſt. Et quod ait, *Hic eſt la-
pis*, non ad claudum refertur, ſed ad Ieſum Chriſtum cuius
nomine roboratus eſt claudus. Qui lapis à vobis quidem
ædificium ordinantibus reprobatus eſt, factus eſt autem in
caput anguli in ædificio fidei, vtrunque coniungens parie-
tem, nempe Iudaicum populum atque gentilem, in vnius fi-
dei concordiam. Conſidera vero quòd etiam id quod ſequi-
tur, *Per alium non eſt ſalus*, Pſalmiſtæ explanat oraculum quo
dicitur, A domino factus eſt iſte, tanquam copula ac coniũ-
ctio ſalutaris, id indicans quòd omnis homo à nullo alio
quàm à ſolo angulari lapide factus eſt. *Neque aliud ullum no-
men eſt*, hoc eſt veneranda gloria niſi ſola hæc fides in Chri
ſtum lapidem angularem, quæ potens eſt omnem aliam ob-
F ſcurare fidem, vt in qua ſola datum eſt ſalutare.

CAP. V. *De increduiis pontificibus qui iubebant ne in nomine Chriſti palàm loquerentur, & redintegratione Apoſtolorum: de eccleſiæ gratiarum actione ob fidei Apoſtolorum conſtantiam: de unanimitate & uniuerſali communione credentium.* In quo etiam de A- *nania & Sapphira acerbaq; eorum morte continetur.*



*Vum autem iuſſiſſent illos è cõſilio ſecede-
re, conferebant mutuo dicentes: Quid fa-
ciemus his hominibus? Siquidem cõſpicuum
ſignum editum eſſe per eos, omnibus habi-
tantibus Ieruſalem manifeſtum eſt, nec poſſumus ne-
gare.*

gare. Sed ne ulterius dispergatur in populum, minis A
interminemur ipsis, ne deinceps loquantur de nomine hoc ulli hominum. Quumq; uocassent eos, praeceperunt ne omnino loquerentur aut docerent de nomine Iesu. Petrus uero & Iohannes dixerunt ad eos: An iustum sit coram deo uos audire magis, quàm deum, iudicate. Nō possumus enim quae uidimus & audiuimus nō loqui. At illi additis minis dimiserunt eos, non inuenientes quonam modo illos punirent propter populum, quòd omnes glorificarent deum super eo quod acciderat. Erat enim plus quàm quadraginta annorum ho- B
mo in quo editum erat signum hoc sanationis. Dimissi autem uenerunt ad suos.

Quum à prioribus afflictionibus nondū respirassent Apostoli, dispensatione quadam in alias incidebant. Siquidem primum subsannati sunt omnes tanquàm ebrij, habita suspitione ob efficaciam ignotarum illis linguarum. Secundo in pericula incidunt. Hęc tamen non sese statim subsequuntur, sed primum concionibus collaudati, & per claudi miraculum ad dicendi libertatem velut exercitati, deo potissimum permittente, hinc certaminibus tanguntur. Tu vero Iudęorum technas malosque nisus hinc mihi considera. In Chri-
sto enim quaerebant qui eum traderet, hic autem ipsimet C
iniiciunt manus, confidentiores iam ac audaciores post crucem effecti, quum etiam templi duce ad temerarium facinus vsi sint, ad publicum crimen facta inuertentes, & non ad priuatas vlciscendū iniuras, prout illis moris erat. Neque rectà ad incurrendum in Apostolos tetenderunt, nempe appetente vespera: quae Iudaeis quidem fauit vt ad malos conatus temporis spacio iuuarentur, in metum cohiiciendo Apostolos per custodiam, & hinc emollire eos prouide cogitando: Apostolis vero mora, dei dispensatione ordinata est; vt fierent audentiores. Quinimo coram multitudine eos vinxisse, clam vero examinare, summi doli erat: quo terrerent eos qui coram multitudine vincirentur, & sub tribunali examinarentur;

D minarentur,videlicet tanquàm transgressores. Seorsim vero ne dicendi libertate, spectatores quod sanius est eligerent, etiam ob eorum qui examinarentur admirationem ac miraculum. Per quam vero potestatem,quanquam scientes,interrogant (quomodo enim ignorare poterãt qui propterea eos tenuerant quod Christi resurrectionem annunciarent? existimantes eos timore tribunalis negaturos: & quasi, ipsis ita interrogantibus,negocium omne successurum esset. *Fecistis* autem dicunt,nempe Qua potestate fecistis, tanquam ipsorũ non Christi potestate peractum esset. Sed neque nominatim claudum dixerunt: ex hoc enim adeo angebantur,vt neque curam nominare vellent. Ideo respondit Petrus: Nomine Iesu Christi Nazareni quem vos crucifixistis, cum abiecta
E patria & passionem dicens & resurrectionem. Prædicamus, inquit,humilia,propter eximiam resurrectionem gloriãtes. Vbi autem his sermonibus eos stimulasset,adiungit etiã quę à scriptura sunt, lapidem dicens angularem,& si quid antea de hac re à nobis tractatũ est. Considera vero,quòd vbi docere opportunum est etiam prophetias adducũt, vt in priori concione: quando autem solum libere loqui, sententiam ferunt: Neque enim est aliud nomen datum, inquit. Et quid hoc sit iam dictum est. Verum Apostolos non ducunt ad Pilatum quemadmodum Christum,sed ipsi iudicant:imprimis quidem rubore ac pudore affecti,deinde timentes ne ab his etiam de illo accusarentur.

F *Et nunciauerunt quæcunque ad eos pontifices ac seniores dixerant. At illi quum audissent uno animo eleuauerunt uocem ad deum ac dixerunt: Domine tu es deus qui fecisti cœlum & terram ac mare, quæq; in eis sunt: qui per os Dauid pueri tui dixisti.*

Vide quàm absoluta sit iuxtaque temporum occasiones horum precatio. Siquidem quando dignum ad apostolatum demonstrari sibi cupiebant,precãtes dicebant. Tu domine cordium cognitor omnium: ibi enim præcognitionis erat necissitas, hic autem quoniam aduersariorum ora obturare oportebat *domine* inclamant. Et tanquàm pacti fidem ab eo postulantes,prophetiam in medium proferũt: simul & seipsos con-

ſos conſolantes, quòd abſque cauſa, contra ipſos vaneque co A
narentur inimici. Conſidera quoque & modeſtiam : neque
enim cupiunt eos diſcerpere aut perdere, ſed Reſpice, inquiunt, ad minas eorum, & da ſeruis tuis, vt cum omni libertate ſermonem tuum loquantur : manum tuam porrigendo, hoc eſt fouendo nos inexpugnabili tua potẽtia : Id enim ſignificat hoc loco Manus. Vult enim inexpugnabilem ſignificare potentiam, veluti quum ait: Manus tua gentes diſperdidit. In ſuperioribus autem verbis, Manus tua & conſilium tuum antea decreuerant, Manus ſignificat omnia decẽter, & cum ratione à deo ordinari : quoniam ſola compoſita rationaliſque natura, quæ non alia eſt quàm homo, manu vt plurimum quæ vtiliſſima ſunt efficere ſolet. Pſal. 43

B Pſal. 2

Quare fremuerunt nationes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterũt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduerſus dominũ, & aduerſus Chriſtum eius. Conuenerunt enim uere aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum quem unxeras Herodes ſimul & Pontius Pilatus.

Quænam nationes aduerſus Chriſtum fremuerunt? nationes videlicet Iudæorum. Nam & ſi omnes Iudæi erant, attamen ex variis nationibus veniebant, inter quas diſperſi erant. *Vt facerent quæcunque manus tua*: hoc eſt, non ipſi potuiſſent, ſed tu es qui rem omnem permittebas & ad finem deducebas, nempe prudens ac ſapiens. Illi ſiquidem conuenerant tanquam inimici & truculenta voluntate, ſed faciebant quæ tu volebas. C

Cum gentibus & populis Iſrael.

In Ieruſalem Hebræi cum Caiapha & Anna, populi cum Pilato.

Vt facerent quæcunque manus tua & conſilium tuũ antea fieri decreuerant.

Idem ſignificãt Manus & Conſiliũ. Nulla enim cõſilij neceſſitas, cui adeſt potẽtia. Facta ſunt ergo quęcunq; ab initio ordinaſti. Apoſtolorũ itaque precatio nõ erat ad repellendas moleſtias, ſed pro euangelicæ orationis ſucceſſu : neq; enim

D dicebant, Libera, sed Da seruis tuis vt cũ libertate loquãtur.

Et nunc domine respice ad minas eorum, & da seruis tuis, ut cum omni libertate sermonem tuum loquantur: manum tuam porrigendo ad hoc, ut sanatio, & signa ac prodigia edantur per nomen sancti filij tui Iesu. Quumque orassent illi, motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes spiritu sancto, ac loquebantur sermonem dei cum libertate.

Signum quòd audita esset oratio fuit terræ motus: interdum vero accidit, vt iræ signum sit. Reperiri autem spiritu
E sancto significat totos addictos esse datæ ipsis operationi diuini spiritus, & parum à rebus auerti carnalibus: vel quòd incensi erant, & ardebat in eis donum, propter quod loquebantur cum libertate, corporea pericula despicientes, à quo etiam dono erat cor & anima, tanquam origo motibus intellectualibus. Nam Cor id nunc significat, veluti primum subsistentiæ animalis, quod etiam vitalia sustinet. Hæc enim subindicat per cor & animam, quæ ad vnum concurrunt cõpositum. Quod autem dicitur, *Erat* dei manutenentiam significat, ad conseruandam animi placabilitatem. Nam intelligentis argumentum est contemnere pericula, viuacis autem indicium absolutam esse circa corporalia temperaturam, nempe vt pauca, & quantum ad tenuiter viuendum satis sint, habenti sufficiant: summam autem habeat curam, vt
F egentibus prouideatur. Præterea de eo quod commotus est locus, hoc etiam intelligere oportet, quòd factus est terræmotus, vt incredulos quidem ac comminantes terreret, Apostolos verò in audaciam adduceret. Finis siquidem ac necessitas talium signorum erat, vt ipsi confirmarentur.

Multitudinis autem credentium, erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

Mutuus amor inter eos erat, etiam ex præceptoris Christi
Ioan. 13 iussu quum dixerat: Per hoc cognoscent omnes, quod mei sitis discipuli, si dilectionem habueritis inter vos mutuam.

Ideo

Ideo etiam quisque proximum reputans tanquam seipsum, A
nihil eorum quæ possidebat sibiipsi proprium vendicando
retinebat, sed in cômunem vtilitatem proferebat. Vnde etiã
gratiam magnam ait illis, ex mutua dilectione accessisse: ex
eo enim quod nihil sibiipsis vendicarent, nullus inter eos egens erat: quod illius Dauidici dicti imitatio erat, Aperis tu manum tuam, & imples omne animal. Psal. 144.

Et magna uirtute reddebant Apostoli testimonium resurrectionis domini Iesu, gratiáque magna erat super ipsos: neque enim quispiam egens erat inter illos: Nam quotquot possessores prædiorum, aut ædium erant inter eos, uendentes afferebant precia eorum, quæ uendebantur. B

Dictio Reddebant, tanquam aliquid fuerit eis concreditum significat, & hoc veluti de debito dicit. Nam per diuina signa, diuinam ostendebant potentiam eius, qui à mortuis surrexisset.

Et ponebant ad pedes Apostolorum. Distribuebatur autem singulis prout cuiq; opus erat.

Ad pedes Apostolorum precia ponere, & non ad manus: magnum indicat honorem ac reuerentiam eorum qui adferebant. Quod autem in manibus dare non audebant, erat illos constituere dominos ac dispensatores, vt ex communibus promptuariis consumerent, & non per manus de propriis. Præterea quod dicitur Ad pedes, & venerationem illis addebat, & indigentiam eorum qui alerentur probro liberabat. Distribuebatur autem tanquàm è communibus & abundantibus promptuariis. C

Ioses autem qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est filius consolationis Leuites Cyprius genere, quum haberet agrum uendidit eum, & attulit precium, posuitq; ad pedes Apostolorum.

Primum eius meminit qui præclarum facinus operatus est, nempe ipsius Iose, ad maiorem Ananiæ confutationem: quòd quum tanti essent qui talia agerent & tanta signa, tan-

D taque gratia, nullo horum correctus fit. Ipsa autem Iose appellatio ab Apostolis, inducta est in testimonium virtutis animi erga pauperes propensi. Quum autem Leuites esset, Cyprius dicebatur, quòd lex iam soluta esset, & à Iudæa transmigrabant quo quisque vellet. Dictio autem Barnabas ab Hebraica lingua in latinam traducta filium designat cõsolationis, nempe pietatis erga pauperes. Hoc autem tanquam præludium est ad narrationem perditionis Ananiæ & Sapphiræ. Nam & hic ipsius Iose imitatione agro diuẽdito, non cõuenienti modo vsus principio & fine, ignorauit quòd sibiipsi perditionem conciliaret.

Cap. V.

E *Vir autem quidam Ananias nomine cum Sapphira uxore sua, uendidit possessionem & fraudauit de precio, conscia enĩ uxore sua, & allatam partem quãdam posuit ad pedes Apostolorum.*

Omnino enim satanica insania plenus erat, qui quũ proprio instinctu & non ex necessitate, aut vi aliqua quod bonũ est, elegisset: simul tamen vt incœpit, in feruore boni tepidior factus est, & censum omnem perdidit. Tria autem tunc edita sunt circa eundem signa: cognitio occultorum, exterrefactio curæ mẽtis, & præterea interitus iussa subsequutus.

Dixit autem Petrus: Anania cur impleuit Satanas cor tuum, ut mentireris spiritui sancto & fraudares
F *de precio agri. Nónne manens (non uenditus) tibi mãsit, & diuenditus in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo rem istam? Non es mentitus hominibus sed deo. Audiens autem Ananias hos sermones, collapsus expirauit. Et factus est timor magnus super omnes qui hæc audiebant. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum & elatum sepelierunt.*

Anania cur impleuit, &c. Neque enim inuitos vos trahim[*], sed quum vltronee placuerit vobis offerre deo victimam, rursus vosipsos ad proprium vsum insumere sacrilegium indubie est. Ideo quoq; sacrilegorũ pœna percussi sunt. Quánam? morte: nam hoc significat ἐξέψυξεν veluti exaruit, hoc est,

est,vitali humore priuatus est. Ideo etiā viuēs dicebāt apud veteres διερὸς quod idē significat q̄d ὑγρὸς,id est, humidus. A

Intercessit autem trium ferme horarum interuallum, & uxor eius nesciens, quod acciderat introiuit. Dixit autem ei Petrus, Dic mihi, Num tanti agrum uendidistis? At illa dixit: Etiam,tanti. Petrus uerò ait ad eam: Cur conspiratū est inter uos,ut tentaretis spiritum domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt uirū tuum ad ostium adsunt, & efferent te.

Vide quod non vocabat eam Petrus, sed expectabat: vt ipsa dum vellet ingrederetur, data illi potestate & resipiscēdi,& non impudenter ingrediendi. Ingressa est autem ignorans,quę circa virum acciderant: quia neq; illi audebat quisquam detegere timore ac reuerentia magistri. Atqui horarū trium interuallum sufficiens erat, vt per multos spargeretur: sed timor continentes effecerat. Nam & hoc admirans Lucas euangelista, vtrumque posuit & horarum spacium & mulieris ignorantiam. Interrogans autem quanti agrum vendiderant, veniæ illi occasionem præbebat, tanquam non apud illam, sed apud virum sita fuerit potestas vendendi & fraudandi: & quoniam in dolo conformem viro repperit, simili quoque pœna condemnauit. Nouit enim contemptus diuinorum eum quoque in iram incēdere, qui est ab ira alienus. His etiam fidem facit sermonibus, illa traditio sub Mose mā-suetissimo, vt lapidib⁹ obrueretur, qui sabbatho ligna collegerat. Et ibi quidem transgressio apparuit in his quæ decentia erant, hic autem sacrilegium: siquidem quæ deo ad egentium alimentum reposita erant, ipsi ad superfluos suos vsus insumebant. Necessitatibus enim satis erat, vt ex his quæ ad commune promptuarium asseruarentur indigentiā complerent. Considera vero & hoc, quomodo ad familiares vehementer afficiantur. Etenim nolunt eos qui spiritualem gratiam semel adepti sunt, aut suam conuersationem, fures aut sacrilegos esse. In extraneis autem non sunt vsi supplicio, ne viderentur nolentes quoq; homines supplicij cogere timore, vt ad fidē accederēt. Verū si satanas impleto corde Ananiæ rem omnē peregit, quæ tanta est hæc aduersus Ananiā

B (margin, beside "ingrediendi. Ingressa est autem ignorans")

Nume.15 (margin, beside "His etiam fidem facit sermonibus")

C (margin, beside "Et ibi quidem transgressio apparuit")

D seueritas? Atqui non temere sed iuste id actum est, quum is sese adeo Satanæ capacem præbuisset.

Confestim autem cecidit ad pedes eius & expirauit. Ingressi uero iuuenes reppererunt eam mortuam & extulerunt ac sepelierunt iuxta uirum suum. Factúsque est timor magnus super uniuersam congregationem, & super omnes qui hæc audiebant.

Quomodo ad pedes eius? quia iuxta eũ stabat: Petrus vero stetit iuxta eã, vt si resipiscere vellet ac cõfiteri, nõ vereretur alios qui audirent. Nõ est arrogãtiæ quod Petrus prudẽtissimus eos qui lapsi erãt terruerit, sed doctrinæ futurorũ præcognitiuæ quæ multa hominũ peccata euertebat. Tunc enim quũ
E euãgelij semina iacere cœpissent statimq; exorta zizania cõspexissent, prudẽter ea protinus euulserunt. Sic & Moses in exordio legis trãsgressorẽ in paruo etiã peccato lapidib⁹ obrui iussit, dicens deũ eam tulisse sententiã. Idem quoq; & in
Gene.3 protoplastis cõtigit, qui ob esum ligni à deo condẽnati sunt.
Prouer.19 Nã pestilẽte flagellato cautior erit insipiens iuxta sacrã parœmiã. Itaq; etiã in his vltio cessit in lucrũ, iis qui præsentes erant & videbant quæ fiebant. Quanquã aliis quoq; præcedẽtibus signis, nõnullus exoriebatur timor, at nõ tantus. Ita
Psal.9 cognoscitur dñs iudicia faciens: cõprehenso in operib⁹ manuum suarũ peccatore, ex facto quod circa illũ accidit, salutaris oritur in aliis timor. Quẽadmodũ & in vltione Ozæ:
2.Reg.6 huius nãq; suppliciũ multis timori fuit, tanquã obseruãtibus,
F ea que deo seruata sunt inaccessa ac intangibilia esse debere prophanis. Hic vero considerandum est ex ablatione funerum Ananiæ & vxoris eius per eos qui mortuos efferebant, legem esse abiectam. Neque enim qui mortuum tetigerant Ananiam, immundi permanserunt vsque ad vesperam, sed ipsi etiam ad funus vxoris eius præstiterunt ministerium.

Per manus uero Apostolorum edebantur signa & prodigia multa in populo. Et erant unanimiter omnes in porticu Solomonis. Cæterorum autem nemo audebat se illis coniungere, sed magnificabat eos populus. Magis autem accedebant credentes domino, multitudo

no, multitudo nempe uirorum simul ac mulierum ita ut A
in plateas efferrent infirmos, ponerentque in lectulis & grabbatis, ut uenientis Petri uel umbra quempiam illorum obumbraret. Conueniebat autem & multitudo uicinarum ciuitatum Ierusalem, afferens ægros ac uexatos à spiritibus immundis, qui sanabantur omnes.

Tũ vero mihi intuere quomodo Apostolorum vita procedebat. Tristitia primũ accidit propter assumptionem, deinde lætitia propter spiritus sancti descensum: rursum tristitia propter subsannantes, deinde lætitia propter fideles & fa B
ctum signum: ad hæc tristitia quod tenti essent, deinde lætitia propter respõsionem. Iterum hic à signis & illustratione lætitia, sed à summo sacerdote & his qui eos cõprehẽderũt tristitia. Idipsum quoq; apud veteres quotquot iuxta dei præcepta vixerunt quispiam inuenire poterit. Ne mireris autem quomodo à suis domibus discedentes in tẽplo versabãtur iuxta porticum Solomonis, & quomodo permittebãtur. Iam enim cunctis terrori erãt propter multitudinem signorum per eos editorum. Nam hoc etiam vult significare ex eo quod ait. *Per manus uero Apostolorum edebantur signa & prodi-* C
gia multa in populo, statimque subiungit, *Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis,* hoc est neque ad ipsos quisquã appropinquare audebat. *Sed magnificabat eos populus?* Quisnam? Iudaicus. Quos? Apostolos. Et quid erat magnificandum? ꝙ Christi fidei assentirent. præterea etiam, ꝙ infirmos suos efferrent ciues in vicos & plateas ciuitatis in lectulis & grabbatis vt per vmbram Petri prolongatam consequerentur salutem, quod in Christo non contigit. Sed ille hoc quoque opus promiserat quum diceret. Qui credit in me opera quæ ego facio & ille faciet, & his maiora faciet: Itaque etiã hæc à promittente Christo contigerunt Apostolis, & erga Ioan. 14.
eos qui curabantur & circa illos qui puniebantur qualis fuit Ananias. Nam & si Apostoli modeste de se sentientes, miraculorum operationes ad præceptorẽ referebant, per nomen eius hæc efficientes: attamen vita eorum virtusq; vere euãgelica, idonea erat quę plurimum collaudaretur, magnumq; assequeretur præmium in his, qui ita viuere delegissent.

D *CAP. VI. Apostolos carceri iniectos angelus dei nocte eduxit, curam tradens ut ob nullam obstantem prohibitionē cessarent à praedicatione Iesu, in quo etiam habetur quòd postea pontifices rursum ipsos comprehendentes, postquam iusserunt ne amplius docerent, caesos dimiserunt. Gamalielis de Apostolis sententia persuadibilis unà cum exemplis nonnullis ac euidentibus probationibus.*



Xurgēs autem princeps sacerdotū & oēs qui cū eo erāt quae est secta Sadducaeorū, repleti sunt aemulatiōe & iniecerūt manus in apostolos, posuerúntq; eos ī custodia publica. Angelus autē domini nocte aperuit ostia carceris,
E *ipsisq; eductis dixit: Ite & stātes in tēplo loquimini populo uerba uitae omnia huius. At illi quū haec audissent, intrauerunt diluculo in templum ac docebant. Adueniens autem princeps sacerdotum & qui cum eo erant conuocauerunt concilium, uniuersúmque senatum filiorum Israel, & miserunt ad carcerem ut illi adducerentur. Accedentes autē ministri non inuenerūt eos in carcere: reuersique nunciauerunt dicentes: Carcerē quidem clausum inuenimus cum omni diligentia, & custodes foris stantes, uerum ubi aperuissemus neminem*
F *intus repperimus. Quum autē audissent hos sermones & pontifex & dux templi principésque sacerdotum, ambigebāt de illis, quidnam hoc factum esset. Quidam uero adueniens nunciauit eis. Ecce uiri quos posuistis in carcere stant in templo docéntque populum. Tunc abiit dux cum ministris ac duxit illos sine ui.*

His ab apostolis peractis propter quae multitudo praedicationi attendebat, & fideliū numerus quotidiano incremēto iam maris arenae aequalis fiebat: exurgens inquit princeps sacerdotū, hoc est erectus, cōmotus ob ea quae contingebāt, vehementius in eos irruit: maxime Sadducaeis inhumanius eum inflammantibus, quū viderent Apostolos omnē moue-

re lapi-

re lapidem ad probādam resurrectionem, cui ipsi aduersabātur. Quum enim Christum resurrexisse prædicarent, etiā ad resurrectionis confirmationem eius, qui resurrexerat nomine miracula edere demonstrabantur: quod nequaquam contigisset, si res mēdacio subseruiret. Ita ergo efferati & ad cædem Apostolorum præparati, interim quidē carceris securitate eos asseruant, non statim ad iudiciu ducentes, sed versute ansa timoris carceris, facti pœnitentiam ab illis quærētes. Et illi quidem ita affecti erant. Deus autē per morā quæ erat ad malum conatum, illos quidem pudore affecit, quod frustra malignati sint, Apostolos vero carceris eductione per diuinum angelum magis roborauit: & quibus in rebus & vbi cum perseuerantia anniti oporteret, edocuit. Quum autem ignorantia angelici auxilij cruentos homines intercepisset, eo tempore quo Apostolos iudicio exhibere distulerant, nō misericordia moti, quomodo enim hoc fieri potuisset, quum plusquàm serpentes ad irā excitati essent? sed vt primu quidem opinatos per detentionem explere suam voluntatem, nam in hunc finem carcere illos incluserant, deinde per diuinam visitationem conceptis rebus frustratos, ipsa concilij inopia circa ea quæ decreuerant, doceret diuinam esse potentiam. Angeli namque è carcere eductio apostolis quidem ad consolationem, Iudæis vero ad vtilitatem exhibita est. Ignorarunt autem Iudæi diuinam esse potentiam, vt primū in agendorum perplexitate constituti sicut aiebam, si vellēt cōprehenderentur, & ipsi ac docerentur: Illi vero adeo excæcati sunt, * vt neque auderent vi à templo abstrahere Apostolos, quos tamen maxime abominabantur. Ex quo etiā manifestum est gregariam turbam prudentiorem fuisse Iudaicis principibus: quòd quum illi rudes essent, à diuinis signis salutem citius amplexi sint quàm legisperiti. Ideo post multam diuinorum signorum notitiam ac certitudinem interrogant legisperiti: Nōne præcepto præcepimus vobis, ne loqueremini? Atqui si solo præcepto, quorsum custodia magnúmque munimentum? Siquidem custodes quoque assidebant carceri, quorum nulla modò fit mentio ad occultationē angelici miraculi. Verū dicere possent Apostoli: Si præcepto vestro noster etiam assensus ad obseruantiam adiunctus est, rationabiles essent nunc ob spretum præceptum interroga-

A (margin, beside "re lapidem…"); B (margin, beside "uinum angelum…"); C (margin, beside "ad consolationem…")

*Habebat quidē nostrū exēplar ἐπηρώτησαμ sensus tamē magis quadrat si legas ἐπηρώθησαμ excæcati sunt.

D terrogationes simul & examina. At si nihil horum, dementium sunt modo, velut ob transgressionem appellationes.

Timebant enim plebem ne lapidibus opprimerētur. Adductos autem illos statuerunt in concilio: & interrogauit eos princeps sacerdotum dicens.

O dementiam istorum qui turbæ quidem prudentiam latenti timore cognouerant, similiter & dei qui manifeste suos semper de manibus eorum tanquam volucres eripiebat: nec tamen vnquam adoptari cupiebant.

E *Nōne præcepto præcepimus uobis, ne doceretis in hoc nomine? Et ecce repleſtis Ierusalē doctrina uestra.*

O virū impudentē. Et improbus & stultus eos interrogauit, *Nōne præcepto &c.* Pręceptū quidē iā dictū est plenū esse temeritatis, & superfluū esset eadē eisdē de reb⁹ repetere.

Et uultis inducere super nos sanguinem uiri huius. Respondēs autem Simon Petrus & Apostoli dixerūt.

Adhuc eis nudus homo videbatur, vt autem ostendāt necessarium fuisse præceptum, & vt suæ prouiderēt saluti, vtq; multitudinem aduersus illos exacerbarent, hæc dicebant.

F *Obedire oportet deo magis quàm hominibus. Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quē uos interemistis suspensum in ligno. Hunc principem & saluatorem deus exaltauit dextera sua.*

Vide quanta fuerit eorum qui interrogabantur modestia: neque enim cum ferocitate respondent: siquidē præceptores erant, nec indignabantur, sed miserebantur eorum: idque intendebant vt illos errore eximerent. Non enim aduersus ipsos rixati sunt: aut elati dono signorum à deo per eos editorū, cōtumeliose illis responderunt, ipsos aduersus stimulū calcitrare docentes: sed primum quidem aiunt obedientiam deo promptius referēdam esse quàm hominibus: occultius ipsos accusantes, tanquam cōtemptores eorum quæ propter illos peracta erant. Deinde etiam quòd is quem ipsi nudum hominem appellarant, & saluator erat, & deus tantam illius curā habuerat, vt à mortuis ipsum suscitaret. Nā dicere illū propria surrexisse virtute, interim tutum nōdū erat, ne apud hunc exi-

hunc existimaretur deo contrarius. Vt autē à profundo excitet sopore, exhortaī ad intelligendū quantæ dānationi sit obnoxiu ipsos hūc à deo exaltatu morte crucis interemisse. A

Ad dandam pœnitentiam Israel ac remissionem peccatorum.

Quum sermonem de cruce adeo sublimasset, & tanquam irremissibilem exhibuisset damnationem his, qui furori aduersus Christum intentato adhæserant, veluti tanti doloris exonerationem eis excogitās ait: Sed hic à vobis quidē cōtumelia affectus, à deo vero exaltatus, dedit spiritum pœnitentiæ ipsi Israel ac remissionem peccatorū, adeo vt debacchatio in eum per crucem admissa non possit efficere vt à vobis auertatur, eo quòd is qui à deo exaltat⁹ est, iniuriarum obliuiscitur erga illos qui per obedientiā illum agnouerint. B Vide autem quomodo Iudæi, & per opera & per verba correpti non obtemperarunt, ideoque eorum condemnatio iusta est. Per opera quidem quum deus Apostolos in carceres duci permittit, sed admirando modo liberat. Per verba vero vt & Iudæi per Apostolorū sermones, & cęteri oēs corriperentur ac erudirentur. Imo & ipsi quoq; apostoli ad libere loquendum inunguntur. Alij itaq; compuncti sunt & per obedientiam participes facti sunt sermonum apostolorum: summi vero sacerdotes ac principes furore aduersus apostolos agitabantur, illorum mortem appetentes: vt iam manifestius sit eorum aduersus Christum furorem nō quasi iustum processisse, sed ex inuidia, qui ad huiusmodi cædē ipsos producat, Ideo etiā aiunt: *Vultis inducere super nos sanguinem uiri huius,* sanguinem appellantes cædem. Quemadmodum etiā deus ad Cain: Vox sanguinis fratris tui, hoc est cædes. Hæc autem dicebant Iudæi, multitudinem contra apostolos exacerbantes, ac si id tātum quærerent vt suæ saluti parceretur. C Gene. 4.

Et nos sumus testes horum quæ dicimus.

Quorum? quòd remissionem, quòd pœnitentiam promiserit: nam resurrectio iam in confesso erat.

Insuper, & spiritus sanctus quē dedit deus obediētibus ipsi. Hæc autem quum audissent dissecabantur ac consultabant ut interficerent illos.

Quòd

D Quòd remiſſionem tribuat, & nos teſtes ſumus, & ſpiritus ſanctus, qui nequaquã ſuperueniſſet, niſi primum ſoluta fuiſſent peccata. Huiuſmodi autem ſermo modeſti animi eſt, neque enim dictum eſt Nobis ſolis qui eum diligimus diſtribuendo munera, ſed communi ſermone ad omnes prolatum eſt qui ipſi obtemperant, ita vt etiam ſi illi obedirent, non fraudarentur parte doni ipſius ob trãſgreſſionem, quæ propter crucem commiſſa eſt.

Surgens autem quidam in concilio Phariſæus nomine Gamaliel legis doctor, in precio habitus apud totum populum iuſsit, ut pauliſper foras ſecederent Apoſtoli, dixitque ad illos: Viri Iſraelitæ attendite uobiſ-
E *ipſis ſuper hominibus iſtis quid acturi ſitis. Ante hos enim dies extitit Theudas dicens ſe eſſe aliquem: cui adhæſit numerus uirorum circiter quadringentorum: qui occiſus eſt, omnéſque quotquot ei adhærebant diſſipati ſunt, & ad nihilum redacti.*

Hic Gamaliel Pauli præceptor erat. Hunc ergo qui præceptor erat, & in iudiciis legis approbatus, adhuc non credere, quanquam perfecte nõ intelligeret, extremæ erat dementię. Et manifeſtũ eſt ex verbis eius, quæ etiam ſatis oſtẽdunt, quòd prudentia excelleret. Et etiam ex factis ſuis pa-
F tet. Nam iubendo Apoſtolos eiici à concilio, vt ipſis terrorem incuteret, ſeipſum quoque ſuſpitione liberabat, qua putaretur verba facere in gratiam illorum, qui eiuſdem cum ipſo eſſent ſententiæ. Ideo neque magna vehementia vſus eſt, ſed tanquam temulentis præ furore ait: Attendite vobiſipſis quid acturi ſitis, ac ſi diceret: Non temere feramini. Deinde eorum quoque exempla in medium adducit, qui inſipienter ac ſibiipſis inutiliter conſulentes propter huiuſmodi interẽpti ſunt, nempe Theudam ac Iudam Galilęum, qui ad auſpicatum ſibi terminum non peruenerunt. At non vetera profert exempla, ſed recentia, & quorum multi fuerant ipſi cõſpectores: vt experientia caueat, ne in ſimilem exemplorum terminum incurrat. Deinde vt ſermone his emollito tentet auditores auertere à dãno apoſtolis inferẽdo: ne quo modo, ſi ea quæ

si ea quæ Deum habent auxiliatorem, sine vllo impedimēto A
finem sortiuntur, imprudenter inquit Deo repugnantes hos
occidamus: atque ita non aduersus illos, sed aduersus nosip-
sos armemur. Qui enim conatur rei Deo probatæ aduersari,
is seipsum oppugnare solet. Nam si humano hæret consilio,
superflua est aduersus ipsos indignatio: finis nãque ac eius è
medio sublatio similiter procedet vt initium, prout exempla
subindicāt, Non autem manifeste dixit Apostolorum factū,
Dei aut hominum motum esse cōsilio, sed ambigue. Etenim
si Dei dixisset, protinus illi contradixissent, si vero ex homi-
nibus, rursum prōptos aduersus Apostolos reddidisset. Pro-
pterea sapienter temperato sermone finem expectare iubet,
& non temere ferri aduersus rem quæ ignoretur. Qui enim
pugnat aduersus id quod Deo probatur, nō illud sed seipsum B
perdit. Etenim si humanum est inquit, quid vobis necesse est
facessere negociū? si vero diuinum, neq; susceptis molestiis
poteritis ipsum dissoluere, & ita non videtur temere proce-
dendum aduersus res quæ ignorantur.

*Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus descri-
ptionis, & multum auertit post se populum: illéque pe
riit, & quotquot paruerant ei, dispersi sunt.* Et de re-
bus præsentibus dico uobis.

Verisimile est Galilæos tēporibus Pilati in seditionē mo-
tos fuisse, dogmata sequentes Iudæ Galilæi. Dogma autem
Iudæ prout etiam Iosephus in postremis antiquitatū Iudai- C
cæ historiæ libris ostendit, multam præ se ferebat ambitio- *Libro.18.*
nem, propter strennuitatem religionis. Dicebat enim nullū *ca.1. & 2.*
oportere, vel oretenus dominum appellare, neque vllius ho
noris, aut beneuolentiæ gratia, & ita neque eum qui regno
potiretur. Et multi ipsorum ne Cæsarem dominum vocarēt,
miserrima perpessi sunt supplicia. Hi etiam docebant non
oportere alias præter assignatas in lege Mosi victimas exhi-
beri Deo, ideoque prohibebant traditas à senatu, ac populo
fieri pro salute regis ac gentis Romanorum. Verisimile er-
go est Pilatum propter ista Galilæis indignatum iussisse in-
ter sacrificia, quæ iuxta legem offerre videbantur, ipsos in-
terimi, vt tūc mixtus sit oblatis hostiis sanguis eorum qui ca-
piebantur, prout etiam in euangelio iuxta Lucam refertur. Luc.13.

Abstinete

D *Abstinete ab hominibus istis, & sinite illos. Nam si fuerit ex hominibus consilium, aut opus hoc, dissoluetur: sin autem ex Deo est, non poteritis illud dissoluere, ne quãdo & Deo repugnare reperiamini. Persuasi sunt autem ab eo. Quúmque aduocassent Apostolos, cæsis præceperunt ne loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Illi itaque ibant gaudentes à conspectu concilij: quod digni essent ut pro nomine eius contumelia afficerentur. Et quotidie in templo, & in singulis domibus non cessabant docere, & annunciare Iesum*
E *Christum.*

Non dixit quòd ex Deo esset, sed neque quòd humanum esset opus. Nam dicenti quòd ex Deo, illi statim contradixissent, si vero dixisset quòd ex hominibus, audaciores contra Apostolos reddidisset. Vide ergo hominis prudentiam, qui sapienter dirigebat sermonem. Iubet autem expectare finẽ. Neque dixit, Si non dissolueritis illud, scitote quòd ex Deo est, sed, Si ex Deo est, non dissoluetur. Illud enim daretur feritati illorum, hoc autem diuinæ potentiæ. Persuasi sunt autem, quum hæc in Apostolorum præsentia non dicerentur, sed illis foras eiectis, tum quòd is qui rem vnà cum ipsis explorabat, rei euentum, hoc ne an illo modo succederet, formidabat, quemadmodũ etiam illis suggerebat. Praeterea au-
F tem sermonum lenitas vnà cum æquitate ad persuadendum, fuerunt ipsi auxilio. Verum si persuasi sunt, quomodo flagris illos cæciderunt? Persuasi quidem sunt ne occiderent, nam hoc furibunde exoptabant, attamen ceciderunt, ne viderentur insipienter ea tentasse, quæ ipsis impossibilia erant. Ad hæc re vera accidebat, vt truculentiam quidem illorum dissolui, ex virtute esset consiliarij, verberare autem Apostolos, eorum qui imbuta insania persuasi erant. Vide autem Apostolorum ad meliora incremẽtum. Nam per afflictiones quibus deuincendi sperabantur, magis exercebantur vt ad efficaciorem, magisque imperterritam doctrinam procederent, vt non in occulto, sed statim in templo quoque vnde cõprehensi erant, & vbiuis etiam alibi Christũ annunciarẽt, eorũ

qui vim

qui vim eis intulerant vanitatem auditoribus oftentantes. A

CAPVT. VII, *De electione feptem diaconorum.*



N his autem diebus quum multiplicarentur difcipuli, exortum eft murmur Græcorum aduerfus Hebræos, eo quòd defpicerentur in minifterio quotidiano uiduæ ipforũ. Cæterum duodecim illi quum aduocaffent multitudinem difcipulorum, dixerunt, Non eft æquum ut nos derelicto fermone Dei miniftremus menfis. Cap. VI.

Non in eifdem diebus, fed in quibufdam fequẽtibus. Verùm more fcripturę facturus narrationis exordium, hoc modo etiam nunc procedit, ἑλληνιστὰς autem vocat, non Græcos religione, fed græce loquẽtes. Per murmur vero, alterius tentationis genus enarrat, non ab externis exortum, fed ab his qui intus erant. Hoc enim Apoftolorum probitatem demõftrat, qui vndique & intrinfecus & extrinfecus impugnabãtur, vndique autem palmam referebant. Nam quum duodecim illi multitudinem aduocaffent, illos nempe qui ex eorũ qui defignandi erant præfectura, commodum erant reportaturi, electionem ipfis permittũt: indignum iudicantes fefe circa menfarum apparatum impediri poftpofito verbo diuino. Vnde electos crearunt Diaconos, non iuxta gradum, qui nunc eft in ecclefia, fed διακόνους, id eft miniftros: vt omni cum diligentia, & non neglectim diftribuerent viduis fimul & orphanis ea quæ ad alimentum repofita erant: idque potiffimum viduis & orphanis, propter quos maxime exortum erat murmur. Vocat autem minifterium quotidianum eleemofynam, vt quæ & facientibus, medicinæ loco fit, & beneficio affectos honoret. Non erat autem malitiæ quod viduæ contemnerẽtur, fed ignauiæ multorum. Ideo quoque vbi dignum vifum eft vt cura adhiberetur, fedatus eft animi dolor. Vel etiam publicam dicunt admĩniftrationem. Nam hoc fignificare vult nomẽ διακονία. Siquidem Græci publicum penu λήιτον appellant, quod quifque magno ftudio contẽdit liberaliter in illud inferre ad communem impẽfam, quæ fibi abundant.

B

C

Circũfpicite

D *Circũspicite ergo fratres uiros ex uobis testimonio cõprobatos septem, plenos spiritu sancto & sapientia, quos cõstituamus super hoc negocio. Nos uero orationi & administrationi sermonis incumbemus. Placuitq; sermo coram tota multitudine. Et elegerunt Stephanũ uirum plenum fide & spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorẽ, & Timonẽ, & Parmenam, & Nicolaum proselytũ Antiochenum: quos statuerũt in conspectu Apostolorum. Et quum orassent, imposuerunt eis manus. Et sermo Dei crescebat, ac mnltiplica-*
E *batur numerus Discipulorum in Ierusalem ualde, multáque turba sacerdotum obtemperabat fidei.*

Impletos esse spiritu sancto & sapiẽtia eos qui eligẽdi essent, Apostolorũ obtestatio requirit. Neq; enim quorũuis est maledicẽtiã ferre orphanorũ & viduarũ, sicut neq; eorũ qui ipsos exedũt ac deuorant. Nam licet fur nõ fuerit, segnis tamen suaq; negligẽtia omnia perdẽs aut temerarius quicquid occurrerit peruertẽs, nihil vtilitatis sua præfectura adferrẽt, nisi ex tolerãtia nugatorũ, quod maximũ est sapiẽtię indiciũ. Dicit autẽ quod sermo Dei in huiusmodi quasi descẽsu crescebat (ostẽdens quãta sit vis eleemosynæ) adeo vt ne cœtus quidẽ sacerdotũ à scopo aberrauerit, quin simul assumpta sit.

F CAPVT. VIII. *Iudæorum insurrectio & calumnia aduersus Stephanũ, eiusq; cõcio de Dei erga Abraham testamento, & de duodecim Patriarchis: in qua etiam de fame tentatione ac recognitione filiorum Iacob cõtinetur, & de natiuitate Mosi, diuina ad eum apparitione facta in mõte Sina, de egressu filiorum Israel, & vituli formatione usque ad tempora Solomonis: de templi ædificatione. Confessio supercœlestis gloriæ Iesu Christi Stephano reuelatæ, in qua lapidatus ipse Stephanus religiose obdormiuit.*


Orro Stephanus plenus fide ac fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.

Quum communis fuerit illorum septem designatio, hic maiori ad electionem idoneitate copiosiorem contraxit

contraxit gratiam. Qui enim ante electionem prodigia non faciebat, vt qui nec satis cognitus erat, vbi per electionẽ cognitus effectus est, tunc etiam donum quod electionem consequutũ erat, demonstrabatur. Vt manifestum fiat, quòd non sola sufficiat gratia, sed opus est quoque addi electionem ad gratiæ augmẽtum iuxta præstantiam eorum, qui ex * promptitudine suscipiuntur. A

ἐξ ἑτοιμό τητος

Exorti sunt autem de congregatione quæ dicebatur Libertinorũ, & Cyrenensium, & Alexãdrinorũ, & eorũ qui erant à Cilicia, & Asia disputãtes cũ Stephano, & nõ poterãt resistere sapiẽtiæ & spiritui, qui loquebatur. Tũc subornarunt uiros, qui dicerẽt: Audiuimus eum loquẽtẽ uerba blasphema in Mosen ac Deũ. Commoueruntque plebem, & seniores, ac scribas. B

Rursum ἀνάστασιν dicit ipsorum exacerbationem & impetum, non à suis tantum, verùm etiam ab alia multitudine quæ fortassis ad disputandũ & philosophãdum idonea erat, nempe Libertinorum, & Alexãdrinorum, & Cyrenensium, & Cilicum, & Asianorum. Et quemadmodum per vnã multitudinem est disputatio, ita & per alios est accusatio, & forma dolos texentium ac deploratorum. Prohibiti enim à Gamaliele, vt nihil contra Apostolos intentarent, imo nihil habentes aduersus illos accusationis, Stephanum de præsentibus rebus calumniose aggrediuntur, à veri inquisitione aberrantes nugaci loquacitate. Libertinos autem dicit fortassis vocari Romanos, quòd à Libia Augusti coniuge seipsos celebres reddiderint: eo quod & mulier percelebris esset, & ab Augusto, virtutis gratia, eximie adamaretur: cui sane ipsa quoque id rependit, vt ad Augusti sepulchrum toleranti animo perseuerauerit. ALIO MODO. Libertinorum & Cyrenensium qui erant à ciuitate, quæ est trans Alexandriam: nempe circa sophisticem vires, ac gloriam apud Hebræos habentium: quorum variæ congregationes Ierosolymis erant, inhabitantium more gentium. Ideo quoque synagogas habebant, nempe loca separata ad lectionem legum Mosaicarum. Multi siquidem eorum, qui adorationis gratia C

D Ierusalem accedebant, maxime circa pascha: quod non licebat extra Ierusalem celebrare, in ea agebant. Ne enim continue cogerentur à patriis locis peregre agere frequentando Ierusalem, ibidem residebant. Libertinos autem appellabant, qui à Romanis manumissi erant. Stephano igitur indignum ducente, cum eis tanquam corde excæcatis conuersari, ipsi suæ vanitati fidentes, ad disputandum cum eo processerunt. Solum autem ad eum non ad alium: tum quidem inuidia eorum quę edebantur ab eo signorum, vt si forte ad hæsitantiam, ac consilij inopiam eum adigerent, pudore suffunderent, tanquam insipienter se habentem in his quæ sibi delegata essent: tum etiam vt distractione disputationis erga ipsos, causa illi essent, vt à signis vacaret. Quum itaq; his
E de causis illi instarent. Insuper maligno quoque animo ad quippiam aduersus legem dicendum impellerent, ad quod etiam omne studium illorum tendebat: ipse malitiam eorum aggressus, initio facit hoc, vt acriori certamine, qđ illis præcipuum erat aggrediatur, ac diuini qui in eo erat spiritus & sapientiæ virtute os ipsis obstruat. Deinde etiam ad ea quæ isti decernebant, obscurius quàm vt possint intelligere quędam in medium adfert. Propter quod & ipsi iam deinceps clam procedebant, & ipse postea apertissime, quod in animo erat eis, proponebat. Quidnam? certe legis cessatione, quam non exprimebat, sed innuebat. Nam si id manifeste expressisset, falsis non fuisset eis opus testibus, quod ipsi quidem finis optatus fuit, illis vero perditionem parauit.

F *Et insurgentes corripuerunt eum, adduxeruntque in concilium.*

Furtiuos vbique nituntur aggressus: Christum comprehendētes per viros homicidas, gladios, nocte lampadum facúmque auxilio, ferentes. Petrum reliquosque Apostolos à templo, nunc autem & Stephanum iudicandum, à doctrinæ loco ad concilium rapientes.

Ac statuerunt falsos testes qui dicerent: Homo iste non cessat loqui uerba blasphema aduersus locum sanctum hunc, & legem. Audiuimus enim eum dicentem,

quod

quòd Iesus Nazarenus hic demolietur locum hunc, & mutabit instituta, quæ tradidit nobis Móses. A

Submiserunt viros qui dicerent, Audiuimus eum loquentem verba blasphema aduersus Mosen, ac Deum. Quænam autem sunt ea verba? *Quod Iesus Nazarenus hic demolietur locum hunc.* Atqui hoc dixit Stephanus, & si non adeo aperte: quomodo ergo sunt hi suppositicij, falsique testes? Quia non vt audierant ita narrabant: sed alio quidem modo audierant, nunc vero ipsi alio modo proferebant: merito itaque falsi testes esse referuntur. Quemadmodum enim de Christo quòd posset templum dissoluere, falsum fuit testimonium. (Neque enim Christus dixerat Soluam, sed soluite, ad illos non ad se referens solutionem) ita & nunc mendaces sunt, qui Stephanum aiunt legis ac loci demolitionem Nazareno attribuere: quodque vir Nazarenus suis videlicet manibus faceret, & non Deus per Romanos exercitus. Mosi vero instituta manifeste Deus ipse per discipulos suos, & Apostolos commutauit. Nazarenus autem contumeliose dictum est. Nam Stephanus nequaquam Nazarenum dixit Christum, sed Hebræorum principes: ipse venerandum semper Christum ac iustum à prophetis annunciatum, Deoque semper dixit adstantem, veluti etiam ex propositis eius sermonibus manifestum est, cum quibus vnà discessit ab hac vita flagitiosa absolutus. *Demolietur locum hunc.* Multus siquidem de templo illis metus erat, vt qui etiam propter illud locum habitationis mutassent. Duplex autem erat accusatio, quòd instituta mutaturus esset, & eorum loco alia inducturus. Vbique etiam obtendebatur Moses: quandoquidem Dei placita non æque illis curæ erant, vt Mosi: ita ad solam multitudinis gloriam, vitam omnino dirigebant. Matt. 26. B C

Et intuentes eum uniuersi qui sedebant in concilio, uiderunt faciem eius, tanquam faciem angeli. Dixit autem princeps sacerdotum: Num hæc ita se habent? At illi ait: Cap. VII.

Viderunt faciem eius. Ita contingit etiam illum, qui in inferiori gradu est gratiosum, ac splendidum videri. Vt ergo sermo-

D go sermonibus quos dicturus erat consternarentur, à faciei stupore, quo facilius verba eius excipiantur, sumit exordium.

Viri fratres & patres audite.

Vide quòd se ad docendum non inseruerit, sed ab his qui interrogauerūt coactus sit. Et quoniam verbis ac signis vincebat, intolerabilis eis erat. Falsum vero testimonium mercede conductorum inductum est, ne violentia in negocio suboleat. Siquidem Deum non timebant, sed ad hominum gloriam respiciebant. Est autem vere sapiens, ac animi magnitudine plenum exordium. Nominum etenim proprietate demonstrare intendit prudentis non esse, iniuriosum
E quippiam, aut quod damnum adferat aduersus fratres, ac patres inducere: id autem adferre quod & gloriam nouit, & lucrum parere, hoc demum viri est natura absoluti, quique salutifere ad eos loquitur, ad quos est sermo. At de vobis inquit nihil tale concipi potest: quod enim vocationis fratrum ac patrum mihi facta sit mentio, in contrarium huius actum est, quum vos tanquam communis naturæ oblitos procedere animaduertam, indiscreto erga nos odio, quod vos inducit ad ea quoque prætergrediendum, quæ ad diuinam referuntur potentiam. Nam vt cætera omittam horum vobis memoriam suggero, quæ non fine diuina potentia finem sortiuntur, signorum inquam, ac prodigiorum per nos editorum, quorum & vos testes estis, quæ non alio modo
F prosperum sortirentur effectum. Sed postquam Stephanum per fratrum, ac patrum appellationem, hæc obscure designantem comperimus: nunc etiam cōsideremus quæ his addita sunt non vulgari modo, sed cum magna ac diuinitus afflata sapientia.

Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham quum esset in Mesopotamia, priusquàm habitaret in Charran, dixitque ad eum. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & ueni in terram quamcunque ostendero tibi. Tunc egressus de terra Chaldæorum habitauit in Charran; & inde postquam mortuus est pater Gene. 12.

eius

eius, transtulit eum in terram hanc, in qua uos nunc ha bitatis, & non dedit illi hæreditatem in ea, ne uesti gium quidem pedis. A

Vide & hic quomodo statim ab exordio tollit eorum gloriam, referendo gloriam, non ad templum, neque ad gentem, sed ad solum Deum, Nam quod ait, *Deus gloriæ*, idem est, ac si dictum sit. Deus glorificatus. Hic autem glorificatus est, eo quòd is qui ex perplexis ac difficilibus commoda facit & facilia, atque ex ingloriis reddit gloriosos, etiam nos tales efficiet. Siquidem qui immensa sapientia hominibus à seculo imperauit, hic ipse nunc ea quæ his visa sunt impossibilia, ad facilitatem perducere voluit. Vtque hoc fiat credibile, Abraham eiusque historia in medium adducitur, qui non in templo, non per hostias Dei apparitionem nactus est, quum in Mesopotamia esset. Hæc autem profert, veluti iam dictum est, demonstrans Deumg lo riosum, quod in illis fecit, posse & in nobis facere, quodque occultum est manifestum constituere. Atqui quum multæ nationes ac reges dolose cum Abraham, eiusque semine congrederentur, illi quidem ad nihilum redacti sunt, quod autem humilius erat factũ est sublimius. Si ergo Deus gloriæ in his ita dispensauit, oportet inquit considerare, ne & in nobis talia contingant. ALIO MODO. Vide quomodo ipsos à tẽporalibus abducit, & interim à loco, gloriã Deo non loco attribuens. Ipse etenim gloriæ fons est, non egens gloria, quæ per templum à nobis est. Quum autem dicat scriptura Thare patrem Abraham egressum esse, vt proficisceretur de terra Chaldæorum, quomodo nunc Stephanus ipsi Abraham oraculum hoc attribuit? Ad quod dici potest, quòd ipsi quidem Abraham diuinum responsum datum est, sed scriptura patri attribuit, quoniam filij consilio quòd à diuino erat oraculo non contradixit, quanquam pater esset, hoc exemplo detegens præsentium inobedientiam. Vtrum enim esse inobedientes non cõuincuntur, quum Thare consilio filij non cõtradixerit, ipsi vero post diuinorum signorum experientiam non solum increduli sint, verùm etiam præ inuidia ad cædem hostiliter eos aggrediendo perseuerent, qui ob diuina signa glorificari merentur? B C

D Et promisit illi eam se daturum poßidendam, &
Gene.15. semini eius post ipsum quum non haberet filium. Lo-
quutus est autem ita Deus, quod futurum esset semen
eius inquilinum in terra aliena, & seruituti ipsum sub-
iecturi essent, maleq; tractaturi annis quadringentis.
Et gentē cuicūque seruierint, iudicabo ego dicit Deus.
Ge.21.25. Et post hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto. Et
29.30.37 dedit ei testamentum circuncisionis. Atque hic genuit
Isaac, & circuncidit eum octauo die, & Isaac Iaacob,
& Iaacob duodecim patriarchas. Et patriarchæ in-
E uidia accensi, Ioseph uendiderunt in Aegyptum: &
erat Deus cum eo, & eripuit eum ex omnibus afflictio
nibus ipsius, & dedit ei gratiam & sapientiam coram
Pharaone rege Aegypti, constituitq; eum præfectum
Gene.41. super Aegyptum, ac totam domum suam. Venit autem
fames super uniuersam terram Aegypti, & Chanaan,
magnáque afflictio, nec inueniebant cibos patres no-
Gene.42. stri. Audito autem Iaacob, quod frumenta essent in
Aegypto, misit patres nostros primum, quúmque se-
F cundo mißi essent, agnitus est à fratribus suis, & in-
notuit Pharaoni genus Ioseph. Misit autem Ioseph ac-
cersitum patrē suum Iaacob, omnémque cognationem
Gen. 46. in animabus septuaginta quinque. Et descendit Iaacob
49. in Aegyptum, mortuúsque est ipse, & patres nostri.
Et translati sunt in Sychen, positique sunt in sepul-
chro, quod emit Abraham precio argenti à filiis Emor
filij Sychen. Quum autem instaret tempus promißio-
nis, quam promisit Deus ipsi Abraham, creuit popu-
lus, & multiplicatus est in Aegypto, donec exortus
est alius rex, qui non nouerat Ioseph.

In præsenti concione beatus Stephanus multis demon-
strat &

strat & suam erga Iudæos beneuolentiam, & illorum erga A
se ferocitatem. Nam quòd tanquam ad fratres ac patres intendat sermonem, quid aliud his indicat nominibus quàm quòd secũdum cognationis dignitatem ad illos feratur. Iudæi vero parum huic affectui deferant, sed potius aduersus signa per ipsum facta crudeliter affecti sint? Ideo quoq; Stephanus in illorum improbitate, quæ ex infecto animo erat, liberius coarguenda occupatus est. Et promissionem quæ ad patres facta est ob quam efferebãtur, ostẽdit ante eum locũ, ante circuncisionem, ante sacrificia, ante templum factã esse, & neque hi circuncisionem aut legẽ acceperant quòd digni fuissent, sed solius obedientiæ merces erat sola terra. Et neque data circuncisione completa est promissio, quòd etiã hæc in figura cõtingerẽt. Cõsidera vero quòd si pater Thare non fuit socius peregrinationis cum filio Abraham eo B
quòd indignus esset, multo magis filij, etiam si plurimum viæ confecerint. Abraham itaque adeo fuit obtemperans, vt & cognationem & patriam solo motus oraculo reliquerit. Quod si hic ita se habuit, quomodo hi qui in omnibus inobedientes esse deprehenduntur, in filios Abrahæ reputabuntur? Neque enim vitæ natiuitas sed morum imitatio filiationem conciliat: quoniam ita quoque monstris mala fortuna natis quod legitimũ ac naturale est posset attribui. Hoc modo quanquam dictionis serie non procedat, magna tamẽ abbreuiati sermonis intelligentia progrediens, & illorũ impudentiam ad Christi vsque passionem coarguens, passus est quæ verisimile erat eum pati oportere qui malos argueret. C
Et promisit se illi daturum. Hinc deinceps Abrahæ procedit historia quæ tota patriarchæ narrat tolerantiam ad euẽtum vsque promissionum. Siquidem Abraham eiusque nepotes qui circa diuinas promissiones longanimes fuerunt demonstrat percelebres, negligentes vero similes præsentibus tunc auditoribus, qui & ipsi illorum calamitates absque dilatione vnà cum eis assequentur, abstractis ab eorum manibus, bonis quæ sperabant. Quæ tamen omnia parua sunt si ad extremum in Christum ausum commensurẽtur. Ideo quoque duri ceruice & incircuncisi corde ac auribus dicuntur: propter quæ & prophetarum homicidæ esse coarguuntur, imo ipsius etiam Christi, qui & interitum & nouissimam ipsis di-

D ſperſionem rependet. Tanta itaque ſunt quæ videre contingit in hoc abbreuiato ſermone prudentiſſimæ cōcionis Stephani diuina præditi ſapientia, quorum etiam iuxta noſtram tenuitatem ſumptum intellectum hactenus ordinauimus ſecundum qualitatem dati nobis ſermonis, finē vnà cum principio contrahentes: in ipſo ſermone, à quo latex hic diuinitus ſcaturiens effluxit, nos oblectantes. Iam autem vtile erit per partes ea quoque iuterpretari iuxta noſtram poſſibilitatem, quæ maiorem dēſiderant moram. Non enim fruſtra ad concionantis roborationem aſſumpta eſt Abrahæ eiuſq; deinceps nepotum hiſtōria: ſed vt oſtendatur & maiorum circa id quod diuinum eſt facilis obedientia, & minorum ob improbos mores inobedientia. Et primum quidem exemplum ex Abraham profertur, quod non oporteat accelerare ea quæ diuinis promiſſis deferuntur quia neque Abraham accelerari petiit nepotum ab Aegypto egreſſum: quum manifeſtata eſſet ei detentio, quæ ad quadringentos annos proroganda erat, idque cum multa afflictione & ſubactione in ſeruitutem, ſubactione vero non qualibet, ſed intolerabili, ſiquidem illis non vt ſeruis ſed vt inimicis vtebantur. Et certe nulla profertur ab Abraham deprecatio de abbreuiando tēpore, ſed paululum quiddam duntaxat ad refocillationem præſtitum, nempe reſpondens aduerſus affligentes vltio, ab eo qui ſe iudicaturū promiſit illos qui hoſtiliter eos interimerent, qui nihil iniuriæ ipſis intuliſſent. Animari vero ad expectandas à Perſide in Palęſtinam promiſſiones, & neque propter longam moram, aut rerum magnitudinem detorquere promiſſionem ad impoſſibilitatem, quia totum in promittentis poteſtate reponitur, quantæ eſt erga deum qui id ſuadet confidentiæ? Præterea inuidia fratrum aduerſus Ioſeph ponitur, & īiuriarum obliuio, in eo quòd quum poſſet, nōvltus ſit eos qui ſe afflixerant, quin potius beneficia repēdit. Poſt hæc ſubiungitur eorum correptio, qui aperte ac furibunde monebantur aduerſus Chriſtum eiuſq; diſcipulos.

E

F

Hic circumueniens genus noſtrum afflixit patres noſtros, ut exponerent infantes ſuos ne in uita ſeruarentur.

κατασοφισάμενος, id eſt, circumueniens, hoc eſt decernens

quo

quo pacto versutis technis superior eis efficeretur. Nam σοφισμὸς coacta interpretatio dicitur. Propter quod ita significanter dicit, violente videlicet illis imponere volens. Vnde & σοφιστὰς vocat impostores, vtpote veritatem fraude ac dolo occultātes. Post ea quę de Abrahā dicta sunt ex diuino responso: significat nepotum ipsius ærumnas ab Aegyptiis toleratas quarum etiā compensatio recreans, Aegyptiorum est interitus, qui ab ipso deo illis circa mare rubrum impendisse significatus est, ne discruciātium rerum impetu, desperatio salutarium causam præbeat collabēdi in infidelitatem. Considera etiam quæ sit fidei securitas de his quæ promittuntur. Quænā illa est inquies? nēpe quòd circuncisio genitalium partium ipsis solis data insigne fuerit, non iis quibus non cōtigerat. Ex quibus omnibus eorū intuere obedientiā B qui diuina acceperant responsa. Sed & tēpore quo afflictorū instabat egressus, amplius progressa est affligentium iniuria, quę obstetrices admonuit ad masculorum perditionem. Verum in aliis quidem afflictionibus id oppositum est ꝙ afflicti amplius multiplicabantur Hæc autē improbitas præterquā quòd in malis dolis intēto frustrabatur, Mosen etiam qui ipsos perditurus erat præter expectationem seruauit, ac regia educatione curaq; dignum effecit. Quo autē fine id assumptum est? Ad indicandum quòd neq; nunc negandum sit iis qui aduersus Christum eiusque discipulos armantur similia contingere, qui in operibus manuum suarum coprehenduntur. Signum vero circuncisionis in partibus genitalibus id significare vult, nempe operimentum quo se primi parentes C operuerunt in paradiso, natum inuidia serpentis, qui principium & caput est malorum: ex quo etiā fide dignior habitus est quàm deus circa ligni esum. Hoc abiicere circūcisio eum adhortabatur qui vitam secundum deum transmutabat, iuxta Mosi quidem legislationem eorum præcipiens amputationem quæ à natura solent amputari. Præterea vero etiam tempus aduētus Christi designat: quo vniuersa vmbratica ac figuratiua ad euangelicamveritatem trāsferuntur. Vnde eos qui ita corrigi non sustinent in sequentibus duros ceruice ac incircuncisos esse describit: duros quidem ceruice, ad subiiciendum se diuino spiritui: incuncisos autem corde & auribus vtpote non tolerantes mutuo datis occasionibus expiari aut

D ri aut attingi in rebus. Quòd si admirandum erat in Ioseph quòd sit venditus à fratribus, ipsos tamen venditus seruauerit: illud magis admiratione dignum quod rex eum nutrierit qui ipsius principatum erat subuersurus. Ostendit autem faciens infantes exponi quòd non vellet eos manifeste occidi. Et vide quòd diabolus per ea prouexerit dei promissionem, per quæ conabatur eam dissoluere. In exilium relegatur Moses, sed in exilio visionem illam adipiscitur, & populi ducatus illi committitur: ita venditum quoque seruum ibi regnare facit vbi seruus habebatur. Et ipse Christus in morte potentiam demonstrauit ac robur, adeo sapiens est deus, & incomprehensibilis prouidentia eius.

Sapie.10.

Exod.2

E *Quo tempore natus est Moses, fuitque gratus deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris, expositum autem ipsum tulit filia Pharaonis, & eduxauit eum sibi in filium. Et eruditus est Moses in omni sapientia Aegyptiorum, erátque potens in operibus & sermonibus. Vt autem expletum est illi quadraginta annorum tempus, subiit in cor eius, ut inuiseret fratres suos filios Israel. Quumque uidisset quendam iniuria affici, defendit eum, & ultus est uicem eius qui affligebatur.*

Illo igitur tempore natus est, inquit Moses, fuitque ἀστεῖος,
F id est gratus, siue dilectus deo. Vel ἀστεῖος propriè, hoc est in pueriliquo ad corpus ætate irreprehensibilis. Expositum autem ipsum quum tulisset filia Pharaonis edocuit omni sapientia Aegyptiorum. Ex hoc manifestum est non reiiciendā esse omnem externæ scripturæ eruditionem. Siquidem encomij vice dictum est, quòd Moses eruditus est omni sapiētia Aegyptiorum. De trib⁹ quoq; pueris, ac Daniele dicitur, quòd super omnes eminebant Chaldæorū sapiētia ceterisq; sciētiis: Oportet autem paululum illis adhærere eos qui scripturæ diuinitus inspiratæ immorantur. Neque enim Moses neque Ananias, aut Daniel preregrinam didicerunt eruditionem, nisi necessitate ac coactione dominorum, in nullo etenim ea vsi sunt. nisi forte quis dicat quod bonum sit eam discere

Nota.

Danie.1

discere ad euertendas illorum fraudes. A

Percusso Aegyptio.

Occidit Moses Aegyptium nō animi furori obsecundās, neque ira motus, sed zelo. Omne autem quodcūque factum fuerit iuxta dei verbum pietas est, etiam si cædes fuerit dei intuitu, iam non est cædes. Certe quum Phinees duos vna manu ieremisset, audiuit. Stetit Phinees & placauit & quieuit plaga, ac reputatum est ipsi ad iustitiam. Diuersa nanque est voluntas homicidæ & eius qui pietatem exercet: etiam si peractum opus sit vnū. Factum itaque per Mosen signum fuit quòd deus per Mosen Aegyptios occideret, dictos autem Israelitas seruaret. Et ita quidem se habent quæ ad Mosen attinent. Verum sermo hic rursum nobis supremæ contemplationis dispensationem concinnabit quę in Christo fuit. Siquidem quum inuenisset deus Israelitas indignam sustinere violentiam: nam insilierat in eos Satanas veluti comminuens ac deuorans, misertus considerauit, vt liberaret, quum autem modo quodam eum interemisset qui iniuriam intulerat, abscondit in terrā, hoc est in subterraneis locis conclusit in infernum. Prius enim in infernum velut occluso Satana, visus est Israelitis iustitiæ præmium tribuisse. At illi quum gratias agere debuissent dicebant: Hic non eiicit dæmonia, nisi per Beelzebul principem dęmoniorum. Propterea etiam ex Iudæa transmigrauit in Galilæam, sicut & Moses translatus est in terrā Madian, & vocauit transmigrationem Gentium.

Num.25 Psal.105 B Matth.12

Existimabat autem intelligere fratres suos q deus per manum eius daret ipsis salutem: illi uero nō intellexerunt. Et sequēti die cōspectus est illis litigātibus, & redegit eos in cōcordiā dicens: Viri, uos fratres estis, ut quid uos inuicem læditis? Is autem qui proximo irrogabat iniuriam repulit eum dicens: Quis te cōstituit principem ac iudicem super nos? Num tu me uis interficere quēadmodum interfecisti heri Aegyptium? Fugit autem Moses ad uerbum hoc, factusq; est aduena in terra Madian & generauit filios duos. C

Hinc

D Quòd remiſſionem tribuat,& nos teſtes ſumus,& ſpiritus ſanctus,qui nequaquã ſuperueniſſet, niſi primum ſoluta fuiſſent peccata Huiuſmodi autem ſermo modeſti animi eſt,neque enim dictum eſt Nobis ſolis qui eum diligimus diſtribuendo munera,ſed communi ſermone ad omnes prolatum eſt qui ipſi obtemperant , ita vt etiam ſi illi obedirent , non fraudarentur parte doni ipſius ob trãſgreſſionem,quæ propter crucem commiſſa eſt.

Surgens autem quidam in concilio Phariſæus nomine Gamaliel legis doctor, in precio habitus apud totum populum iuſsit, ut pauliſper foras ſecederent Apoſtoli,dixitque ad illos: Viri Iſraelitæ attendite uobiſipſis ſuper hominibus iſtis quid acturi ſitis. Ante hos enim dies extitit Theudas dicens ſe eſſe aliquem: cui adhæſit numerus uirorum circiter quadringentorum: qui occiſus eſt, omnéſque quotquot ei adhærebant diſſipati ſunt, & ad nihilum redacti.

E

Hic Gamaliel Pauli præceptor erat. Hunc ergo qui præceptor erat, & in iudiciis legis approbatus, adhuc non credere,quanquam perfecte nõ intelligeret, extremæ erat dementię.Et manifeſtũ eſt ex verbis eius,quæ etiam ſatis oſtẽdunt, quòd prudentia excelleret. Et etiam ex factis ſuis patet. Nam iubendo Apoſtolos eiici à concilio , vt ipſis terrorem incuteret,ſeipſum quoque ſuſpitione liberabat, qua putaretur verba facere in gratiam illorum, qui eiuſdem cum ipſo eſſent ſententiæ.Ideo neque magna vehementia vſus eſt, ſed tanquam temulentis præ furore ait:Attendite vobiſipſis quid acturi ſitis,ac ſi diceret:Non temere feramini.Deinde eorum quoque exempla in medium adducit, qui inſipienter ac ſibiipſis inutiliter conſulentes propter huiuſmodi interẽpti ſunt,nempe Theudam ac Iudam Galilęum,qui ad auſpicatum ſibi terminum non peruenerunt. At non vetera profert exempla,ſed recentia, & quorum multi fuerant ipſi cõſpectores: vt experientia caueat,ne in ſimilem exemplorum terminum incurrat. Deinde vt ſermone his emollito tentet auditores auertere à dãno apoſtolis inferẽdo:ne quo modo, ſi ea quæ

F

si ea quæ Deum habent auxiliatorem, sine vllo impedimēto A
finem sortiuntur; imprudenter inquit Deo repugnantes hos
occidamus: atque ita non aduersus illos, sed aduersus nosipsos
armemur. Qui enim conatur rei Deo probatæ aduersari,
is seipsum oppugnare solet. Nam si humano hæret consilio,
superflua est aduersus ipsos indignatio: finis nāque ac eius è
medio sublatio similiter procedet vt initium, prout exempla
subindicāt, Non autem manifestè dixit Apostolorum factū,
Dei aut hominum motum esse cōsilio, sed ambigue. Etenim
si Dei dixisset, protinus illi contradixissent, si vero ex hominibus,
rursum prōptos aduersus Apostolos reddidisset. Propterea
sapienter temperato sermone finem expectare iubet,
& non temere ferri aduersus rem quæ ignoretur. Qui enim
pugnat aduersus id quod Deo probatur, nō illud sed seipsum B
perdit. Etenim si humanum est inquit, quid vobis necesse est
facessere negociū? si vero diuinum, neq; susceptis molestiis
poteritis ipsum dissoluere, & ita non videtur temere procedendum
aduersus res quæ ignorantur.

Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus descriptionis, & multum auertit post se populum: illéque periyt, & quotquot paruerant ei, dispersi sunt. Et de rebus *præsentibus dico uobis.*

Verisimile est Galilęos tēporibus Pilati in seditionē motos
fuisse, dogmata sequentes Iudæ Galilæi. Dogma autem
Iudæ prout etiam Iosephus in postremis antiquitatū Iudaicæ C
historiæ libris ostendit, multam præ se ferebat ambitionem, Libro.18.
propter strennuitatem religionis. Dicebat enim nullū ca.1.& 2.
oportere, vel oretenus dominum appellare, neque vllius honoris,
aut beneuolentiæ gratia, & ita neque eum qui regno
potiretur. Et multi ipsorum ne Cæsarem dominum vocarēt,
miserrima perpessi sunt supplicia. Hi etiam docebant non
oportere alias præter assignatas in lege Mosi victimas exhiberi
Deo, ideoque prohibebant traditas à senatu, ac populo
fieri pro salute regis ac gentis Romanorum. Verisimile ergo
est Pilatum propter ista Galilæis indignatum iussisse inter
sacrificia, quæ iuxta legem offerre videbantur, ipsos interimi,
vt tūc mixtus sit oblatis hostiis sanguis eorum qui capiebantur,
prout etiam in euangelio iuxta Lucam refertur. Luc.13.

Abstinete

D *Abstinete ab hominibus istis, & sinite illos. Nam si fuerit ex hominibus consilium, aut opus hoc, dissoluetur: sin autem ex Deo est, non poteritis illud dissoluere, ne quãdo & Deo repugnare reperiamini. Persuasi sunt autem ab eo. Quúmque aduocassent Apostolos, cæsis præceperunt ne loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Illi itaque ibant gaudentes à conspectu concilij: quod digni essent ut pro nomine eius contumelia afficerentur. Et quotidie in templo, & in singulis domibus non cessabant docere, & annunciare Iesum*

E *Christum.*

Non dixit quòd ex Deo esset, sed neque quòd humanum esset opus. Nam dicenti quòd ex Deo, illi statim contradixissent, si vero dixisset quòd ex hominibus, audaciores contra Apostolos reddidisset. Vide ergo hominis prudentiam, qui sapienter dirigebat sermonem. Iubet autem expectare finẽ. Neque dixit, Si non dissolueritis illud, scitote quòd ex Deo est, sed, Si ex Deo est, non dissoluetur. Illud enim daretur feritati illorum, hoc autem diuinæ potentiæ. Persuasi sunt autem, quum hæc in Apostolorum præsentia non dicerentur, sed illis foras eiectis, tum quòd is qui rem vnà cum ipsis explorabat, rei euentum, hoc ne an illo modo succederet, formidabat, quemadmodũ etiam illis suggerebat. Præterea au-

F tem sermonum lenitas vnà cum æquitate ad persuadendum, fuerunt ipsi auxilio. Verum si persuasi sunt, quomodo flagris illos cæciderunt? Persuasi quidem sunt ne occiderent, nam hoc furibunde exoptabant, attamen ceciderunt, ne viderentur insipienter ea tentasse, quæ ipsis impossibilia erant. Ad hæc re vera accidebat, vt truculentiam quidem illorum dissolui, ex virtute esset consiliarij, verberare autem Apostolos, eorum qui imbuta insania persuasi erant. Vide autem Apostolorum ad meliora incremẽtum. Nam per afflictiones quibus deuincendi sperabantur, magis exercebantur vt ad efficaciorem, magisque imperterritam doctrinam procederent, vt non in occulto, sed statim in templo quoque vnde cõprehensi erant, & vbiuis etiam alibi Christũ annunciarẽt, eorũ

qui vim

qui vim eis intulerant vanitatem auditoribus ostentantes. A

CAPVT. VII, De electione septem diaconorum.



IN his autem diebus quum multiplicarentur discipuli, exortum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano uiduæ ipsorū. Cæterum duodecim illi quum aduocassent multitudinem discipulorum, dixerunt, Non est æquum ut nos derelicto sermone Dei ministremus mensis. Cap. VI.

Non in eisdem diebus, sed in quibusdam sequētibus. Verùm more scripturę facturus narrationis exordium, hoc modo etiam nūnc procedit, ἑλληνιστὰς autem vocat non Græcos religione, sed græce loquētes. Per murmur vero, alterius tentationis genus enarrat; non ab externis exortum, sed ab his qui intus erant. Hoc enim Apostolorum probitatem demōstrat, qui vndique & intrinsecus & extrinsecus impugnabātur, vndique autem palmam referebant. Nam quum duodecim illi multitudinem aduocassent, illos nempe qui ex eorū qui designandi erant præfectura, commodum erant reportaturi, electionem ipsis permittūt: indignum iudicantes sese circa mensarum apparatum impediri postposito verbo diuino. Vnde electos crearunt Diaconos, non iuxta gradum, qui nunc est in ecclesia, sed διακόνους, id est ministros: vt omni cum diligentia, & non neglectim distribuerent viduis simul & orphanis ea quæ ad alimentum reposita erant: idque potissimum viduis & orphanis, propter quos maxime exortum erat murmur. Vocat autem ministerium quotidianum eleemosynam, vt quæ & facientibus, medicinæ loco sit, & beneficio affectos honoret. Non erat autem malitiæ quod viduæ contemnerētur, sed ignauiæ multorum. Ideo quoque vbi dignum visum est vt cura adhiberetur, sedatus est animi dolor. Vel etiam publicam dicunt administrationem. Nam hoc significare vult nomē διακονία. Siquidem Græci publicum penu λήιτον appellant, quod quisque magno studio contēdit liberaliter in illud inferre ad communem impēsam, quæ sibi abundant. B C

Circūspicite

D *Circũſpicite ergo fratres uiros ex uobis teſtimonio cõprobatos ſeptem, plenos ſpiritu ſancto & ſapientia, quos cõſtituamus ſuper hoc negocio. Nos uero oratio- ni & adminiſtrationi ſermonis incumbemus. Placuitq; ſermo coram tota multitudine. Et elegerunt Stephanũ uirum plenum fide & ſpiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorẽ, & Timonẽ, & Parmenam, & Nicolaum proſelytũ Antiochenum: quos ſtatuerũt in conſpectu Apoſtolorum. Et quum oraſſent, impoſue- runt eis manus. Et ſermo Dei creſcebat, ac multiplica-*
E *batur numerus Diſcipulorum in Ieruſalem ualde, multáque turba ſacerdotum obtemperabat fidei.*

Impletos eſſe ſpiritu ſancto & ſapiẽtia eos qui eligẽdi eſ- ſent, Apoſtolorũ obteſtatio requirit. Neq; enim quorũuis eſt maledicẽtiã ferre orphanorũ & viduarũ, ſicut neq; eorũ qui ipſos exedũt ac deuorant. Nam licet fur nõ fuerit, ſegnis tamen ſuaq; negligẽtia omnia perdẽs aut temerarius quicquid occurrerit peruertẽs, nihil vtilitatis ſua præfectura adferrẽt, niſi ex tolerãtia nugatorũ, quod maximũ eſt ſapiẽtię indiciũ. Dicit autẽ quod ſermo Dei in huiuſmodi quaſi deſcẽſu creſcebat (oſtẽdens quãta ſit vis eleemoſynæ) adeo vt ne cœtus quidẽ ſacerdotũ à ſcopo aberrauerit, quin ſimul aſſumpta ſit.

F CAPVT. VIII. *Iudæorum inſurrectio & calumnia aduerſus Stephanũ, eiusq; cõcio de Dei erga Abraham teſtamento, & de duodecim Patriarchis: in qua etiam de fame tentatione ac recognitione filiorum Iacob cõtinetur, & de natiuitate Moſi, diuinaq; ad eum apparitione facta in mõte Sina, de egreſſu filiorum Iſrael, & uituli formatione uſque ad tempora Solomonis: de templi ædificatione. Confeſsio ſupercœleſtis gloriæ Ieſu Chriſti Stephano reuelatæ, in qua lapidatus ipſe Stephanus religioſe obdormiuit.*



Orro Stephanus plenus fide ac fortitudine faciebat prodigia, & ſigna magna in populo.

Quum communis fuerit illorum ſeptem deſignatio, hic maiori ad electionem idoneitate copioſiorem contraxit

contraxit gratiam. Qui enim ante electionem prodigia non faciebat, vt qui nec satis cognitus erat, vbi per electionē cognitus effectus est, tunc etiam donum quod electionem con sequutū erat, demonstrabatur. Vt manifestum fiat, quòd non sola sufficiat gratia, sed opus est quoque addi electionem ad gratiæ augmētum iuxta præstantiam eorum, qui ex * promptitudine suscipiuntur. A

ἐξ ἑτοιμότητος

Exorti sunt autem de congregatione quæ dicebatur Libertinorū, & Cyrenensium, & Alexādrinorū, & eorū qui erant à Cilicia, & Asia disputātes cū Stephano, & nō poterāt resistere sapiētiæ & spiritui, qui loquebatur. Tūc subornarunt uiros, qui dicerēt: Audiuimus eum loquētē uerba blasphema in Mosen ac Deū. Commouerúntque plebem, & seniores, ac scribas. B

Rursum ἀνάστασιν dicit ipsorum exacerbationem & impetum, non à suis tantum, verùm etiam ab alia multitudine quæ fortassis ad disputandū & philosophādum idonea erat, nempe Libertinorum, & Alexādrinorum, & Cyrenensium, & Cilicum, & Asianorum. Et quemadmodum per vnā multitudinem est disputatio, ita & per alios est accusatio, & forma dolos texentium ac deploratorum. Prohibiti enim à Gamaliele, vt nihil contra Apostolos intentarent, imo nihil habentes aduersus illos accusationis, Stephanum de præsentibus rebus calumniose aggrediuntur, à veri inquisitione aberrantes nugaci loquacitate. Libertinos autem dicit fortassis vocari Romanos, quòd à Libia Augusti coniuge seipsos celebres reddiderint: eo quod & mulier percelebris esset, & ab Augusto, virtutis gratia, eximie adamaretur: cui sane ipsa quoque id rependit, vt ad Augusti sepulchrum toleranti animo perseuerauerit. ALIO MODO. Libertinorum & Cyrenensium qui erant à ciuitate, quæ est trans Alexandriam: nempe circa sophisticem vires, ac gloriam apud Hebræos habentium: quorum variæ congregationes Ierosolymis erant, inhabitantium more gentium. Ideo quoque synagogas habebant, nempe loca separata ad lectionem legum Mosaicarum. Multi siquidem eorum, qui adorationis gratia C

D Ierusalem accedebant, maxime circa pascha: quod non licebat extra Ierusalem celebrare, in ea agebant. Ne enim continue cogerentur à patriis locis peregre agere frequentando Ierusalem, ibidem residebant. Libertinos autem appellabant, qui à Romanis manumissi erant. Stephano igitur indignum ducente, cum eis tanquam corde excæcatis conuersari, ipsi suæ vanitati fidentes, ad disputandum cum eo processerunt. Solum autem ad eum non ad alium: tum quidem inuidia eorum quę edebantur ab eo signorum, vt si forte adhæsitantiam, ac consilij inopiam eum adigerent, pudore suffunderent, tanquam insipienter se habentem in his quæ sibi delegata essent: tum etiam vt distractione disputationis erga ipsos, causa illi essent, vt à signis vacaret. Quum itaq; his
E de causis illi instarent. Insuper maligno quoque animo ad quippiam aduersus legem dicendum impellerent, ad quod etiam omne studium illorum tendebat: ipse malitiam eorum aggressus, initio facit hoc, vt acriori certamine, qđ illis præcipuum erat aggrediatur, ac diuini qui in eo erat spiritus & sapientiæ virtute os ipsis obstruat. Deinde etiam ad ea quæ isti decernebant, obscurius quàm vt possint intelligere quędam in medium adfert. Propter quod & ipsi iam deinceps clam procedebant, & ipse postea apertissime, quod in animo erat eis, proponebat. Quidnam? certe legis cessatione, quam non exprimebat, sed innuebat. Nam si id manifeste expressisset, falsis non fuisset eis opus testibus, quod ipsi quidem finis optatus fuit, illis vero perditionem parauit.

F *Et insurgentes corripuerunt eum, adduxeruntque in concilium.*

Furtiuos vbique nituntur aggressus: Christum comprehendētes per viros homicidas, gladios, nocte lampadum facúmque auxilio, ferentes. Petrum reliquosque Apostolos à templo, nunc autem & Stephanum iudicandum, à doctrinæ loco ad concilium rapientes.

Ac statuerunt falsos testes qui dicerent: Homo iste non cessat loqui uerba blasphema aduersus locum sanctum hunc, & legem. Audiuimus enim eum dicentem,

quod

quòd Iesus Nazarenus hic demolietur locum hunc, & mutabit instituta, quæ tradidit nobis Moses. A

Submiserunt viros qui dicerent, Audiuimus eum loquentem verba blasphema aduersus Mosen, ac Deum. Quænam autem sunt ea verba? *Quod Iesus Nazarenus hic demolietur locum hunc.* Atqui hoc dixit Stephanus, & si non adeo aperte: quomodo ergo sunt hi supposititij, falsique testes? Quia non vt audierant ita narrabant: sed alio quidem modo audierant, nunc vero ipsi alio modo proferebant: merito itaque falsi testes esse referuntur. Quemadmodum enim de Christo quòd posset templum dissoluere, falsum fuit testimonium. (Neque enim Christus dixerat Soluam, sed soluite, ad illos non ad se referens solutionem) ita & nunc mendaces sunt, qui Stephanum aiunt legis ac loci demolitionem Nazareno attribuere: quodque vir Nazarenus suis videlicet manibus faceret, & non Deus per Romanos exercitus. Mosi vero instituta manifeste Deus ipse per discipulos suos, & Apostolos commutauit. Nazarenus autem contumeliose dictum est. Nam Stephanus nequaquam Nazarenum dixit Christum, sed Hebræorum principes: ipse venerandum semper Christum ac iustum à prophetis annunciatum, Deoque semper dixit adstantem, veluti etiam ex propositis eius sermonibus manifestum est, cum quibus vnà discessit ab hac vita flagitiosa absolutus. *Demolietur locum hunc.* Multus siquidem de templo illis metus erat; vt qui etiam propter illud locum habitationis mutassent. Duplex autem erat accusatio, quòd instituta mutaturus esset, & eorum loco alia inducturus. Vbique etiam obtendebatur Moses: quandoquidem Dei placita non æque illis curæ erant, vt Mosi: ita ad solam multitudinis gloriam, vitam omnino dirigebant. Matt. 26. B C

Et intuentes eum uniuersi qui sedebant in concilio, uiderunt faciem eius, tanquam faciem angeli. Dixit autem princeps sacerdotum: Num hæc ita se habent? At illi ait: Cap. VII.

Viderunt faciem eius. Ita contingit etiam illum, qui in inferiori gradu est gratiosum, ac splendidum videri. Vt ergo sermo-

D go sermonibus quos dicturus erat consternarentur, à faciei stupore, quo facilius verba eius excipiantur, sumit exordium.

Viri fratres & patres audite.

Vide quòd se ad docendum non inseruerit, sed ab his qui interrogauerũt coactus sit. Et quoniam verbis ac signis vincebat, intolerabilis eis erat. Falsum vero testimonium mercede conductorum inductum est, ne violentia in negocio suboleat. Siquidem Deum non timebant, sed ad hominum gloriam respiciebant. Est autem vere sapiens, ac animi magnitudine plenum exordium. Nominum etenim proprietate demonstrare intendit prudentis non esse, iniuriosum
E quippiam, aut quod damnum adferat aduersus fratres, ac patres inducere: id autem adferre quod & gloriam nouit, & lucrum parere, hoc demum viri est natura absoluti, quique salutifere ad eos loquitur, ad quos est sermo. At de vobis inquit nihil tale concipi potest: quod enim vocationis fratrum ac patrum mihi facta sit mentio, in contrarium huius actum est, quum vos tanquam communis naturæ oblitos procedere animaduertam, indiscreto erga nos odio, quod vos inducit ad ea quoque prætergrediendum, quæ ad diuinam referuntur potentiam. Nam vt cætera omittam horum vobis memoriam suggero, quæ non sine diuina potentia finem sortiuntur, signorum inquam, ac prodigiorum per nos editorum, quorum & vos testes estis, quæ non alio modo
F prosperum sortirentur effectum. Sed postquam Stephanum per fratrum, ac patrum appellationem, hæc obscure designantem comperimus: nunc etiam cõsideremus quæ his addita sunt non vulgari modo, sed cum magna ac diuinitus afflata sapientia.

Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham quum esset in Mesopotamia, priusquàm habitaret in Charran, dixitque ad eum. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & ueni in terram quamcunque ostendero tibi. Tunc egressus de terra Chaldæorum habitauit in Charran; & inde postquam mortuus est pater

Gene. 12.

eius

eius, transtulit eum in terram hanc, in qua uos nunc habitatis, & non dedit illi hæreditatem in ea, ne uestigium quidem pedis. A

Vide & hic quomodo statim ab exordio tollit eorum gloriam, referendo gloriam, non ad templum, neque ad gentem, sed ad solum Deum, Nam quod ait, *Deus gloriæ*. idem est, ac si dictum sit. Deus glorificatus. Hic autem glorificatus est, eò quòd is qui ex perplexis ac difficilibus commoda facit & facilia, atque ex ingloriis reddit gloriosos, etiam nos tales efficiet. Siquidem qui immensa sapientia hominibus à seculo imperauit, hic ipse nunc ea quæ his visa sunt impossibilia, ad facilitatem perducere voluit. Vtque hoc fiat credibile, Abraham eiusque historia in medium B adducitur, qui non in templo, non per hostias Dei apparitionem nactus est, quum in Mesopotamia esset. Hæc autem profert, veluti iam dictum est, demonstrans Deum gloriosum, quod in illis fecit, posse & in nobis facere, quodque occultum est manifestum constituere. Atqui quum multæ nationes ac reges dolose cum Abraham, eiusque semine congrederentur, illi quidem ad nihilum redacti sunt, quod autem humilius erat factũ est sublimius. Si ergo Deus gloriæ in his ita dispensauit, oportet inquit considerare, ne & in nobis talia contingant. ALIO MODO. Vide quomodo ipsos à tẽporalibus abducit, & interim à loco, gloriã Deo non loco attribuens. Ipse etenim gloriæ fons est, non egens gloria, quæ per templum à nobis est. Quum autem C dicat scriptura Thare patrem Abraham egressum esse, vt proficisceretur de terra Chaldæorum, quomodo nunc Stephanus ipsi Abraham oraculum hoc attribuit? Ad quod dici potest, quòd ipsi quidem Abraham diuinum responsum datum est, sed scriptura patri attribuit, quoniam filij consilio quòd à diuino erat oraculo non contradixit, quanquam pater esset, hoc exemplo detegens præsentium inobedientiam. Vtrum enim esse inobedientes non cõuincuntur, quum Thare consilio filij non cõtradixerit, ipsi vero post diuinorum signorum experientiam non solum increduli sint, verùm etiam præ inuidia ad cædem hostiliter eos aggrediendo perseuerent, qui ob diuina signa glorificari merentur?

 Et promisit

D Et promisit illi eam se daturum possidendam, &
Gene.15. semini eius post ipsum quum non haberet filium. Loquutus est autem ita Deus, quod futurum esset semen eius inquilinum in terra aliena, & seruituti ipsum subiecturi essent, maleq; tractaturi annis quadringentis. Et gentē cuicūque seruierint, iudicabo ego dicit Deus.
Gene.21.25. Et post hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto. Et
29.30.37 dedit ei testamentum circuncisionis. Atque hic genuit Isaac, & circuncidit eum octauo die, & Isaac Iaacob, & Iaacob duodecim patriarchas. Et patriarchæ in-
E uidia accensi, Ioseph uendiderunt in Aegyptum: & erat Deus cum eo, & eripuit eum ex omnibus afflictionibus ipsius, & dedit ei gratiam & sapientiam coram Pharaone rege Aegypti, constituitq; eum præfectum
Gene.41. super Aegyptum, ac totam domum suam. Venit autem fames super uniuersam terram Aegypti, & Chanaan, magnáque afflictio, nec inueniebant cibos patres no-
Gene.42. stri. Audito autem Iaacob, quod frumenta essent in Aegypto, misit patres nostros primum, quúmque se-
F cundo missi essent, agnitus est à fratribus suis, & innotuit Pharaoni genus Ioseph. Misit autem Ioseph accersitum patrē suum Iaacob, omnémque cognationem
Gen. 46. in animabus septuaginta quinque. Et descendit Iaacob
49. in Aegyptum, mortuúsque est ipse, & patres nostri. Et translati sunt in Sychen, positique sunt in sepulchro, quod emit Abraham precio argenti à filiis Emor filij Sychen. Quum autem instaret tempus promissionis, quam promisit Deus ipsi Abraham, creuit populus, & multiplicatus est in Aegypto, donec exortus est alius rex, qui non nouerat Ioseph.

In præsenti concione beatus Stephanus multis demonstrat &

ſtrat & ſuam erga Iudæos beneuolentiam, & illorum erga A
ſe ferocitatem. Nam quòd tanquam ad fratres ac patres intendat ſermonem, quid aliud his indicat nominibus quàm quòd ſecũdum cognationis dignitatem ad illos feratur. Iudæi vero parum huic affectui deferant, ſed potius aduerſus ſigna per ipſum facta crudeliter affecti ſint? Ideo quoq; Stephanus in illorum improbitate, quæ ex infecto animo erat, liberius coarguenda occupatus eſt. Et promiſſionem quæ ad patres facta eſt ob quam efferebãtur, oſtẽdit ante eum locũ, ante circuncifionem, ante ſacrificia, ante templum factã eſſe, & neque hi circuncifionem aut legẽ acceperant quòd digni fuiſſent, ſed ſolius obedientiæ merces erat ſola terra. Et neque data circuncifione completa eſt promiſſio, quòd etiã hæc in figura cõtingerẽt. Cõſidera vero quòd ſi pater Thare non fuit ſocius peregrinationis cum filio Abraham eo B
quòd indignus eſſet, multo magis filij, etiam ſi plurimum viæ confecerint. Abraham itaque adeo fuit obtemperans, vt & cognationem & patriam ſolo motus oraculo reliquerit. Quod ſi hic ita ſe habuit, quomodo hi qui in omnibus inobedientes eſſe deprehenduntur, in filios Abrahæ reputabuntur? Neque enim vitæ natiuitas ſed morum imitatio filiationem conciliat: quoniam ita quoque monſtris mala fortuna natis quod legitimũ ac naturale eſt poſſet attribui. Hoc modo quanquam dictionis ſerie non procedat, magna tamẽ abbreuiati ſermonis intelligentia progrediens, & illorũ impudentiam ad Chriſti vſque paſſionem coarguens, paſſus eſt quæ veriſimile erat eum pati oportere qui malos argueret. C
Et promiſit ſe illi daturum. Hinc deinceps Abrahæ procedit hiſtoria quæ tota patriarchæ narrat tolerantiam ad euẽtum vſque promiſſionum. Siquidem Abraham eiuſque nepotes qui circa diuinas promiſſiones longanimes fuerunt demonſtrat percelebres, negligentes vero ſimiles præſentibus tunc auditoribus, qui & ipſi illorum calamitates abſque dilatione vnà cum eis aſſequentur, abſtractis ab eorum manibus, bonis quæ ſperabant. Quæ tamen omnia parua ſunt ſi ad extremum in Chriſtum auſum commenſurẽtur. Ideo quoque duri ceruice & incircuncifi corde ac auribus dicuntur: propter quæ & prophetarum homicidæ eſſe coarguuntur, imo ipſius etiam Chriſti, qui & interitum & nouiſſimam ipſis di-

D spersionem rependet. Tanta itaque sunt quæ videre contingit in hoc abbreuiato sermone prudentissimæ cõcionis Stephani diuina præditi sapientia, quorum etiam iuxta nostram tenuitatem sumptum intellectum hactenus ordinauimus secundum qualitatem dati nobis sermonis, finẽ vnà cum principio contrahentes: in ipso sermone, à quo latex hic diuinitus scaturiens effluxit, nos oblectantes. Iam autem vtile erit per partes ea quoque iuterpretari iuxta nostram possibilitatem, quæ maiorem desiderant moram. Non enim frustra ad concionantis roborationem assumpta est Abrahæ eiusq; deinceps nepotum historia: sed vt ostendatur & maiorum circa id quod diuinum est facilis obedientia, & minorum ob improbos mores inobedientia. Et primum quidem exemplum ex Abraham profertur, quod non oporteat accelerare
E ea quæ diuinis promissis deferuntur: quia neque Abraham accelerari petiit nepotum ab Aegypto egressum: quum manifestata esset ei detentio, quæ ad quadringentos annos proroganda erat, idque cum multa afflictione & subactione in seruitutem, subactione vero non qualibet, sed intolerabili, siquidem illis non vt seruis sed vt inimicis vtebantur. Et certe nulla profertur ab Abraham deprecatio de abbreuiando tẽpore, sed paululum quiddam duntaxat ad refocillationem præstitum, nempe respondens aduersus affligentes vltio, ab eo qui se iudicaturũ promisit illos qui hostiliter eos interimerent, qui nihil iniuriæ ipsis intulissent. Animari vero ad expectandas à Perside in Palęstinam promissiones, & neque
F propter longam moram, aut rerum magnitudinem detorquere promissionem ad impossibilitatem, quia totum in promittentis potestate reponitur, quantæ est erga deum qui id suadet confidentiæ? Præterea inuidia fratrum aduersus Ioseph ponitur, & ĩiuriarum obliuio, in eo quòd quum posset, nõvltus sit eos qui se afflixerant, quin potius beneficia repẽdit. Post hæc subiungitur eorum correptio, qui aperte ac furibunde monebantur aduersus Christum eiusq; discipulos.

Hic circumueniens genus nostrum afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos ne in uita seruarentur.

κατασοφισάμενος, id est, circumueniens, hoc est decernens quo

quo pacto versutis technis superior eis efficeretur. Nam σοφισμὸς coacta interpretatio dicitur. Propter quod ita significanter dicit, violente videlicet illis imponere volens. Vnde & σοφιστὰς vocat impostores, vtpote veritatem fraude ac dolo occultātes. Post ea quę de Abrahā dicta sunt ex diuino responso: significat nepotum ipsius ærumnas ab Aegyptiis toleratas quarum etiā compensatio recreans, Aegyptiorum est interitus, qui ab ipso deo illis circa mare rubrum impendisse significatus est, ne discruciātium rerum impetu, desperatio salutarium causam præbeat collabēdi in infidelitatem. Considera etiam quæ sit fidei securitas de his quæ promittuntur. Quænā illa est inquies? nēpe quòd circuncisio genitalium partium ipsis solis data insigne fuerit, non iis quibus non cōtigerat. Ex quibus omnibus eorū intuere obedientiā qui diuina acceperant responsa. Sed & tēpore quo afflictorū instabat egressus, amplius progressa est affligentium iniuria, quę obstetrices admonuit ad masculorum perditionem. Verum in aliis quidem afflictionibus id oppositum est ꝙ afflicti amplius multiplicabantur Hæc autē improbitas præterquā quòd in malis dolis intēto frustrabatur, Mosen etiam qui ipsos perditurus erat præter expectationem seruauit, ac regia educatione curaq; dignum effecit. Quo autē fine id assumptum est? Ad indicandum quòd neq; nunc negandum sit iis qui aduersus Christum eiusque discipulos armantur similia contingere, qui in operibus manuum suarum coprehendun tur. Signum vero circuncisionis in partibus genitalibus id significare vult, nempe operimentum quo se primi parentes operuerunt in paradiso, natum inuidia serpentis, qui principium & caput est malorum: ex quo etiā fide dignior habitus est quàm deus circa ligni esum. Hoc abiicere circūcisio eum adhortabatur qui vitam secundum deum transmutabat, iuxta Mosi quidem legislationem eorum præcipiens amputationem quæ à natura solent amputari. Præterea vero etiam tempus aduētus Christi designat: quo vniuersa vmbratica ac figuratiua ad euangelicam veritatem trāsferuntur. Vnde eos qui ita corrigi non sustinent in sequentibus duros ceruice ac incircuncisos esse describit: duros quidem ceruice, ad subiiciendum se diuino spiritui: incuncisos autem corde & auribus vtpote non tolerantes mutuo datis occasionibus expiari aut

D ri aut attingi in rebus. Quòd si admirandum erat in Ioseph quòd sit venditus à fratribus, ipsos tamen venditus seruauerit: illud magis admiratione dignum quod rex eum nutrierit qui ipsius principatum erat subuersurus. Ostendit autem faciens infantes exponi quòd non vellet eos manifeste occidi. Et vide quòd diabolus per ea prouexerit dei promissionem, per quæ conabatur eam dissoluere. In exilium relegatur Moses, sed in exilio visionem illam adipiscitur, & populi ducatus illi committitur: ita venditum quoque seruum ibi regnare facit vbi seruus habebatur. Et ipse Christus in morte potentiam demonstrauit ac robur, adeo sapiens est deus, & incomprehensibilis prouidentia eius.

Sapié. 10.

Exod. 2

E *Quo tempore natus est Moses, fuitque gratus deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris, expositum autem ipsum tulit filia Pharaonis, & educauit eum sibi in filium. Et eruditus est Moses in omni sapientia Aegyptiorum, erátque potens in operibus & sermonibus. Vt autem expletum est illi quadraginta annorum tempus, subiit in cor eius, ut inuiseret fratres suos filios Israel. Quumque uidisset quendam iniuria affici, defendit eum, & ultus est uicem eius qui affligebatur.*

Illo igitur tempore natus est, inquit Moses, fuitque ἀστεῖος, F id est gratus, siue dilectus deo. Vel ἀστεῖος propriè, hoc est in puerili quo ad corpus ætate irreprehensibilis. Expositum autem ipsum quum tulisset filia Pharaonis edocuit omni sapientia Aegyptiorum. Ex hoc manifestum est non reiiciendā esse omnem externæ scripturæ eruditionem. Siquidem encomij vice dictum est, quòd Moses eruditus est omni sapiētia Aegyptiorum. De trib⁹ quoq; pueris, ac Daniele dicitur, quòd super omnes eminebant Chaldæorū sapiētia cęterisq; sciētiis: Oportet autem paululum illis adhærere eos qui scripturæ diuinitus inspiratæ immorantur. Neque enim Moses neque Ananias, aut Daniel preregrinam didicerunt eruditionem, nisi necessitate ac coactione dominorum, in nullo etenim ea vsi sunt. nisi forte quis dicat quod bonum sit eam discere

Nota,

Danie. 1

discere ad euertendas illorum fraudes. A

Percusso Aegyptio.

Occidit Moses Aegyptium nō animi furori obsecundās, neque ira motus, sed zelo. Omne autem quodcūque factum fuerit iuxta dei verbum pietas est, etiam si cædes fuerit dei intuitu, iam non est cædes. Certe quum Phinees duos vna Num.25 manu iteremisset, audiuit. Stetit Phinees & placauit & quieuit Psal.105 plaga, ac reputatum est ipsi ad iustitiam. Diuersa nanque est voluntas homicidæ & eius qui pietatem exercet: etiam si peractum opus sit vnū. Factum itaque per Mosen signum fuit quòd deus per Mosen Aegyptios occideret, dictos autem Israelitas seruaret. Et ita quidem se habent quæ ad Mosen attinent. Verum sermo hic rursum nobis supremæ contemplationis dispensationem concinnabit quę in Christo B fuit. Siquidem quum inuenisset deus Israelitas indignam sustinere violentiam: nam insilierat in eos Satanas veluti comminuens ac deuorans, misertus considerauit, vt liberaret, quum autem modo quodam eum interemisset qui iniuriam intulerat, abscondit in terrā, hoc est in subterraneis locis conclusit in infernum. Prius enim in infernum velut occluso Satana, visus est Israelitis iustitiæ præmium tribuisse. At illi quum gratias agere debuissent dicebant: Hic non eiicit dæmonia, nisi per Beelzebul principem dęmoniorum. Matth.12 Propterea etiam ex Iudæa transmigrauit in Galilæam, sicut & Moses translatus est in terrā Madian, & vocauit transmigrationem Gentium.

Existimabat autem intelligere fratres suos q̃ deus per manum eius daret ipsis salutem: illi uero nō intellexerunt. Et sequēti die cōspectus est illis litigātibus, & redegit eos in cōcordiā dicens: Viri, uos fratres estis, ut quid uos inuicem læditis? Is autem qui proximo irrogabat iniuriam repulit eum dicens: Quis te cōstituit principem ac iudicem super nos? Num tu me uis interficere queadmodum interfecisti heri Aegyptium? Fugit autem Moses ad uerbum hoc, factusq́; est aduena in terra Madian & generauit filios duos. C

Hinc

D Hinc quoque ingratitudinem inquit confidera & infidias Iudæorum erga bene de fe meritos. Mofes fiquidem qui ani mi excandefcentia illum interemit qui alterum fibi congẽtilem afficiebat iniuria, manfuete nunc cum eo agit qui iniuriam irrogat. At ille patria vtẽs aduerfus benefactores procacitate, eum magis illata contumelia repulit: ac Mofen ad perditionem venatur, qui cædem fuo cõtribuli falutiferam, Aegyptio intulerat. Quo fane modo etiam aduerfus Christum affecti fuerunt, ob eius benefacta mortem bene de fe
Iohan.11. merito meditantes. Ideo etiam dicunt: Quid facimus, quia hic homo multa figna edit?

E *Et expletis annis quadraginta, apparuit ei in deserto montis Syna angelus domini in flamma ignis rubi. Intuitus autem Mofes admiratus eſt uiſum: quumq; accederet ut attenderet, facta eſt uox domini ad eum: Ego ſum deus patrum tuorum, deus Abraham & deus Iſaac & deus Iaacob.*

Filium dei vocat nunc angelum, quemadmodum & alibi
Iesa.9. hominem. Ipfe nãque eft magni confilij angelus. Ideo quoque paulo poft oftendit eum beato Mofi dicentẽ: Ego fum
F deus patrum tuorum, deus Abraham & Ifaac & Iaacob. In flamma autem ignis rubi manifeftatur. Siquidem in fpecie quoque ignis & in monte Syna deus demonftratur dando legem. Quæ igitur ratio eft? Sacra fcriptura diuinam naturam igni affimilat propter omnipotentiam, & ꝙ omnia cõfumat:
Deut.4. hominem vero lignis & herbis. Dicit enim alibi: deus ignis
Hebræ.12 confumens eft, & rurfum: Homo, ficut fœnum dies eius. Sed
Psal.101. quemadmodum ignis eft fpinis intolerabilis; fic & diuinitas humanitati. Attamen in Chrifto fimul concurrit factaq; eft tolerabilis, velut quippiam operiẽs purum acceffum propriȩ naturæ ignis, vt in eo fufcipi poffet, quemadmodũ & in fpinis ignis. Quòd autem carnem fuo interitu reddat meliorẽ, ænigmatice manifeftare poteft ignis in rubo, qui lignum omnino feruabat incorruptum. Capax enim effecta eft diuinitatis humanitas, & hoc myfterium in Chrifto factum eft.

Tremebundus uero Moſes non audebat attendere.

Dixit

Dixit autem ei dominus: Solue calceamentum pedum tuorum: Locus enim in quo stas, terra sancta est. Vides uidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto, & gemitum eorum audiui, descendiq; ut liberarem eos. Et nunc ueni ac mittam te in Aegyptum. Hunc Mosen quē negauerunt dicentes: Quis te constituit principem ac iudicem? hunc inquam deus principem ac liberatorem misit per manum angeli qui apparuerat ei in rubo. Hic eduxit eos edens prodigia & signa in Aegypto & in mari rubro ac in deserto annis quadraginta. A

Quanquam non eisdem dictionibus apparent positæ in Exodo voces, eodem tamen sensu positæ sunt. Neque enim multum differunt ἔντρομος & ἔμφοβος id est tremebundus & expauefactus. Hæc autē dicunt de visu circa rubū tremēdo & timēdo, quod ipse maneret incorrupt⁹. Similiter & in narratione circa montem Sina. De eo enim dixit Moses: Expauefactus sum & tremebundus, alternatis ac geminatis vsus dictionibus. Stupefactus itaque visu beatus Moses addebat consequenter illud, dicens alibi apud seipsum: Aggressus videbo visionem hanc magnam, quid sit quòd nō exuratur rubus: Sed prohibuit eum statim dominus dicens: Ne appropinques huc, pedisque calceamentum solui iubet. Ecce quē paulò ante dixit angelum, nunc eum dominum esse ostendit ac deum. Ipse enim est magni consilij angelus ac dei filius. Quod ergo ænigma per calceamentum significatur? Necesse est vt dicatur calceamentum esse mortificationis signū ac corruptionis. Certe omne calceamētum mortui iam animalis reliquum est. Oportet igitur mētem eam quæ conatur ad diuinas ascendere contemplationes, Christique intelligere mysterium, omni mortua ac carnali solui imaginatione. Nō ergo per legem cultumque ministerialem ad Christum possunt accedere (Moses namque legis personam gerebat) nisi inquinationem quæ à peccato contracta est, cultumque qui adhuc in figuris & vmbris est, antea repulerint. Si autē prædicto calceamento absolui velint, tunc appropinquant Christo, cultum qui in spiritu & veritate est comprobantes.

B Exod. 3.
Hebræ. 12
Exod. 3.
C

Hic est

D *Hic est Moses qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit uobis dominus deus uester de fratribus uestris similem mei.*

Hoc subiunxit beatus Stephanus indicans eis ꝙ in Christo peractum erat mysterium, ac ostẽdens quòd Moses quoq; de ipso loquutus esset illis. Rursum enim deus ac pater per sapientissimum Mosen proprij filij incarnationem prædicit, & quòd alter legislator ad nos designandus esset: qui quidẽ veteribus quoque per angelos legem loquutus esset: nouissimis autem temporibus autor ipse ad nos designatus, qui
E nouum testamentum tanquam angelus ipse sanciret, magni consilij patris angelus siue nuncius: & hoc per id significatum est quod dicitur, *Similem mei.* hoc est legislatorem. Vocat autem prophetam dominum prophetarum propter humanitatem: *Similem mei.* contemptum ab his à quibus debuit honorari. Vterq; legem dedit, signis primùm editis: sed ne sic quidem alicui ipsorum obtemperare voluerunt.

Ipsum audietis. Hic est qui fuit in congregatione, in deserto, in mõte Sina, & cum patribus nostris: sed repulerunt & conuersi sunt corde suo in Aegyptum, di-
F *centes ad Aaron: Fac nobis deos qui præcedant nos: Mosi enĩ huic qui eduxit nos de terra Aegypti nescimus quid acciderit. Et fecerunt uitulum in diebus illis, & obtulerunt hostiam idolo, ac lætabãtur super operibus manuũ suarum. Conuertit se autem deus & tradidit ut colerent militiam cœli sicut scriptum est in li-*
Amos. 5. *bro prophetarum. Nũquid uictimas & hostias obtulistis mihi quadraginta annis in deserto domus Israel?*

Considera quòd primum inducit eos offerẽtes hostias, & tunc quòd eas idolis obtulerunt. Nam antea nusquam inuenitur θυσίας nomen, sed præcepta erant de viuis & rationalibus animalibus. Testimonium autem inducit non vtcunq;, sed quo ostẽdat nullam esse hostiarũ necessitatẽ, in eo quod ait, Nũquid victimas & hostias &c. ac si dicat. Dicere nõ potestis quòd quum deo sacrificaretis, etiã illis offerebatis, sed

illis primum immolastis. Et hæc quidem in deserto vbi lõgissima fuit mora vestra. Vide autem integram concionẽ, quàm fortiter & absque odio in tota illorum accusatione perseueret, tantum non dicens: Et si tẽplum dixerim dissoluendum, & instituta hostiasque immutanda, nihil noui dixit. Moses siquidem in quo plurimum gloriari videmini, annis quadragĩta neque hostias obtulit neque templũ erexit, sed neque Dauid, neque quispiã aliorum in medio positorum, idque quum iam sorte data ac diuisa vobis esset terra. Sed & prophetæ tãquam de rebus non necessariis, ita de his pronunciant. Quo autem pacto Mosen nũc vos vlcisci fingitis, quem repulerũt & patres vestri & vos? Vtq; vno verbo dicã, tota cõcione videre est, quàm sapiẽter simul & modeste & acute illorum accusatio dissoluaẽ. A B

Et suscepistis tabernaculũ Moloch & sidus dei uestri Rephpham figuras quas fecistis ut adoraretis eas. Et transferam uos trans Babylonem.

*Moloch siue Molchom dicitur. Erat autẽ hoc simulachrum Moabitarum, habens lapidem transparentem ac preciosum in modum luciferi extrema frontis parte. Rephpham vero species est tenebrarum. Nam quum ascendisset C

*מלוכום *Molchom significat quidem Rex eorum, &*

מלככם *Malkechem rex uester. Moloch tamen ut est idoli nomen de quo Leuitici uigesimo siue potius* מלך *Molech, idem est quod Regnans. Quod autem dicit de rephpha siue Rẽpha ut in uulgata habetur editione. Aut ῥεφὰ ut hoc loco habet Complutensis editio, est ex trãslatione Septuaginta Amos. 5. qui addunt ibidẽ ῥεμφὰμ, uel ῥομφὰμ ut in eo loco habet Cõplutensis editio: quanquam in Hebræo nihil illi respõdeat. Nisi uerum sit, quod ibi notat Hieronymus, poni à Septuaginta pro* כיון *kiiun. Vt autem hæc clarius innotescant, & similiter quod Stephanus nõ posuerit hic Babylonem sequutus hebræa, ut hic autor diuinauit quasi hebraice nesciret, sed sensum eundẽ seruans, nẽpe longissimã indicãs ablegationẽ, quod prophetæ sensũ auget nõ imutat, hebraica prophetæ Amos uerba subtexã.*

ונשאתם סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם והגליתי אתכם מהלאה לדמשק:

Hoc est: Et portastis Ciccuth regem uestrum, & kiiun imagines uestras, sidus deorum uestrorum quod fecistis uobis. Et migrare faciam uos trans Damasec.

D disset Moses in montem, conflauerunt vitulum & prouoluti sunt ad cultus astrorum, factoque tabernaculo statuerunt simulachrum quod appellarunt Moloch Est autem Moloch, si quis interpretetur, rex eorum. Rephpha vero tenebræ aut excæcatio. Suscepistis itaque tabernaculum Moloch, hoc est regis vestri, quis autem ille est? astrũ dei vestri Rephpham, quod etiam fuit vobis ad excæcationem. Obtenebrata sunt enim corda vestra. Quoniam autem Moabitarum insaniam expleuistis, quæ Damasci vicina regio est, propterea proficiscimini trans Damascum, hoc est in Babylonem. Et licet propheta dixerit, Trans Damascum (Nam ita habet translatio Septuaginta) beatus tamen Stephanus ait Trans Baby-

E lonem, sequens editionem Hebræorum vel quod terminus Damascenorum Syrorumque regionis sit Babylon.

Exo.25. 26.27. *Tabernaculũ testimonij fuit patribus nostris in deserto sicut ordinauerat illis loquens ad Mosen ut faceret illud secundum formam quam uiderat. Quod etiam induxerunt patres nostri, qui successerunt cum Iesu in possessionem Gentium, quas expulit deus à facie*

1.Reg.7. Psal.131. *patrum nostrorum, usque ad dies Dauid qui nactus est gratiam coram deo & petiit ut inueniret tabernaculum deo Iaacob.*

F Tabernaculum testimonij, hoc est iussorum dei, quod tabernaculum Mosi in monte Sina à deo demõstratũ est. Propterea autem dictum est ipsum à deo cõstitutum esse, vt deũ testẽ haberent, quòd eius deliniatio in monte fuerit, & ipse illud Mosi descripserit.

Solomon autem ædificauit ei domum. Sed excelsissimus ille non in manufactis templis habitat, quemadmodum ait propheta:

Iesa.66. *Cœlum mihi sedes est, terra autẽ scabellum pedum meorum. Quãm domum ædificabitis mihi dicit dominus, aut quis locus requietionis meæ erit? nonne manus mea fecit hæc omnia?*

3. Reg.6. * Habuit Quadringentesimo * octogesimo egressionis filiorũ Israel ex Aegypto cœpit Solomon ædificare in Ierusalem tẽplum

plum, veluti docet terti⁹ liber Regum. Propterea autẽ tanto post tempore ab ascẽsu Israel ex Aegypto ædificatum est templum, vt postquam in montibus circumerrando laborassent, vnum locum qui esset in Ierusalem diligerent, quẽ de⁹ in honore habuisset. Hi vero quum intellectu tardi essent, deique sermonum imperiti, existimãtes Ierusalem dei ciuitatem esse, in ipsa sola deum habitare dicebant. Eos itaq; cõuincit deus ꝙ perparce glorificarẽt eum, & ait, Qualem domum mihi ædificabitis qui cœlũ habeam in thronum, terram vero in scabellum pedum? Ipsis enim qui naturam eius suspicabantur contractam esse, locisq; conclusam aperte demonstrare oportuit quòd vbique esset, nihilque eius capax esset, quin potius ipse per omnes transit, eoque plenũ est cœlum, plena est & terra.

A quidẽ hoc loco Græcum exemplar τεσσαρακοστῷ quadragesimo, sed procul dubio mẽdose ut patet. 3. re. 6

B ex omnibus ex ditionibus. unde ex labili memoria hæc uerba citauit.

Duri ceruice & incircuncisi corde & auribus.

Quam ob causam, quum hactenus mansuete concionatus esset, aspero nunc vtitur sermone? Quia videbat illos animò non aduertere his quæ dicebantur.

Vos semper spiritui sancto resistitis.

Non dixit deo resistitis, sed spiritui sancto, adeo nullã inter hæc nouit differentiam: quando quidem etiam spiritus est deus, quanquam iis non videatur qui deũ nõ colunt. Vos itaque semper inquit deo resistitis. Nam quando hostias offerri volebat, vos illi nõ sacrificabatis: quando autẽ nõ vult, sacrificatis. Quando cõsistebat templum, simulacra venerabamini: quando vult sine templo coli, contrarium facitis, similia patribus vestris operantes. *Iohan. 4.*

C

Sicut patres uestri, ita & uos.

Ostendit malum superne ad eos descendere. Ita & Christus ostẽdebat, qm̃ plurimũ semper de patribus gloriabãtur.

Quem prophetarum non occiderunt patres uestri?

Nouimus beatũ Stephanum quum hæc assereret vera dicere, vt qui per spiritũ sanctum loqueretur. Demonstrat autẽ à veteri instrumẽto quo iure patres accuset illorũ, qui in Iesum non credebant, ꝙ persequuti sint prophetas & occiderint: neq; enim posset facere ab his, qui feruntur noui testamenti libris. Si ergo inquit illos occidistis qui de eius aduẽtu prænuntiabant, quid mirũ si & ego qui prænunciatũ pręf dico, à

D dico, à vobis interimar. Nō ignorabat autem quòd ab eis esset occidendus, quum plenus esset spiritu sancto, ideoque absque metu vsus est loquendi libertate.

Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduētu iusti illius, cuius uos nūc proditores & occisores fuistis, qui accepistis legem ad dispositiones angelorum, & non seruastis.

Iusti inquit, ostendens ꝙ si ille iustus erat, valde iniqui erant qui illum occiderunt. Iustum autem illum vocat, quod neq; illi negare poterāt. Quanquā enim admodum præfracti ac cōtumaces erant in nullo tamen eum iniustitiæ accusabant: quomodo enim hoc facerent, quum ne domum quidē haberet? Iustum autem vocabat Iesum volens eos attra-

E here. Ipsius vero proditores & occisores dicit, ꝙ eorum essent participes qui ipsum crucifixerant, idque quum legem inquit accepissent ordinationes habentem, quæ facerēt eos qui ipsam opere cōplerent angelis similem seruare politiam. Hoc nāque est quod ait: *Qui accepistis legē ad dispositiones angelorum.* Quidā vero etiam hoc aiūt illum dicere, quod per angelos statuta esset, & Mosi tradita per angelum qui ipsi in rubo apparuit εἰς διαταγὰς. i. in vel ad dispositiones, hoc est secundum dispositiones, quemadmodum illi statuerant, Mosi apparentes in rubo & in monte.

F *Audiētes autē hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dētibus suis in eū. Quū autē esset plenus spiritu sancto, intentis in cœlum oculis uidit gloriam dei.*

Si eum occidere volebant quomodo non statim occidebant? Quia verisimilem sceleri occasionem prætexere volebant. Nam iniuria aduersus ipsos non erat rationabilis prætextus ad interemptionem sed ad eiectionem aut ad flagellationem fortassis, ad occisionē vero causa sufficiens nō erat. Alioqui etiam neq; ipsius contumelia erat, sed prophetę aduersus illos accusatio, nec videri volebant interimere illum ob proprias iniurias, quēadmodum neq; Christum. Etenim contenti nō erant homicidium perpetrare, sed & gloriæ eius nocere conabantur. Siquidem metuebant ne celebris magis redderetur, si ob iniuriam ipsis illatam interimeretur.

Et Ie-

Et Iesum stantem à dextris dei, & ait: Ecce uideo A
cœlos apertos, & filium hominis stantẽ à dextris dei.

Stantem & non sedentem vidit Iesum beatus Stephanus, vt suã exhibeat Christus protectionẽ: & magnã suo athletæ tribuat alacritatẽ, auxiliantis enim habitus ostenditur. Præterea vero quoniam graue eis fuisset audire, ꝙ sederet. stare interim dixit, designans ipsius resurrectionem. Quod autem nõ stet, sed sedeat, etiã Paulus ostendit dicẽs, quod simul resuscitauit simulq; sedere fecit inter cœlestes ad dexterã suã. Ephe. I.

Exclamantes autem uoce magna continuerunt aures suas & impetum fecerunt unanimiter in eum. Et eiectum eum extra ciuitatem lapidabant.

Continuerunt qui aduersus sanctum tulerant falsum testimonium. B

Et testes deposuerunt uestimenta ad pedes adolescentis qui uocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem ac dicentem.

Testes dicit, quos subornauerãt, vt aduersus illum ferrẽt falsum testimonium, ostenditque eos qui testes videbantur, promptiores ad cædem fuisse, quandoquidem etiam vestes deposuerunt quo expeditiores essent ac leuiores ad iaciendos lapides. Id autem ait, quoniam is etiam qui vniuersi orbis prædicator futurus erat, ipse quoque ad cædem cooperabatur: ostendens quod diuina quædam & admiranda supraque hominem fuerit eius conuersio. Quod vero ait, *Domine Iesu accipe spiritum meum*, demonstrantis erat ac docentis quod non periret. C

Domine Iesu accipe spiritum meum.

Hinc ostenditur iustorum animas à corporibus liberatas nequaquam in infernum descendere quemadmodum & antea, sed transmitti potius in manus dei viuentis per omnium nostrum saluatorem Christum.

Positis autem genibus clamauit uoce magna: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Quumq; hoc dixisset obdormiuit. Saulus autẽ cõsentiebat in necem eius.

Quum autem ipse precat⁹ sit, ne sua mors illis in peccatũ

D statueretur, dignum est vt inquiramus vtrum peccatum fuerit illis remissum. Et dicim⁹ quòd his qui resipuerũt, remissum est. Siquidem Paulus qui illum innumeris petiit manibus & persequutus est ecclesiã, factus est defensor ecclesiæ.

CAPVT IX.

De persequutione ecclesiæ & sepultura Stephani: in quo etiam agitur de Philippo Apostolo qui multos in Samaria curabat.

Cap. VIII 
Acta est autẽ in illo die persequutio magna aduersus ecclesiam quæ erat Ierosolymis omnesq; dispersi sunt per regiones Iudææ
E *& Samariæ præter Apostolos. Curauerũt autem Stephanum unà uiri religiosi, ac fecerũt planctum magnum super eum. Saulus uero deuastabat ecclesiam, per singulas domos intrans, trahènsque uiros ac mulieres, tradebat in custodiam. Illi itaque dispersi peragrabant annunciantes uerbum dei.*

Vide quomodo deus inimicorum aduersus Christum insidias ad bonum finẽ deducat. Dispersi nãque multo plures irretiebant euangelica sagena, quàm ante persequutionem.
F Apostoli vero non sunt dispersi, sed Ierosolymis erant. Vbi enĩ potissima erat oppugnatio, ibi primos ac præcipuos milites in acie stare oportebat, cæterísq; proponi in exemplum fortitudinis & audaciæ. Verum si religiosi erant qui Stephanum sepelierunt, quomodo planctum fecerũt? Aut quia nõdum perfecti erant, aut quod planxerint tanto præfecto, tãto patrocinio, tanta doctrina, tãtísque signis priuati, & quòd mitem illum ac benignum conspiciebant mortuum, lapidibúsque oppressum.

Philippus autẽ digressus in ciuitatẽ Samariæ prædicabat illis Christum. Intendebant autẽ turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes ac uidẽtes signa quæ edebat. Spiritus enim immundi ex multis qui ab ipsis tenebantur clamãtes magna uoce exibant. Multi autem paralytici & claudi curati sunt, factumq; est gaudium magnum in illa ciuitate.

Non est

Non est hic Philippus Apostolus qui inter duodecim numeratus est, sed vnus ex septem qui cum Stephano delectus fuerat ad gubernationem viduarũ. Id auté verum esse hinc manifestum est. Solis enim Apostolis Ierosolymis derelictis, cæterorum vero discipulorum aliis alibi dispersis prout iam dictũ est, omnes circa Iudææ ac Samariæ regiones dispersi sunt præter apostolos. Inter hos ergo dispersos erat iste Philippus qui & Simonem instruxit in Samaria. & quũ Eunuchum iuxta diuinum baptizasset oraculum, à domini spiritu repositus est Azoti, venitque Cæsaream quæ ipsi patria erat. Quum enim in persequutione quæ fuerat tempore Stephani tentatus fuisset, ac timuisset ne & ipse similium particeps fieret periculorũ, domũ rursum rediit. Præterea si vnus erat apostolorũ, quũ in Samaria baptizaret, habebat vtiq; autoritaté doni spiritus: & nequaquã Petrus ac Iohãnes à Ierosolymis ad eos descendentes, spiritus gratiam illis tribuissent. Hic itaque tantum baptizat vtpote discipulus, gratiam vero perficiunt apostoli, quibus talis doni autoritas cõcessa erat. A B

CAPVT X.

De Simone mago qui cũ pluribus aliis credidit & baptizatus est: in quo etiam agitur de Petri & Iohannis ad eos legatione, & inuocatione sancti spiritus super eos qui baptizati erant.



Ir autem quidam nomĩe Simon, qui antea in ea ciuitate exercebat artem magicã, ac dementauerat gentem Samariæ dicens se esse quempiam magnum, cui auscultabãt omnes à minimo usque ad maximum dicẽtes, Iste est uirtus dei quæ uocatur magna. Auscultabãt autem ei propterea quod multo tempore magicis artibus dementasset eos. Verùm quum credidissent Philippo euangelizanti de regno dei & de nomine Iesu Christi, baptizabãtur uiri simul ac mulieres, Simon aũt & ipse credidit, quũq; baptizatus esset adhærebat Philippo, & uidens uirtutes ac signa quæ fiebant, stupens admirabatur. Quũ autem audissent apostoli qui erant Ierosolymis, quod C

D *recepisset Samaria uerbum dei, miserunt ad eos Petrũ ac Iohannem. Qui quum descendissent, orauerunt pro ipsis ut acciperent spiritum sanctum.*

Hoc loco indicandũ est non oportere ad magos accedere: ꝙ si quis deceptus ad eos accesserit, quãtocius separetur: perseuerantia namque in his rebus stuporem mentis adducit, ne possit quis intelligere ad diiudicandum. Hic itaq; Simon quum magus esset apostolisq; blandiretur, & sicut cæteri à Philippo qui vnus ex septem erat, inter multos bapti-

E zatus esset, nõ tamen per impositionẽ manuum apostolorum spiritum sanctũ accepit. Quid ergo? an à Philippo baptizati nõ acceperant spiritum sanctũ? Spiritum sanctum acceperant quidẽ quo ad peccatorum remissionem, sed nõ acceperãt quantũ ad signorũ editionẽ. Vnde intuitus Simon quod per manuũ impositionẽ daretur, accessit ad apostolos sumpta audacia vt illum sibi mercaretur. Antequã enĩ alios videret spiritum ad edenda signa accipientes nõ audebat petere. Quomodo autem talem baptizauit Philippus? Eodem modo quo & Christus Iudam elegit. Quomodo vero ipsum nõ occidit Petrus vt Ananiam. Quoniam in veteri quoq; te-

Nume. 15. stamẽto vnus interẽptus est qui ligna sabbatho collegerat ad

F correctionem cæterorum, quum nullus alius hoc passus sit. Licet autem intelligere quod in datione spiritus sancti sensibile quippiam admirandum cõtingebat, neq; enim alioqui Simon ad petendum accessisset, nisi hoc conspexisset. Quomodo autẽ quum id non vidisset apostolos pecuniarum gratia facientes, ausus est offerre pecunias. Quia nõ errãtis erat, sed tentantis. Propterea etiã Petrus, Cor tuum inquit, nõ est rectum: ostendens quod neq; illa laterent ipsum, quæ in ei^9 mente tractabantur. Vide autem Simonis impudentiã. Quũ enim ipsum petere oportuerit vt spiritum acciperet: quoniã id illi studio non erat, petit vt aliis daret. Volebat enim Philippo quoque videri clarior. Nam Philippus vn^9 ex septem, quum Diaconus esset, potestatem non habebat vt ad manuũ suarum impositionem daret spiritum sanctum. Quod autem hoc verum sit, quòd spiritum ad edenda signa nõ acceperit, vide quomodo dicat quòd videns virtutes ac signa quæ fiebant, stupens admirabatur, & hoc petiturus accessit.

Nondum

Nondum enim in quenquam illorum illapsus fuerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum. A

Manifestum est eós, qui à Philippo Samariæ baptizati erant, non accepisse spiritum sanctum, eo quòd donum huiusmodi non haberet: quandoquidem vt diximus hic vnus ex septem erat. Nam hi virtutem quidem ad edenda signa acceperant, non autem vt cæteris quoque darent huiusmodi spiritum: hoc enim Apostoli seruatum erat. Præterea Philippus in eos qui à se baptizati erant spiritum illabi non fecit, honorans videlicet Apostolos. Neq; enim tanquam abiectus & indignus (quando etiam de ipso proditum est, quòd signa ediderit in sanitatibus morborũ, eiectionibusque dæmonum) sed quòd non orauerit, vt hoc illis cõtingeret, nõdum videlicet aptis ad spiritus susceptionem: quando & Simon qui ab eo baptizatus erat, quę carnis sunt adhuc sapiẽs, petebat ab Apostolis dono pecuniarum accipere potestatem, vt cuicunque vellet, manuum impositione daret spiritum sanctum. B

Intuitus autem Simon, quòd per impositionem manuum Apostolorum daretur eis spiritus sanctus, obtulit eis pecunias dicens: date & mihi potestatem istam, vt cuicunque imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. C

Scelestus hic Simon non fidei gratia, pecunias offerens, hoc sibi contingere cupiebat: sed quo sibi quæstus, ac occasio pecuniarum hoc fieret. Accessit enim vt accepta huiusmodi gratia ditesceret per signa: quẽadmodum antea imaginaria solum operans dæmonum auxilio. Siue tẽtans Apostolos hoc faciebat, volens accusationem capessere. Ideo etiam audit: Non est tibi pars in sermone isto, cor enim tuũ non est rectum coram Deo, Resipisce igitur, si forte remittatur tibi peccatum. Pręuiderat namque Petrus eum ad pœnitentiam non conuertendum, propterea dicit, Si forte remittatur. Illud siquidem quod addit, Orate vos, non pœni-

D tentiæ est aut conuersionis, sed defunctoriæ tantum purgationis prætextu dicebat, Vbi enim lachrymę sunt & confessio? Hoc auté demonstrat rem esse correctu difficilem, multaque pœnitentia opus habere, si qui in eandem rem diuinam offendant, in quam offendit & Simon, qui existimabat spiritum sanctum pecuniæ obsecundare ad efficaciam operationis habendam.

CAPVT XI. *Quòd non argento, neque simulatoribus, sed sanctis per fidem spiritus sancti communicatio datur: in quo etiam ponuntur quæ sunt de simulatione ac obiurgatione Simonis.*

E *PEtrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunijs parari. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo. Resipisce igitur ab hoc uitio, & roga Deum, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. Nam in felle amaritudinis, & colligatione iniquitatis uideo te esse. Respondens autem Simon, dixit: Orate uos pro me apud dominum, ne quid ueniat in me horum quæ dixistis. Et illi quidem testificati ac loquuti uerbum Dei, reuersi sunt Ierosolyma*

F *mam, multisque uicis Samaritanorum prædicabant Euangelium.*

Pecunia tua tecum. Non sunt hæc execrantis, sed corripientis, veluti si quis dicat: Pecunia tua simul tibi pereat cum huiusmodi volútate. Non punit autem nunc Simonem Petrus quemadmodũ prius Ananiam, vt ostendat fidem non esse necessitatis siue coactionis: sed ad ea potius inducit, quę pœnitentiæ sunt. Ad correctionem enim sufficit arguisse, & ea quæ in corde erant dixisse, ac illum confessum esse, quòd deprehēsus esset. Siquidem dicere, Orate vos pro me, confitentis est, quanquam hoc non à recto, vehementíque affectu diceretur.

Caput

CAPVT XII. *Quid sanctorum ac fidelium communi saluti Deus prosperum tribuat successum, sumpto argumento ex his quæ circa Eunuchum contigerunt.* A



Ngelus autem domini loquutus est ad Philippum dicens: Surge, & uade meridiem uersus, ad uiam quæ descēdit ab Ierusalem ad Gazam, hæc est deserta. Surgensq; profectus est. Et ecce uir Aethiops Eunuchus præfectus Candaces reginæ Aethiopum, qui præerat uniuersæ Gazæ ipsius, uenerat adoraturus Ierosolyma, & reuertebatur sedens super currum suum, legebátque Iesaiam prophetam. Dixit autem spiritus Philippo: Accede, & adiungere huic currui. B *Quúmque accurrisset Philippus, audiuit eum legentem Iesaiam prophetam, & dixit: Intelligisne quæ legis? At ille ait: Quinam enim poßim, nisi quispiam me manuduxerit? Rogauitque Philippum ut ascenderet, ac sederet secum. Argumentum uero scripturæ quam legebat, erat hoc.*

Quam ob causam Eunucho non apparet angelus, ipsúmque ducit ad Philippū? Quoniā fortassis nō credidisset, sed magis perterritus fuisset. Neq; enim erat qualis Cornelius. *Meridiem uersus.* Non à Ierosolymis ad meridiem tendebat, sed ad septentrionem: à Samaria vero in qua Philippus vnus C ex septem versabatur tunc, & docebat, via erat meridiem versus. Dixit autem, *Hæc est deserta,* vt non metueret Iudæorum principatū. Mulieres autem imperabāt illi Aethiopiæ, quarum vna per successionem erat Candace: cuius Eunuchus præerat conclaui thesaurorū regiorū. Sciendum autem quòd Aethiopes omnem regis matrem Candacen appellant: siquidem Aethiopes regum patrem non referunt, sed illos tāquam veros solis filios tradūt: vniuscuiusque autem matrem Candacen appellant.

Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondēte se mutus, sic non aperuit os suū. *Iesa. 53.*

In humilita-

D *In humilitate ipsius iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? Quoniã eleuatur à terra uita eius.* Respondens autem Eunuchus Philippo, *dixit. Obsecro de quo dicit hoc propheta, de seipso, an de alio quopiam?* Aperiens autem Philippus os suum, *& incipiens ab hac scriptura annunciauit illi* Iesum. *Quúmque irent per uiam, uenerunt ad quãdam aquã, & ait* Eunuchus.

Hinc significatur spontanea Christi voluntas in aggrediendis his quæ ordinata erant. Sicut enim ouis quæ ad victimam ducitur, vel agnus coram tondente se (qui auté nulla necessitate cogitur, neque balandi habet occasionem) ita
E quum sponte pateretur, tacebat. Quod autem sequitur, *In humilitate ipsius iudicium eius sublatum est*, significat iniquum iudicium in ipsum inductum occultata veritate. Rursum inferens, *Generationem eius quis enarrabit?* ostendit ipsum ἀγενεαλόγητον esse, nempe quòd origo generis ipsius dari non possit. Siquidem ipse & ἀγενεαλόγητος erat tanquam Deus, & descriptus ac in censum relatus tanquàm iuxta carné ge-
Luc. 2. neratus. Siue: gloriam quæ post resurrectionem ipsi accesserat, ac generosam ipsius dignitatem, quam experientia rerum ordinatarum manifestauit, quis idoneus erit vt sermone edisserat? quum ipse quidem morti subiectus fuerit; vniuersi vero ad incorruptionem gratia eius viuificati sint, fi-
F deque redempti. Deinde ait, *Quoniam eleuatur de terra uita eius*: hoc est attollitur, ac sublimior est his quæ in terra sunt vita eius, id est conuersatio. Eleuatur autem & alio modo, ac super omnes est vita eius, hoc est substantia vnigeniti, quum separatim à carne intelligitur, nondumque ad nos accedens. Quum enim ad mortem spontaneè descenderit, eleuata est à
Psal. 8. terra vita, sublimisque effecta est, ac supergressa est cœlos, quia rex gloriæ erat, & vita eius naturalis, Dominusque virtutum: quanquàm propter dispensationem circa nos, ac spõtaneam exinanitionem, in passione contumeliam & ignomiñiam sustinuerit, dante hoc ei meritò carne, quę personaliter ac inseparabiliter ei vnita erat, circa quam afflictio & exinde contumelia contigit: audens quidem aduersus Deum incarnatum,

natum, non tamen potens impassibilem attingere, id enim A
impossibile erat. Hunc igitur esse Iesum, & hanc in eo completam esse scripturam Philippus Eunucho denunciat: cui etiam obediens, statimque baptizatus: missus est ad regiones Aethiopiæ, prædicaturus hoc quod ipse crediderat: Deum quidem vnum esse per prophetas prædicatum, huius autem filium iam secundum humanitatem aduenisse. ac factum esse, & vt ouem ad occisionem ductum esse, & cætera quæcunque dicunt de ipso prophetæ. Et hic completa est prophetia quæ ait: Aethiopia præueniet, manus Psal. 67.
eius Deo.

Ecce aqua, quid prohibet quo minus baptizer? Dixit autẽ Philippus: Si credis ex toto corde, licet: Re- B
spondens autem ait: Credo filium Dei esse Iesum Christum: iußitque sisti currum. Ac descenderunt ambo in aquã Philippus simul & Eunuchus, & baptizauit eũ.

Animaduertendum est multum fuisse studiũ his qui perfecte christiani fiebant, circa sensibile baptisma. Quum enim dupliciter daretur, nempe per aquam, & in spiritu sancto ac igni: ꝓpter excellentiam baptismatis, quod erat in spiritu nõ despiciebant illud quod magis corporale erat. Confert enim & hoc ad salutem ac resurrectionem corporis.

Quum autem ascendissent ex aqua, spiritus domini rapuit Philippũ: nec amplius uidit eum Eunuchus. C
Ibat enim per uiam suam gaudens. Philippus uero repertus est Azoti: & pertransiens, euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec ueniret Cæsaream.

Vtiliter spiritus rapuit Philippum, quoniam voluisset sanè, & Eunuchus congredi, & ille abnuens ac denegans, quum nondum tempus esset, ipsum vtique contristasset. Ipse quoque Philippus plurimum lucri fecit, videns etiam in ipso completum, quod apud Iezeciel & Habbacuc audierat. Ostenditur quoque longum iter digressus, si Azoti repertus est. Ibi enim eum statuit, vbi deinceps prædicare ipsum oportebat, & hinc in Cæsaream patriã suam discedere.

Caput

D

CAP. XIII.

De diuina Pauli ad Christi Apostolatum uocatione cœlitus facta, in quo etiam agitur de salute & baptismate Pauli per Ananiam iuxta dei reuelationem, & loquendi libertate, ac conuersatione erga Apostolos per Barnabam contracta.

Cap IX.



Aulus autem adhuc spirans minas, ac cædem aduersus discipulos domini, accessit ad principem sacerdotum, petiitq; ab eo epistolas quas Damascum perferret ad synagogas, ut si quos inuenisset, qui eius uiæ essent, uiros ac mulieres, uinctos duceret Ierusalem. Et quum iter

E *faceret contigit, ut appropinquaret Damasco. Et repente circūfulgurauit eum lux de cœlo, delapsusq; in terram audiuit uocem dicentem sibi: Saul Saul quid me persequeris? Ait autem: Quis es domine? Et dixit dominus: Ego sum Iesus quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulos calcitrare. Isq; tremens ac stupens dixit: Domine quid me uis facere? Et dominus ad eum, Surge & ingredere ciuitatem, ac dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autē qui comites erāt itineris, stabant attoniti, audientes quidem uocem, ne-*

F *minem tamen uidentes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisq; oculis neminem uidebat. Ipsum uero manuducentes introduxerunt Damascum. Et erat triduo non uidens.*

Qui eius uiæ essent. Viam appellabant fidem in Christum verum deum nostrum, quam prædicabant Apostoli: & merito sane. Siquidem in regnum cœlorum per illam, & nō per aliam vllam ingredimur. Veriori autem sermone via intelli-

Iesa.63 genda est conuersatio, veluti apud Iesaiam. Vt quid errare nos fecerunt à via tua? hoc est à conuersatione quæ tuis cōuenit placitis. Ita ergo & hic viam appellauit conuersationē secundum Christum Sic & aliis locis vbi viæ meminit, prædicationem

dicationem secundum Christum significauit, aut conuersa- A
tionem iuxta placita Christi. Forte etiam quasi attenuantes aut detrahentes, ita eos vocabant. Siquidem obscurum, siue ignobilem solent appellare hominem è via, seu è triuio. Nō petiuit autem potestatem eos ibi puniendi, sed adducendi Ierosolyma: quòd hæc maiori autoritate fieri vellet. In ciuitate vero non accidit, sed in via per quietem, ne aliis liceret alio modo narrare, quod circa ipsum contigisset: sed ipse fide dignus esset ad referendum, qui visionem vidisset, & casum perpessus fuisset. Non omnes autem excæcat, sed solum duntaxat Paulum, ne communis afflictio existimaretur, & quæ casu contigisset, sed à diuina prouidentia. Quare autem non crediderunt ij qui cum eo erant? vt fide digni testes essent eius quod circa Paulum cōtigerat. Nam si credidissent B
viderētur ad gratiam testificari. *Audientes quidem uocem.* Nō eam quæ desuper delapsa erat vocem audierunt hi qui cum Paulo erant, sed Pauli vocem. Ipsum etenim Paulum in sequentibus inducit, dicentē: Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt & exterriti sunt, vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. Si enim vocem illam audissent, nequaquam increduli permansissent. Paulum vero respondē tem videntes, mirabantur. Ideo autem hoc ab initio actum non est, vt ostēderetur, quòd vere surrexerit Christus. Nam is qui illum reiiciebat nec eius credendo resurrectioni, etiā ipsius discipulos persequebatur, vnde credidisset, nisi magna esset vis resurrectionis eius.

Infra. 22

Et non comedit, neque bibit. C

Quam ob causam? Quoniam seipsum mirum in modum pœna dignum iudicabat ob Ecclesiæ persequutionem, tristisque deum deprecabatur, vt sibi remitteret.

Erat autem quidam discipulus Damasci nomine Ananias: & dixit ad illum per uisum dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego domine. Et dominus ad eum: Surge & uade in uicum, qui uocatur Rectus, ac quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat: Viditq; per uisum uirum nomine Ananiam introeuntē & imponentem sibi manum ut uisum reciperet.

Vt quid

D Vt quid obſecro nullum magnorum qui fide dignus eſſet traxit, aut ad Pauli inſtructionem tranſmiſit, ſed Ananiam qui vnus erat ex Septuaginta? Quoniam per homines inducturus eum non erat, ſed per ipſum Chriſtum. Siquidem hic nihil eum docuit, ſed tantum baptizauit. Simul enim vt illuminatus eſſet, magnam ſpiritus gratiam à zelo animique promptitudine attracturus erat. Hinc autem intelligendum eſt illas narrari debere viſiones, aut ſomnia quę in communẽ ſunt vtilitatem, conferuntque ad dei cultum, quæ domini aſſiſtentiam habent, aut angelorum. Contingit autem & priuata per ſomnum videri, quæ non debẽt referri. Attamen quãquam hic priuata erat Sauli vtilitas, at certe admiranda, quæ accidit ſalus, rurſum ad diuinum cultum aſciſcit hominem:
E & ob id tãquam de communi vtilitate loqui de ea oportuit. *Surge & uade.* Et hic Ananias Diaconus erat prout ipſe Paulus in canonibus teſtatur. Id autem factum eſt, quòd Damaſci propter motam perſequutionem non adeſſet presbyter. *Et uidit per uiſum.* Neque enim re vera videre potuit, quoniam cæcus erat.

Reſpondit autem Ananias: Domine audiui ex multis de uiro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis Ieroſolymis. Et hoc loco poteſtatem habet à principibus ſacerdotum uinciendi omnes, qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum dominus: Vade quoniam uas ele-
F *ctum eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus ac filiis Iſrael. Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abiit Ananias, introiuitque in domum, & impoſitis illi manibus dixit: Saul frater.*

Audiui ex multis. Hæc dicit Ananias, non tanquam incredulus his quæ dicebantur, neque errare Chriſtũ exiſtimans, Abſit: ſed timens ac tremẽs. Erat enim veriſimile quòd quũ in timore eſſent, ſciſcitabantur, vt diſcerent quæ contra ſe definita erant. (Alioqui enim quomodo illis manifeſtum eſſet, quòd etiam hic haberet poteſtatem à principibus ſacerdotum?) itaque dicebat: Quum hæc ita ſint, quomodo poſ-

ſunt

fiunt ista fieri? Quid ergo dominus, qui in eorum cordib⁹ habitans, aduersus Paulum testabatur? Ostendit non esse naturale illi vitium. Nam vas electum est, inquit. Propterea ostēdit quòd probatus sit: nam probatum vas quiuis eligit. Nec solum, inquit, fidelis erit, sed & præceptor ac prædicator vniuersi orbis, multaque patietur. Propterea ait, vas electum mihi est, & nomē meum portabit. Quoniam autem Ananias audiens, quòd cæcus esset Paulus, gauisus est, & propemodū verbis suis hoc dicit: Bene se habet, sine eum excæcatum esse: vt quid me iubes eius oculos aperire? an vt rursum vinciat? vt rursum puniat? ideò ait: Non solum nihil mali operabitur, sed & multa pro me tolerabit. A

Dominus misit me, qui apparuit tibi in uia qua ueniebas, ut uisum recipias, & implearis spiritu sancto. Statimque deciderunt ab oculis eius tanquam squammæ, & uisum recepit, ac surgēs baptizatus est. Quūq; accepisset cibum confortatus est. Fuit autē Saulus cum discipulis qui erant Damasci dies aliquot. B

Qui apparuit tibi. Atqui non dixit ei Christus: Ego illi apparui, sed hoc à spiritu sancto didicit. Verum non fuit ab eo visus. Vtiq; rebus ipsis & efficacia visus fuit & apparuit. Nō dixit autem, Qui te excæcauit, improperium declinans, sed Qui apparuit tibi. Decidunt autem squammæ, vehemētiam cæcitatis ostendentes, sanitatisque certitudinem.

Et confestim in synagogis prædicabat Christum quòd hic esset filius dei. Stupebant autem omnes qui eū audiebant, ac dicebant. Nónne hic est qui expugnabat Ierosolymis eos qui inuocabant nomen istud? Et huc ad hoc uenit ut uinctos duceret illos ad principes sacerdotum? Saulus uero magis inualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damasci confirmans hunc esse Christum. Expletis autem diebus compluribus, inierunt inter se Iudæi consilium, ut ipsum occiderent. Verum notæ factæ sunt Saulo insidiæ eorū. C

Et adserv

D *Et adseruabant portas die ac nocte, ut ipsum occiderent. Acceptum autem eum discipuli noctu per murum demiserunt submittentes in sporta.*

Prædicabat Christum in synagogis. Nempe quũ legem didicisset, ora illis obturabat, nec sinebat loqui, sed à scripturis contrarium ostendebat. *Confirmans,* hoc est cum mansuetudine docens Iesum esse Christum dei filiũ. At illi insidiabãtur, vt ipsum occiderẽt: verũ à muro per discipulos submissus est in sporta, ac fuga seruatus est. Considera quòd iam discipulos quoque nactus erat, adeo totus ardebat ac prædicatione perficiebatur: atque eo ipso quòd tardius accessisset,
E promptior efficiebatur. Et quãquam hinc migrare cuperet, attamen hominum quoque salutem amabat: propter quod etiam frequenter huiusmodi comminiscebatur, seruans seipsum prædicationi: nec recusabat humanis vti inuentis, vbi temporis occasio expeteret.

Quum autem Saulus uenisset Ierusalem tentabat se adiungere discipulis: & omnes illum timebant, non credentes quòd esset discipulus. Barnabas uero apprehensum illum duxit ad Apostolos, narrauitque ipsis quomodo in uia uidisset dominum, & quòd loquutus esset ei: & quomodo Damasci strennue se gessisset in nomine Iesu.
F *Erátque cum ipsis intrans & exiẽs Ierosolymis, ac cum fiducia loquens in nomine domini Iesu.*

Galat. 1 Digna hic suboritur dubitatio quomodo in epistola ad Galatas dicat, quòd non abierit Ierosolymam, sed in Arabiã, & rursum Damascum, ac post tres annos Ierosolymam, vt videret Petrum, quòdque nullum cæterorum viderit Apostolorum. Hic autem ait contrarium, quòd duxerit eum Barnabas ad Apostolos? Aut igitur hoc dicit in epistola ad Galatas, quòd non abiit, vt ad eos referret. Ait enim ibidem: Non contuli neque abij Ierosolymam. Aut si hoc non placet, manifestum est quòd insidiæ quæ Damasci parabantur, non continuo factæ sunt, vbi ille credidisset, sed quum ab

Arabia post annos tres rediisset. Rursúmque si id non placet, ipse quidem non abiit ad Apostolos, sed discipulis aliis tentabat se adiungere, modeste de se sentiens, quum tamen præceptor esset & non discipulus. Barnabas vero ipsum etiam ad Apostolos ducit, narratque & quæ viderit, & quæ palam loquutus sit. Propter hoc, inquit, profectus sum, vt ad eos qui ante me fuerant Apostoli venirem. Nihil igitur ab eis didici. Vel hunc reditum sic accipe, vt ita sit, quòd abierit in Arabiam: deinde venerit Damascum, deinde Ierosolymam, deinde in Syriam. Aut si ne hoc quidem satisfacit, quòd rursum Ierosolymam redierit, deinde Damascum emissus sit, postmodum in Arabiam, exinde rursum Damascum, postea Cæsaream: & tunc post quatuordecim annos, rursus ascendit Ierosolyma: fortassis quando fratres adduxit cum Barnaba. Quòd si hoc non est, aliud dicit tempus. Historiographus enim multa abbreuiat, multáque contrahit tempora. Videtur autem mihi Barnabas etiam antea fuisse illi amicus. Erat enim homo benign⁹ & admodum suauis: ideo quoque filius consolationis ex nomine dicebatur: vnde & accessu facilis fuit viro. A B

Loquebatúrque & disputabat aduersus Græcos: at illi nitebantur occidere illum. Quod ubi cognouissent fratres deduxerunt eum Cæsaream & emiserunt ipsum Tarsum. C

Græcos vocat Græcè loquentes, idque sapienter admodum. Alij enim, nempe qui intime Hebræi erant, ne ipsum quidem videre voluerunt.

Igitur ecclesiæ per uniuersam Iudæā & Galilæam ac Samariam pace fruebantur, & ædificabantur uersantes in timore domini, & consolatione sancti spiritus multiplicabantur.

Igitur ecclesiæ. Dicturus est quòd descenderit inde Petrus, ne ergo timoris id esse arbitreris, prædixit quòd ecclesiæ pace fruebantur. Siquidem quando belli vigor erat, Ierosolymis versabantur Apostoli: quando vero pax, etiam aliis prædicabant.

D

CAPVT XIIII.

De Aenea paralytico Lyddæ per Petrum curato: in quo agitur etiam de Tabitha dilecta uidua, quam Petrus Ioppæ per orationem à mortuis excitauit.



Ontigit autem ut Petrus dum per omnes peragraret, deueniret etiam ad sanctos qui habitabãt Lyddæ. Repperit autẽ ibi hominem quendam nomine Aeneam ab annis octo decumbentem in grabbato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Aenea, sanet te Iesus Christus. Surge ac sterne tibiipsi. Et protinus surrexit. Videruntque

E *eum omnes qui habitabant Lyddæ & Assarone, qui cõuersi sunt ad dominum.*

Non expectauit viri fidem, neque interrogauit an sanari vellet: nondum enim propriæ potẽtiæ indicia ibi exhibuerant: merito igitur non exigebatur à viro fides. Siquidem neque à claudo exegerant. Quemadmodum ergo Christus, quum signa facere inciperet, fidem non exigebat, ita neque hi. Ierosolymis nanque meritò fides erga eos præcessit: vt venientis Petri vel vmbra quempiam illorum obumbraret. Multa enim facta erant ibi signa: hic autem hoc primum accidit. Signa itaque partim fiebant, vt alij ad fidem attraherentur, partim vero, vt credentes consolarentur.

F *Ioppæ autẽ erat quædã discipula nomine Tabitha, quæ per interpretationẽ dicitur Dorcas. Hæc plena erat bonis operib⁹, ac eleemosynis quas præstabat. Accidit autẽ diebus illis, ut infirmitate grauata moreretur. Quam ubi lauissent, posuerũt in cœnaculo. Quum uero esset Lydda uicina Ioppæ, audissentque discipuli quòd Petrus esset in ea, miserunt ad eum rogantes ne grauaretur uenire usque ad se. Exurgens autem Petrus uenit cum illis. Quúmque aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum, & circumsteterunt eum om-*

nes uiduæ flentes, & ostendentes tunicas ac uestes quas faciebat quum esset cum ipsis Dorcas. Petrus uero eiectis foras omnibus, positis genibus orauit, conuersúsque ad corpus dixit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, uisóque Petro resedit. Data autem illi manu erexit eam: & quum uocasset sanctos ac uiduas, exhibuit eam uiuam. Idque innotuit per totam Ioppen, & crediderunt multi in dominum. A

Nomine Tabitha, &c. Ostenditur ex nomine quòd hæc uigilans erat ac sobria, quemadmodum δορκάς, id est Caprea. Multa nanque nomina etiam dispensatiue ponuntur, sua efficacia appellationem significantia quæ consequitur. *Contigit autem ut hæc infirmitate grauata moreretur.* Quam vbi lauissent, fecerunt cuncta quæ in mortuo fieri consueuerunt: & tunc Petrum accersiuerunt. Hoc autem non fecerunt priusquàm moreretur: indignum ducentes ob talia vexare discipulos, & à prædicatione auellere. Nam & propterea dicit, quòd vicinus erat locus. Id enim per modum succisiuæ operæ petebant: siquidem discipula erat. *Quum esset cum ipsis Dorcas.* Quod dicitur fuisse vnà cum ipsis, animi illius modestiam significat, quòd cum viduis conuiuebat ac versabatur ac si vna fuisset è vulgo. Quid igitur Petrus? Omnes foras eiicit ne lachrymarum tumultu turbaretur: Positisque genibus orauit. Neq; enim oĩa signa eadẽ facilitate edebãt: deinde vocauit, dataque manu erexit eam: verbo quidem donans illi vitam, manu vero præbens ipsi vires. Adnotandum est autem quòd non solis incredulis, sed & sanctis dispensatiue signa fiebant, vt & alij crederent. Ecce enim rursus post hoc signum multi crediderunt, vt iterum signa sic edita sint infidelibus. Siquidem alioqui non credidissent, nisi rursum signa vidissent quum sancti, etiam absque signo crederent, quòd potens esset illam excitare: quo modo enim alioqui ipsum accersiuissent? B C

Contigit autem ut diebus multis maneret Ioppæ apud Simonem quendam Coriarium.

Nõ apud alium quẽpiam insigniũ manet Petrus, sed apud

D Coriarium, per omnia nos ad animi modestiam inducens: neque abiectos sinens pudore suffundi, neque magnos extolli. Eius namque doctrina indigebant, hi qui propter signa in deum Iesum CHRISTVM, qui ab ipso prædicabatur, crediderant.

CAPVT XV.

De Cornelio quæque angelus ad eum dixit, & quæ rursum Petro cœlitus de Gentium uocatione dicta sunt: in quo narratur, quòd transmissus Petrus uenerit ad Cornelium. Repetuntur à Cornelio quæ angelus fuerat testatus, ipsique Cornelio narrauerat. Petri instructio de Christo, ac spiritus sancti, super eos qui audiebant, donum: & quomodo baptizati fuerint, qui ex Gentibus crediderant.

Cap. X.

E *Ir autem quidam erat Cæsareæ nomine Cornelius Cēturio ex cohorte quæ dicitur Italica, religiosus ac timens deum cum tota familia sua, præstans eleemosynas multas plebi, deprecánsque deum semper, uidit per uisum manifeste, ferme hora diei nona angelum dei ingressum ad se ac dicentem sibi: Corneli. At ille defixis in eum oculis timoréque correptus dixit: Quid est domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram deo. Et nunc mitte*
F *uiros Ioppen & accerse Simonem qui cognominatur Pētrus. Hic hospitatur apud Simonem quendam Coriarium.*

Non memorantur Aethiops ac Cornelius, eo quòd in dignitate constituti erant, sed quòd ob diuitias & fastum prohibiti non fuerint quin versarentur in pietate. Siquidem hic Iudæus non est, neque eorum qui sub lege erant, sed iam nostrum viuendi modum assumpserat. Hunc intuitus pietatis oculus, quòd bona quidem essent, attamen mortua, quum fidem adhuc nōn haberent, mittit qui opera dirigat, eísque præmium acquirat, nempe angelum, vt bene certātem per fidem coronaret, idque hora nona, quando curis soluebatur & in quiete erat ac compunctione. Propter hoc

hoc autem virum reddit notũ ac manifestum autor, ne quis eum mentiri dicat, ideo quoque dignitatem significauit addens: *Ex cohorte quæ dicitur Italica.* σπεῖρα autem, id est cohors, est quam nunc νούμερον dicimus. A

Cui domus est iuxta mare. Hic dicet tibi quid te oporteat facere. Vt autem discessit angelus qui loquebatur Cornelio, uocauit duos famulos & militem religiosum ex his qui ei adhærebant.

Segregata ab vrbibus loca sectabantur Apostoli, vtpote solitudinis ac quietis amici. Quid autem si & alium contigisset esse Simonem? Ecce signum dant quòd habitet iuxta mare. Verum causam non dixit ne ipsum eneruaret, sed in cupiditate ac desiderio audiendi esse dimisit. B

Quúmque narrasset illis omnia, misit eos in Ioppen. Postridie uero facientibus illis iter, iámque appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiorem domus partem, ut oraret circa horam sextam: & quum esuriret uoluit gustare cibum: quúmque illi apparent,

Vide animi modestiam. Neque enim dixit: Vocate ad me Petrum: nolebat siquidem dignitatis nomine eum accersere. Propterea narrauit omnia, vt etiam persuaderet: adeo vir molestus erat. Atqui nihil magni concipi poterat de viro qui apud Coriarium diuersabatur. C

Irruit super eum mentis excessus, uidétque cœlum apertum, & descendens ad se uas quoddam uelut linteum magnum quatuor initiis alligatũ, summitti à cœlo in terram: in quo erant omnia quadrupedia terræ, & bestiæ ac reptilia, uolatiliáque cœli. Et facta est uox ad eum.

ἔκστασις significat & consternationem, quæ in admiratione contingit, & quum extra sensibilia factus quispiam ad spiritualia deducitur. Ex hoc itaque manifestum est quòd spiritualis quædam veluti visio ipsi facta sit, & tanquam anima quodammodo à corpore excedente. Videtq́. Linteum illud

D lud signum erat sublime vniuersi orbis. Quatuor vero initia quatuor sunt elementa. Vas autem apparens crassiorem designat mundum. Porrò varia animantia signa sunt status hominũ. Aut vt apertius dicã, Sindon est Ecclesia: Bestiæ vero quæ in ea erant, gentes sunt. Ecclesiam itaque cõspexit quatuor Euangeliis alligatam, in qua erant omnes gentes.

Surge Petre, macta & uescere. Ait autem Petrus: Nequaquam domine, quia nunquam edi quicquam cõmune & immundum. Et uox rursus ad eum: Quod deus purificauit tu commune ne dixeris. Hoc autem tertio factum est. Et rursum receptum est uas in cœlum.

E *Dúmque apud sese hæsitaret Petrus quænam esset uisio quam uidisset, ecce uiri qui missi erant à Cornelio percontati de domo Simonis, adstiterunt ad ianuam, & euocato quopiam interrogabant, an Simon qui cognominaretur Petrus, haberet illic hospitium. Petro uero cogitante de uisione dixit ei spiritus: Ecce uiri quærunt te: surge itaque, descende & proficiscere cum eis nihil hæsitans, quoniam ego misi illos. Descendens igitur Petrus ad uiros qui missi erant à Cornelio ad ipsum dixit: Ecce ego sum ille quẽ*

F *quæritis. Quæ causa est propter quam uenistis? At illi dixerunt: Cornelius Centurio uir iustus ac timens deum, & testimonium habens ab uniuersa gente Iudæorum, oraculum accepit ab angelo sancto, ut accerseret te in domum suam, & audiret uerba abs te. Intrò uocatos igitur eos recepit hospitio. Sequenti uero die Petrus profect⁹ est cũ illis, & quidã ex fratribus qui ab Ioppe erãt, comitati sunt eum. Postridie uero ingressi sunt Cæsareã, Porro Cornelius expectabat eos conuocatis cognatis suis ac necessariis amicis. Vt autem contigit introisse Petrum, obuiam progressus*

ei Cor

ei Cornelius, adorauit procidens ad pedes eius. At Petrus erexit eum dicens: Surge & ego ipse homo sum. Et colloquens cum illo intrauit, offenditq; multos qui conuenerant, & ait ad illos: Vos scitis non esse fas uiro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam: deus tamen ostendit mihi nullum communem aut immūdum dici hominem: quapropter etiam incunctanter ueni accersitus. A

Terra quidem Sindon est, bestiæ vero quæ in ea erant gẽtes sunt. Dicitur autem, *Macta & uescere,* quòd etiam illos oporteat accedere. Tertio vero id fieri, baptisma denotat. Quum vero hesitaret Petrus, opportune venerũt viri qui hæsitantiam soluerent. Anima enim solutionem facile suscipit. Primum tamen in ambiguitate fuit: quemadmodum & Ioseph permissus est primum turbari, & tunc venit angelus. *Et euocato quopiam interrogabant,* nõ à vicinis inquirebãt. Magna est autem spiritus autoritas qui ait: *Ego misi illos.* Descẽdens autem Petrus causam interrogat propter quam venerint, vt si quidem confestim necesse sit, congrediatur: sin autem, vt illos in domum suscipiat hospitio. Quòd etiã nõnulli fratrum qui à Ioppe erant, simul abierint cum Petro, dispẽsatorie factum est, ne postmodũ testimonia Petro deessent, quando ipsum fratribus respondere oporteret, quòd etiam probibitus esset ne quicquam diiudicaret. Ferinum ac irrationale hominum genus Petrus mactare iubetur, vt ipsis purificatis edibile fiat quod relinquitur. Nude traditur pietatis sermo quum non semel diuina voce dicitur non esse cõmune quod deus purificauit, sed tertio: vt prima voce discamus patrem esse deum qui purificat, altera vnigenitũ quoque esse deum qui purificat, tertia preterea sanctum illũ spiritum. Fortassis genibus inhærẽs viderat visionem: propterea etiam vox ad illum ait: *Surge Petre, macta & uescere.* Ostendit autem diuinum esse quod accidebat, tum quòd superne viderit & in mẽtis excessu positus, tum quòd vox inde descenderit, & quòd tertio illa esse impura testatus sit. Præterea quòd è cœlo venerint, eoq; retracta sint, magnum est purificationis argumentum. Hoc autem propter illos a- B Matt. 1. C Greg. Nyss. Eiusdem

D ctum est, quibus postmodũ rem narraturus est. Ipse siquidẽ audierat, In viam gentium ne abieritis. Quòd item vox tertio facta est, ostendit ipsi visionis veritatem. Manifestum est autem, quòd non de omnibus cibis pronunciatum esse sermonem voluerit quo ait, *Nunquam edi quicquam commune aut immundũ*, vt & boues & capræ auesq; ac volucres cõmunia apud eum dicerẽtur: quũ à Iudæis ortus esset Petrus. Nã Iudæi carnes edunt, nec apud eos interdicitur carnium esus. Quum itaque ipse ab initio edisset, aut saltem donec ad Saluatorem accessisset, manifestum est certè quòd non vniuersaliter pronunciauerit dicens, *Commune & immundum*: sed de his quæ lex communia dicebat & immunda. Et tamen quum de his faceret Petrus sermonem quæ in lege communia erant & immunda, deus qui sanctæ Christi Ecclesiæ signum tradiderat, nihil ipsi commune existimandum ducebat, omnia namque ipsi munda sunt quæ cum gratiarum actione sumuntur. Sed quãquam de gentium vocatione subobscurus sermo fuerit, ne eos qui in præputio erant communes aut impuros esse dicerent, Petri tamen sermo homines non designabat, sed ea quæ in lege interdicta erant prout demonstratum est.

Matth. 10

E

1.Timo.4

Interrogo ergo quam ob causam accersistis me?

Iam Petrus rem omnem etiã à militibus audierat, sed vult primum eos confiteri, ac fidei subditos effici.

Et Cornelius dixit: A quarto usque ad hanc horam die ieiunabam & hora nona orabam in domo mea.

F Videtur hic sibiipsi asperiorem viuendi modum præfixisse, idque certis quibusdam diebus. Ideo enim dixit, *A quarto die*. Quando ergo apparet ipsi angelus hic dies vnus est, alter autem is quo abierunt qui à Cornelio missi erant, tertius quo venerunt, & quarto comparuit circiter horam tertiam postquam orauit. Vide ergo precationis magnitudinẽ: quãdo seipsum prouexit ad pietatem tunc apparet ipsi angelus.

Et ecce uir stetit coram me in ueste splẽdida & ait: Corneli exaudita est deprecatio tua, & eleemosynæ tuæ in memoria habitæ sunt coram deo. Mitte ergo aliquos Ioppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus:

Petrus: hic diuersatur in domo Simonis coriarij iuxta mare, qui ubi uenerit loquetur tibi. Statim ergo misi ad te, & tu benefecisti qui adueneris. Nunc ergo omnes nos teste deo adsumus ut audiamus quæcunque tibi præcepta sunt à deo. Aperiens autem Petrus os dixit: Vere comperio quòd non sit personarum respectus coram deo: sed in quauis gente qui timet ipsum & operatur iustitiam, is acceptus est illi. A

Iustitiam, hoc est omnem virtutem.

Hic est sermo quē misit deus filiis Israel, annuncians pacem per Iesum Christum, hic est omnium dominus. Ipsi scitis rem quæ accidit per totam Iudæam quum incepisset à Galilæa post baptisma quod prædicauit Iohānes, nempe de Iesu Nazareno. B

Hæc propter eos dicit qui præsentes erant, vt etiam illos ad fidem attrahat: id tamē quod præcipuum est dat filiis Israel, ne se ordine reiectos esse arbitrentur. Hic est inquit omnium dominus.

Quomodo unxerit eum dominus spiritu sancto & uirtute qui obambulauit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam deus erat cum illo. Et nos testes sumus omniū quæ fecit in regione Iudæorum & Ierosolymis: quem occiderunt suspensum in ligno. Hunc deus suscitauit tertio die, & exhibuit eum ut appareret non omni populo, sed testibus prius ad hoc à deo delectis, nimirum nobis. C

Vnctum esse Iesum à spiritu sancto, secundum humanitatem intelligere oportet. Quoniam enim exinaniuit semetipsum, & proxime ad nos accedēs participauit carne & sanguine: hæc quæ secundum naturam vt deus habet, accipere dicitur propter humanitatem. Accipit namque non sibi, secundum quòd deus verbum est (nam propria illius erant) sed nobis, tanquam in primitiis per seipsum.

Qui co-

D *Qui comedimus ac bibimus unà cum ipso postquam resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis ut prædicaremus populo ac testificaremur quòd ipse sit ille qui constitutus est à deo iudex uiuorum ac mortuorum.*

Hinc Christi resurrectionem confirmat, quòd cũ eo post resurrectionem comederint, Neque enim à resurrectione fecit aliquod signum: ipsa nãque resurrectio magnum erat signum: resurrectionis autem nullum tale signum erat, quale est edisse ac bibisse.

Huic omnes prophetæ testimonium ferũt, quòd re-
E *missionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis credit in ipsum.*

Quotquot inquit prophetæ loquuti sunt de peccatorum remissione, per hunc Iesum dixerunt ea remitti, Sic & Iesaias assumpta eius persona ait. Ego sum qui deleo iniquita-
Psal. 43. tes tuas & peccata tua.


Quumq; adhuc loqueretur Petrus uerba hæc illapsus est spiritus sanctus in omnes qui audiebãt sermonem: & obstupuerunt hi qui ex circuncisione crediderant, quotquot comitati fuerant Petrũ, quòd & in Gen-
F *tes donum sancti spiritus effusum esset.* Audiebant *enim illos loquentes linguis ac magnificantes deũ. Tũc respõdit Petrus:* Nunquid *prohibere quispiam potest, ne aqua baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperũt sicut & nos?* Et *iussit eos baptizari in nomine domini. Tũc rogauerunt eum ut remaneret dies aliquot.*

Vbi credidissent quòd per baptisma omnino sit remissio peccatorum, tunc super eos descẽdit spiritus. Hoc autem deo præordinãte accidit ad magnam Petri defensionem. Neque vulgari modo spiritus superuenit, sed & linguis loquebantur, quod in stuporem induxit eos qui comites fuerant: propter quod etiam Petrus confestim eos baptizari iussit in nomine domini. Nec dixit, Quorsum aqua opus est quũ superuenerit in eos spiritus sanctus? Nouerat enim quòd in aqua complerentur diuina signa, nempe sepultura ac mortificatio, re-

tio, resurrectio & vita. Quemadmodũ enim nobis facile est A
baptizari ac emergere, ita deo facile est sepelire veterem hominem, nouumq; demonstrare. Hoc autẽ tertio fit, vt agnoscamus quòd potentia patris & filij ac spiritus sancti hoc efficitur. Quidam autem demõstrari dicunt tertio die factam Christi resurrectionem quæ hoc in nobis efficiat.

CAPVT XVI.

Quo modo Petrus deinceps etiam singula eorum quæ acta sunt narrat apostolis aduersus ipsum disceptantibus. Tunc autem Barnabã miserunt ad fratres qui erant Antiochiæ.



Vdierunt autẽ apostoli ac fratres qui erant in Iudæa, quòd & Gẽtes recepissent uerbũ dei. Cap. XI. B
Quumq; rediisset Petrus Ierosolyma disceptabant aduersus illũ qui erant ex circuncisione dicentes: Ad uiros præputiũ habentes introisti & edisti cũ illis. Re aũt ab initio repetita Petrus exposuit illis ordinẽ dicẽs: Ego in ciuitate Ioppe orabã, uidiq; in mentis excessu uisionem, descẽdere uas quoddam ceu linteum magnũ, quatuor initiis emissum ex cœlo, & uenit usque ad me. In quod quum intendissem oculos, animaduerti & uidi quadrupedia terræ ac bestias & reptilia, uolatiliaq; cœli. Audiui autem & uocem dicẽtem mihi: Surge Petre, macta & uescere. Dixi autem: Nequaquam domine, quia nihil commune aut immundũ unquã introiuit in os meũ. Respõditque mihi rursum uox de cœlo: Quæ deus mundauit, tu ne cõmunia dixeris. Hoc autẽ cõtigit tertio. Rursumq; subducta sunt omnia in cœlũ. Et ecce repente tres uiri aderant ad domũ in qua erã è Cæsarea missi ad me. Dixitq; mihi spiritus ut congrederer cũ illis nihil hæsitans. Comitati sunt autẽ me & sex fratres hi. Et ingressi sumus domũ uiri: isque retulit nobis quomodo uidisset angelum domi suæ adstantem ac dicentem sibi: Mitte uiros C

D *Ioppen, & accerse Simonem cognomento Petrum, qui tibi ea dicturus est per quæ salueris, & tu & uniuersa domus tua. Quúmque loqui cœpissem illapsus est spiritus sanctus in illos, quemadmodum & in nos ab initio. Recordatus sum autem uerbi domini quod dixerat: Iohannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto.* Suprá.1. *Si ergo domum æquale dedit illis Deus, sicut & nobis quum credidissemus in dominum Iesum Christum, ego sane quis eram, qui possem obsistere Deo? His autem auditis obticuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes: Igitur & gentibus Deus* E *pœnitentiam conceßit ad uitam. Et illi quidem qui dispersi fuerant ex afflictione, quæ orta fuerat ob Stephanum perambulauerunt usque ad Phœnicen & Cyprum, ac Antiochiam, nemini loquentes illum sermonem, nisi solis Iudæis. Erant autem ex eis quidam uiri Cyprij & Cyrenenses.*

Ostendit sua apologia Petrus se nequaquam fuisse causam, sed vbiq; Deum. Nam ipse me inquit in mentis excessum constituit, ipse vas demonstrauit, ego vero etiam contradixi: rursúmque idem ipse dixit, & neque sic audiui. Spiritus iussit vt congrederer, congressus ne ita quidem procurri. F Dixerunt Deum misisse, & nec sic baptizaui, sed rursum Deus rem omnem effecit. Deus baptizauit, non ego. Nam dum adhuc loquerer, illapsus est in illos spiritus sanctus, & loquebantur linguis, & magnificabant Deum sicut & nos.

Qui ingreßi Antiochiam loquebantur, & ad Græcos annunciantes dominum Iesum: erátque manus domini cum illis, & multus numerus credidit, & ad dominum conuersus est. Peruenit autem rumor ad aures Ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis super his: & miserunt Barnabam, ut iret Antiochiam. Qui quum peruenisset,

ac vidisset

ac uidisset gratiam Dei, gauisus est, & hortabatur omnes, ut proposito cordis perseuerarent adhærere domino. A

Ad Græcos. Fortassis eo quòd Hebraice sonare non possent, Græcos ipsos appellabant. Loquebantur ergo & ad eos annunciantes dominum Iesum, & credebant omnes: quoniam, inquit, manus domini erat cum illis: hoc est signa operabantur. Propter hoc enim fuit signorum necessitas, vt crederent.

Erat enim uir bonus, ac plenus spiritu sancto & fide. Et addita est multa turba domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum, quo inuento, duxit eum Antiochiam. Accidit autem, ut annum totum cum ea congregatione uersarentur, multámque docerent turbam. B


Quam ob causam Paulo non scribunt, sed Barnabam mittunt? quia illius viri nondum virtutem nouerant. Huic non repugnat quod dicitur, Nemo bonus, nisi solus Deus. Neque enim hoc ipsum est Deum solum bonum esse, quod virum bonum esse. Ille siquidem natura bonus est, quum principium ac fons sit bonorum: vir autem non natura bonus est, sed virtutis assumptione habet, vt bonus sit. Non enim simpliciter bonus dicitur, sed vir bonus. In hunc ergo sensum etiam illud accipitur, Bonus homo, & Euge serue bone & fidelis, aliaque his similia. Luc.18. C Matth.12 & .25.

Et discipuli nominarentur primum Antiochiæ Christiani.

Pauli hoc quoque facinus egregium in tãtam efferri meretur sublimitatem, vt quoduis signum. Quum enim tam multi essent in Iudæa qui credidissent, nihil tale factum est, sed ibi fides in Christum via dicebatur. Aduertendum autem, quòd ob id potissimum digna habita est Antiochia sede pontificia, quoniam ibi primum statuerunt, vt discipuli nominarentur Christiani. Hoc autem nomen * multitudini deorum, ac variæ in illis diuinitati opponitur. πολυθέϊας ἐστιν ἀντίπαλον.

Caput

D CAPVT XVII. *Prophetia Agabi de generali per orbē fame & eleemosyna collecta apud fratres, qui erant Antiochiæ.*



Is autē diebus superuenerunt à Ierosolymis prophetæ Antiochiā: surgēsq; unus nomine Agabus, significabat per spiritū famē magnam futuram in uniuerso orbe, quæ accidit sub Claudio Cæsare. Discipuli autem prout cuiq; suppetebat, decreuerunt quisque in subsidium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad presbyteros per manum Barnabæ, ac Sauli.

E Non est huic cōtrarium, quod à domino dictū est: Lex & prophetæ vsq; ad Iohannē. Nam hoc de illis dixerat ꝓphetis, qui eius aduētū prædixerāt. Ne igitur ob id postmodum factā esse famē existimarent, quòd subintroisset Christianismus, prædicit illam spiritus sanctus. Hoc autem & Christus prædixerat: nō quòd id ab initio fieri oportuerit, sed ꝓpter mala, quę aduersus Apostolos fiebant. Lōganimis quidē erat Deus, verùm quum nimium vrgerent, magna accidit fames, Iudæis futura designans mala. Quod si propter istos fuissent, oportuisset potius & illā quæ erat cessare. Nam magis laudari debuissent, qui quod suū erat faciebāt, nēpe occidebāt, puniebāt, cruciabāt, vndiq; persequebātur. Propterea ergo pestis facta est, quāquam miseri nō intelligebant: & cōpatiebantur illis in hoc Christiani. *Mittentes ad presbyteros.* Aduertendum est quod etiam presbyterorū dignitatē habebāt Apostoli. Aliis quoque capitibus significatum est, quòd Diaconorum & Episcoporum gradum habebant.

Matth. 11

Matt. 24.

F

CAPVT XVIII. *Iacobi Apostoli interemptio, in quo narratur Petri ab Herode comprehensio: & quomodo ipsum angelus diuino iussu à uinculis liberauit: & Petrus ubi fratribus noctu apparuisset, clàm discessit: in quo narratur, & de ultione custodum, & consequenter de impii Herodis misera acerbaq; perditione.*

Cap. XII.



Odem autem tempore iniecit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.

Tempus illud dicit, quod erat sub Claudio Cæsare Caius Imperator Romanorum Agrippam

pām cōstituit Iudææ regem, Herode ob vitæ turpitudinem Lugdunum Galliæ relegato cum vxore Herodiade. Hic est qui tempore passionis domini regnabat, veluti scribit Iosephus libro decimo octauo historiæ Antiquitatum, & Eusebius secundo libro Ecclesiasticæ historiæ. Vel ergo hoc loco nominis dissonantia est, quòd pro Agrippa ponatur Herodes, & scriptoris lapsu contigit vt verisimile sit: aut iuxta nominis geminationem dixit, quoniam tempus & acta eundem ostēdūt Agrippā sub Claudio Cæsare, qui post Caium factus est Imperator. A

Occidit autem Iacobum fratrem Iohannis gladio. Videns autem quòd gratum esset Iudæis, processit apprehendēs & Petrum. Erant autem dies Azymorum. Quem etiam apprehensum, posuit in carcerem. B

Ne quis enim dicat, ꝙ ꝓpterea tuto ac sine timore morti sese opponerēt, nimirū Deo ipsos eripiente, ideo occidi quoque permittit, & duces præcipuos: ipsos declarās homicidas, quòd neque hæc illos auocent aut prohibeant.

Tradens quatuor quaternionibus militum asseruādum: uolens post Pascha producere eum populo. Petrus itaque seruabatur in carcere: cæterum precatio fiebat sine intermißione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Quum autem producturus esset eum Herodes, in ipsa nocte dormiebat Petrus inter duos milites uinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebāt carcerem. Et ecce angelus domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussoq; latere Petri, excitauit eum dicens: Surge uelociter. Et exciderunt eius catenæ de manibus. Dixitq; angelus ad eum. Præcingere, & subliga soleas tuas. Et fecit sic. C

Quatuor quaternionibus, hoc est sedecim: siquidem quater quatuor constituunt sedecim: Fortassis vt singulis vigiliis, id est ternis quibusque horis essent quatuor custodes. Sunt autem quatuor custodes per ternas horas dispositi, φυλακὴ, id est custodia

D est custodia appellati: vt sint vniuersa nocte, nempe duodecim horarum spacio quatuor custodiæ: in quibus, seruantibus vicissim quatuor militibus, omnes numerum sexdecim constituunt. Nô erat Petrus in angustia, aut timore, sed dormiebat, omni negocio in Deum reiecto. Dicit autem lumen refulsisse, vt & videret & audiret Petrus, nec phantasma esse existimaret. Quod vero ait, *Velociter,* non tumultuâtis est, sed suadentis cunctaudum non esse. Vide autem qualia operentur Iudæi in diebus Azymorum.

Et ait illi: Circunda tibi pallium tuum, & sequere me. Et exiês sequebatur eum: & nesciebat quòd uerum esset id quod fiebat per angelum, sed putabat se uisum
E *uidere. Quum autem præterissent primam ac secũdam custodiam, uenerunt ad portam ferream, quæ ducit in ciuitatem, quæ ultro aperta est eis. Quúmque exissent processerunt uicum unum, & cõtinuo discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio uere, quòd miserit dominus angelum suum, & eripuerit me de manu Herodis, omnique expectatione plebis Iudæorum.*

Matth. 10 Quum dominus discipulis dixerit, Ne possideatis aurum, neque argentum, neque duas tunicas, neque calceamenta,
F neque zonam, neque baculum: quomodo Petrus contra domini iussum faciebat duas tunicas habens, zonamque & calceamenta? Præterea Paulus quoque quum Timotheo scri-
2. Tim. 4. bens præciperet, penulam quam reliqui Troadę apud Carpum, veniens conferas, Ecce penulam habebat, nec poterit quispiam dicere, quòd alteram non habuerit quam gestabat. An ergo Christo non paruit? Quid igitur dicẽdum est? Pręcepta illa nõ semper, sed ad tempus seruãda dabantur. Quod
Luc. 22. autem hoc verum sit, Lucas Euangelista testatur. Ait enim Christum dixisse discipulis: Quando misi vos sine loculis & pera, zonaque ac calceamentis, num aliquid defuit vobis? Aiunt illi? Nihil. Dicit autem eis. Igitur deinceps possidete. Verum quam ob causam id tunc præceperat? Volens potentiam suam ostendere. Cæterùm si Paulum vnicam tunicam habere

habere oportuit, si illã lauare cõueniebat, an nudũ domi sedere ipsum oportuisset, aut nudum circumire ac verecũde se gerere vocãte necessitate? Nõ oportuit itaq; Paulũ, qui propter tot preclara facinora mũdũ circũibat, ob pallij idigẽtiã domi desidere, ac huiusmodi rebus ĩpediri. Quid autẽ si vehemẽs algor vrgeret? si etiã magna pluuia in eũ descẽdisset, quo modo tunica quam gestaret exiccari posset, an rursum oporteret nudũ sedere? Quid preterea, si corpus prostrauisset frigus, an tabescere oporteret, & non loqui. Et quid esse posset, hac re miserius? neq; enim adamantina corpora ipsis data erant. Quid ergo, perirẽne oporteret? nequaquam. Hoc autem sicut dictum est tunc iusserat, suam volens ostendere potentiam, quòd nulla re ad vitam necessaria carerent. A

Et dum cognouisset, uenit ad domum Mariæ matris Iohannis, qui cognominabatur Marcus, ubi erant multi congregati & orantes. Vbi autem pulsasset ostium uestibuli, prodijt puella ut subauscultaret nomine Rhode, & agnita uoce Petri præ gaudio non aperuit uestibulum, sed intro currens renunciauit stare Petrum ante uestibulum. At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa uero affirmabat sic se habere. B

Qui est dum cognouisset? nempe quòd non vtcunque abscedere oporteret, sed vices repẽdere benefactori. *Qui cognominabatur Marcus.* Vt scias quòd matrem nõ dicat eius Iohãnis, qui semper cum eis versatus erat, illius signũ addidit, ait enim, *Qui cognominabatur Marcus.* Hic autem erat qui Euãgelium secũdum Marcum cõscripsit, nepos Barnabæ, de quo Paulus scribit Timotheo: Marcum assumptum adducito vnà tecum, est enim mihi perutilis ad ministerium. C 2.Tim.4.

Illi autem dicebant, Angelus eius est: Petrus uero perseuerabat pulsans. Quum autem aperuissent, uiderunt eum, & obstupuerunt. Quum innuisset autem eis mota manu ut tacerẽt, narrauit ipsis quomodo eduxisset eum dominus è carcere, & ait: Nunciate Iacobo & fratribus hæc. Et egressus, abijt in alium locum,

D *Vbi uero diluxisset, erat turbatio non parua inter milites, quidnam accidisset de Petro. Herodes autē quum requisisset eū, nec inuenisset, examinatos custodes iussit abduci, descendénsque à Iudæa Cæsaream, ibi commoratus est. Erat autem Herodes infensus Tyrijs, ac Sidonijs. At illi uno animo uenerunt ad eum: & persuaso Blasto, qui præerat cubiculo regis, petebant pacem, eo quòd aleretur regio eorum annona regia.*

Angelus eius est. Ex hoc manifestum est quēque nostrum habere angelum. Illi vero hoc à temporis occasione existi-
Matth.18 mabant. Ait enim: Vbi sunt duo vel tres cōgregati in nomi-
E ne meo, ibi sum in medio eorū. Vbi autem est Christus, necesse est simul esse & angelos, vniuersásque potestates. *Et egressus Petrus abiit in alium locum.* Non enim tētabat Deum, Possibile autem Deo erat simul, & custodes eripere: verùm si id actum fuisset, res iudicata fuisset esse fuga. Magis autem contristabat eum quòd illusus esset, quemadmodū tem-
Matth.2. pore Magorum auum ipsius id amplius dissecari faciebat, quòd ludibrio habitus esset.

Statuto autē die Herodes uestitus ueste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus uero acclamabat: Vox Dei & non hominis. Confestim autē
F *percussit eum angelus domini, eo quòd nō dedisset gloriam Deo: & erosus à uermibus expirauit. Cæterum Dei sermo crescebat, ac multiplicabatur. Barnabas autem & Saulus reuersi sunt Ierusalem expleto ministerio, assumpto & Iohāne qui cognominabatur Marcus.*

Populus acclamabat. Et quid ad hunc, si illi vociferabantur? quia vocem suscepit, quòd seipsum huiusmodi assentatione dignum arbitraretur. Quòd si hic quia audiuit, Vox Dei & non hominis, quanquam nihil dixit, talía passus est: quāto magis Christus si Deus non fuisset, quum ipse semper diceret, Verba hęc non sunt mea. &: Angeli mihi ministrāt.
Iohan.7. Hoc autem tēpore tertio regni Agrippæ anno venit Cæsa-

ream, quæ prius Turris Stratonis vocabatur. Hic autẽ celebrabat θεωρίας id est spectacula ad honorẽ Cæsaris, sciẽs hęc festum quoddã esse. Secũdo vero spectaculorũ die, vestẽ indutus totam ex argento contextã, sic vt admirãda appareret textura, inchoante die ad theatrũ accessit, vbi primis radiis solaribus sese obiicientibus, argentũ miro modo illustratum resplẽdebat, fulgorẽ quẽdã præ se ferens ac horrorẽ, his qui intentos in ipsum defigerent oculos. Statimque assentatores alius aliunde voces emittebãt tanquam Deum salutãtes, benignum esse asserẽdo. Et si, inquiunt, hactenus quasi hominem veriti sumus, iam tamen posthac te maiorẽ ea natura cõfitemur. Hos autẽ nõ increpauit rex, neq; impiam assentationem auersatus est. Suspiciens itaq; pauló post, bubonẽ capiti suo imminentẽ, vidit super quẽdam funiculũ, hũc statim angelum malum intellexit esse, & nullo pacto bonorũ nũcium. Sensit ergo dolorẽ circa præcordia, ac repẽtinus vẽtris dolor cũ vehemẽtia illũ corripuit. Amicos igitur circũspiciẽs: Ego inquit, qui Deus apud vos habeor, iam vitæ finem imponere cogor, quum fatum arguat falsas esse voces, quæ modo de me ferebanť: & qui à vobis immortalis dictus sum, iam ad mortẽ rapior. Verum quare nõ etiam assentatores puniũtur? Vtriq; sane supplicio digni erãt: verùm quum nõdũ tempus sit iudicij, is punitur, qui maxime obnoxius est crimini.

A *Iosephus. 19. Anti.* *Eusebius Ecclesiast. lib. 2. cap. 10.*

B

Erant autem quidam in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ prophetæ, ac doctores: nempe Barnabas & Simon, qui uocabatur Niger, Luciusq; Cyrenẽsis. Et Manahen Herodis Tetrarchæ collactaneus & Saulus. Cap. XIII

C

Et Manahen. Ecce, cuiusque conuersatio, & non prima à puero educatio saluat. Vide enim Manahen cum quo fuerit educatus, qui tamen prophetiæ donum adeptus est.

CAPVT XIX. *Legatio Barnabæ & pauli à diuino spiritu in Cyprũ, quæque in Elymã Magum per Christi nomẽ operati sint.*



Vum itaque ministrarent illi domino, ac ieiunarent, dixit spiritus sanctus. Segregate mihi Barnabam & Saulũ in opus, ad quod aduocaui eos. Quumq; ieiunassent & oras-

D *sent, imposuissentq; eis manus, dimiserunt. Ipsi itaque emissi à spiritu sancto descenderunt Seleuciam, & inde nauigarũt in Cyprum. Et quum essent Salamine, annũciauerũt uerbũ Dei in Synagogis Iudæorũ. Habebant autẽ & Iohãnẽ ministrũ. Et peragrata insula usque ad Paphum, inuenerũt quẽdam magum pseudoprophetam Iudæum, cui nomen Bariesus qui erat cum proconsule Sergio Paulo uiro prudẽte. Hic accersitis Barnaba & Saulo, cupiebat audire uerbum Dei. Resistebat autem illis Elymas magus: sic enim interpretatur nomẽ eius,*
E *quærens auertere proconsulem à fide.*

Quidnam est *ministrantibus?* hoc est prædicantibus, *Segregate mihi in opus,* id est ad apostolatũ. A quibus autẽ creãtur? à Lucio & Manahe, imo magis à spiritu. Creantur autẽ vt cum autoritate prædicent. Seleuciæ vero nihil cunctati sunt, scientes quòd à proxima ciuitate plurimam colligerent fructuum vtilitatem.

Saulus autem qui & Paulus repletus spiritu sancto: intentis in eum oculis dixit: O plene omni dolo, omniq; uersutia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere uias domini rectas? Et nunc ecce ma
F *nus domini super te, erisque cæcus non uidens solem usque ad tempus. Et protinus cecidit in eum caligo ac tenebræ, & circumiens quærebat qui se manu duceret. Tunc proconsul quum uidisset quod acciderat, credidit, admirãs super doctrina domini. Quum autẽ à Papho soluisset Paulus, uenerunt Pergen Pamphyliæ.*

Saulus autem qui & Paulus. Ne vel in hoc minor esset Apostolis Paulus, nomen eius transmutat Deus, quúmque Saulus diceretur Paulum vocauit, quodque præcipuum habuit princeps Apostolorum, id ipse quoque adeptus est, vt magis familiaritatis argumentum acciperet. Premisit quoque dicens. *Plenus spiritu sancto:* quo ostenderet Pauli verba non ex ira esse,

esse, quæ ad Elymam Magum loquutus est. Neque enim punientis verba hæc erant, sed conuertere nitentis. Nam si punientis fuissent, fecisset eum semper esse cæcum: nunc autem non hoc facit, sed vsque ad tempus, vt proconsulem in suam sententiam adduceret. Siquidem dixit, *Vsque ad tẽpus*, dans menti terminum, vt in seipsa lumen reciperet, quo mores in melius commutaret, quippe signo quo ipse adductus est, etiam hunc adducere nitebatur. Non itaque supplicium erat, sed curatio. A

Iohannes autem segregatus ab eis, reuersus est Ierosolyma. Ipsi uero loca uaria pertranseuntes, à Perga uenerunt Antiochiam Pisidiæ, ingreßique synagogam die sabbathorum sederunt. Post lectionem autem legis ac prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in uobis sermo exhortationis ad plebem dicite. B

Iohannes autem segregatus. Hic est Iohannes qui & Marcus dictus est, nepos Barnabæ: qui etiam Euangelium secũdum Marcum conscripsit, & Petri Apostolorum principis discipulus, de quo ait in Epistola: Salutat vos Marcus filius meus. Hic igitur, tanquam Paulo cum suis in longiorẽ viam missis, segregatur ab eis, quanquam minister esset, eo quòd labores & pericula ferre non posset. 1.Pet.5.

CAPVT XX. *Florens Pauli doctrina ducens ad Christum, tum ex lege, tum postea ex prophetis, historica & euangelica, quæ & collectiua est & ratiocinatiua. De translatione prædicationis ad Gentes, eorumq; ibidem persequutione ac diuisione in Iconium.* C

SVrgens autem Paulus indicto manu silẽtio ait: Viri Israelitæ quique timetis Deũ audite. Deus populi huius elegit patres nostros, & populũ in altũ extulit, quũ essent incolæ in terra Aegypti: brachióq; excelso eduxit eos ex illa: & circiter quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Et deletis septem gentibus in terra Chanaan.

D Antiochiæ Pisidiæ prædicat Paulus. In synagogas autem introierunt in habitu Iudæorũ ne expellerẽtur, sed ita rem omnem corrigerẽt. *Septem gentibus.* nẽpe Chetæis, Gergesæis, Amorræis, Chananæis, Pheresæis, Euæis & Iebusæis.

Sorte distribuit ipsis terram eorum. Et *post hæc scilicet annis quadringentis quinquaginta dedit iudices usque ad Samuelem prophetam.* Et *exinde postulauerũt regem, deditque illis* Deus *Saul filium* Cis *uirum de tribu* Beniamin *annis quadraginta.* Illóque *amoto, suscitauit eis* Dauid *in regem, cui testimonium*
Psal. 88. *reddens dixit:* Inueni Dauid *filium* Iessæ *uirum secun*-
E *dum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas.* Huius *ex semine* Deus *sicut promiserat, adduxit* Israeli *saluatorem* Iesum, *antea prædicante* Iohanne *ante faciem introitus eius baptismum pœnitentiæ* Israeli.

Inueni Dauid &c. Aduertẽdũ est hęc verba nequaquã eadẽ dictionũ serie haberi in libro Regnorũ, aut solũ à Samuele
1. Reg. 13. dicta esse ad Saul hoc modo. Et nunc regnũ tuũ non permanebit: & quæret dominus sibi hominem secũdum cor suum, & præcipiet illi dominus vt imperet super populum suum: quia non seruasti quęcunque præcepit tibi dominus. Et hinc assumens Paulus ita dixit. Inueni Dauid filiũ Iessę virũ secũ-
F dum cor meum, qui faciet omnes volũtates meas. *Ante faciem introitus eius.* Introitum vocat incarnationem.

At quum Iohannes *impleret cursum, dicebat.* Quem *me arbitramini esse? nõ sum ego, sed ecce uenit post me, cuius non sum dignus solcam pedum soluere.* Viri *fratres filij generis* Abraham, *& qui inter uos timent* Deũ, *uobis uerbum salutis huius missum est.* Qui *enim habitant* Ierusalem *& principes eorum, quum ignorarent eum, uocésque prophetarum, quæ per omne sabbathum leguntur, condemnato eo compleuerunt, nulláque mortis causa inuenta petierunt à* Pilato, *ut interimeretur.*

meretur. Quúmque explessent omnia quæ de eo scripta erant, depositum de ligno posuerunt in monumento. A

Iohannes testimonium reddit, non vulgari modo, sed ipsam gloriam quam ad ipsum deferebant repellens. Neque enim æquale est gloriam reiicere quum illam nullus offert, & quum pleriq; tribuunt. Quum autem dicit, *Vobis uerbum &c.* generositatem ostendit Iudæorũ. Pilati vero meminit, vt acrius eos argueret, qui viro tradiderint alienigenæ, Et quod addit, *Petierunt.* Munus, inquit, acceperunt quasi illo nolente: quod apertius dicit Petrus: Quum ille absoluendum iudicasset. Sup.3

Deus autem excitauit ipsum à mortuis qui apparuit per dies multos his qui unà cum eo ascenderant à Galilæa Ierosolymam: qui testes eius rei sunt coram populo. Et nos uobis annunciamus quòd eam quæ ad patres nostros facta est repromissionem deus adimpleuerit filiis illorum, nempe nobis. B

Nihil absurdum est quòd Iesus dicatur à deo excitatus. Siquidem Iesus non alius est quàm verbum incarnatum: hoc autem est potentia patris, per quod omnia facta sunt: secundum quòd Christus qui dei potentia est ipse seipsum excitâsse intelligetur. Et quidem is dicitur excitatus esse à patre, ad quem vt ad principium causamque intemporalem omnia referuntur: quoniam ipse quoq; ait: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Iohan.2 C

Resuscitato Iesu sicut in psalmo primo scriptum est: filius meus es tu, ego hodie genui te,

Quoniam nomen Iesus nonnulli de homine male accipiunt, & præmiserat quòd posuerint verbum in monumento, rursum ne quis suspicetur ipsum dixisse verbũ sine carne vocat ipsum Iesum: nunquam verbo incarnato admittens separationem post factam semel vnionem, vbique impiorum obturans ora. *Filius meus es tu.* Hæc Psalmi verba Christi incarnationi aptantur, quæ temporalem habuit accessionem. Siquidem Hodie & Cras dierum demonstratiua sunt. Porrò quatenus hic est verbum, intemporaliter à patre ge-

D neratur.

Quòd autem suscitauit eum à mortuis iam non amplius reuersurum in corruptionem, ita dixit: Dabo uobis sancta Dauid fidelia. Ideo quoque alio in loco dicit: Non concedes, ut sanctus tuus uideat corruptionem. Dauid siquidem ubi sua ætate deseruisset, consilio dei dormiuit & appositus est ad patres suos uiditque corruptionem: is autem quem deus excitauit non uidit corruptionem.

Iesa. 55

Psal. 15

Aduertendum est igitur quòd nõ oporteat confiteri corpus saluatoris ac dei nostri Iesu Christi fuisse mortale post E resurrectionem aut passibile, neque ante resurrectionẽ impassibile, hoc est incorruptibile & immortale. Nam incorruptionem secundum id prouenientem quod peccato non est obnoxium, manifestum est quòd ab ipso incarnationis tempore habuerit.

Notum igitur uobis sit uiri fratres quòd per hunc remissio peccatorum uobis annunciatur & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc quisquis credit iustificatur.

Quare testimonium non adiunxit quo persuaderentur per hunc fieri remissionem peccatorum. Quia hoc ei studio erat tandem ostendere quod resurrexisset: quo dato illud F indubitatum erat. Hoc etenim magni stuporis erat, quomodo Israel qui filius primogenitus erat, propter quem periit Aegyptus, inimicis Babyloniis traditus esset in gladio, & captiuitate ac seruitute.

Videte ergo ne superueniat uobis quod dictum est in prophetis. Videte contemptores & admiramini ac euanescite, quia opus operor ego in dieb⁹ uestris, quod nõ credetis si quis enarrauerit uobis. Quum autem egressi essent è synagoga Iudæorum, rogabant gentes, ut sequenti sabbatho loquerentur sibi uerba.

Habbac. 1

Vbi clamasset propheta Habbacuc aduersus iniustum iudicium

dicium & nimiam Dei toleratiã, ac dixisset, Quare osten- A
derunt mihi labores ac molestias? quoniam factum est contra me iudicium, & iudex accipit, & impius opprimit iustum: nec perducitur in finem ac perfectionem iudicium. Respondet deus, iniquis, futuras calamitates prænuncians. Admiranda vero dicit quæ futurum est, vt eis contingant. Et hæc tanta ac talia esse dicit sui magnitudine, vt non credantur si quis narrauerit vobis, inquit. Porro μεταξὺ σάββατον vocauit futurum ac proximum sabbathum sicut infra declarat.

Soluto autem cœtu sequuti sunt multi Iudæi ac religiosi proselyti Paulum ac Barnabam qui alloquentes suadebant eis, ut permanerent in gratia dei: ac se- B
quenti sabbatho uniuersa propemodum ciuitas conuenit ad audiendum uerbum dei. Visis autem turbis Iudæi repleti sunt zelo & cõtradicebant his quæ à Paulo dicebantur, contradicentes ac blasphemias loquentes. Tunc sumpta fiducia Paulus & Barnabas dixerũt. Vobis oportebat primum loqui uerbum dei: sed quoniam repellitis illud & indignos iudicatis uosipsos æterna uita, ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis dominus. Posui te in lucem Gentium, ut sis Iesa. 49
in salutem usque ad extremum terræ. Audientes au- C
tem Gentes gauisæ sunt, & glorificabant uerbum domini. Et crediderunt quotquot erant ordinati ad uitam æternam. Diuulgabatur autem uerbum domini per uniuersam regionem.

Religiosos & in hoc loco & in progressu vocat eos qui circa proprium cultum feruentes & ardentes erant, ac maiores præ cæteris æmulatores. Siquidem tales etiam Christi fidem ante alios susceperunt, vt qui possent eius excellentiam ac magnitudinem conspicere, & non humano affectu: sed veritatis intuitu ac pietatis amore, eiusque cultus quem prius acceperant æmulatores cõstituti. Rursum ediuerso qui tales


D tales erant, aduersus discipulos & prædicationem magis irritabantur ac insaniebant, ostendentes quòd vehementiorem zelum circa proprium cultum præ cæteris haberent. Aut religiosos proprie vocat proselytos. Etenim quum in superioribus concionaretur ac diceret, Viri Israelitæ & qui timetis deum, timentes deum vocabat proselytos: illos quidem à genere honorãs & Israelitas appellans, hos vero quia id dicere nõ poterat, à religione adæquans. *Sed quoniam repellitis illud.* Ne quis pudoris ac modestiæ existimaret esse quod dicitur, Indignos iudicatis vosipsos, icci̇rco præmisit, Repellitis illud: & tunc addit: Cõuertimur ad Gentes. Nõ dixit autem, Relinquimus vos, sed quòd fieri possit, vt rur-
E sum, inquit, hic conuersemur.

Iudæi uero incitauerunt mulieres religiosas & honestas, primósque ciuitatis, & excitauerunt persequutionem in Paulum ac Barnabam: & eiecerunt eos de finibus suis. At illi excusso puluere pedum suorum in eos uenerunt Iconium. Porrò discipuli replebantur gaudio & spiritu sancto.

Matth.10 Hic complent quod illis præcepit dominus dicens: Si quis non susceperit vos, excutite puluerem pedum vestrorum. Hi vero non modo non susceperunt, verum etiam expulerunt eos à finibus suis, quod peius est. Neque enim dominus discipulos vult habere puluerem pedibus adhæren-
F tem è terra impiorum hominum: vt per hoc ostenderent se nihil efferre ab incredulis. Est autem puluis indicium laboris quem propter ipsos passi sunt.

CAP. XXI.

Quomodo Iconii Christum prædicauerint: quùmque multi credidissent persequutionem passi sunt Apostoli.

Ca. XIIII 

Ccidit autem Iconij ut ipsi simul introirent synagogam & loquerentur sic, ut crederet Iudæorum simul & Græcorum copiosa multitudo. Qui uero increduli erant Iudæi cõcitauerunt ac corruperunt animos Gentium aduersus

fratres

fratres. Multo igitur tempore demorati sunt fortiter agentes per dominum, qui testimonium perhibebat sermoni gratiæ suæ, dabatque ut signa ac prodigia fierent per manus eorum. Diuisa est autem multitudo ciuitatis: & hi quidem stabant à Iudæis, illi uero ab Apostolis. Quúmque factus esset impetus gentium pariter ac Iudæorū unà cum principibus suis, ut uim inferrent, eosq́; lapidarent, re cognita confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ, Lystram & Derben ac finitimam regionē, ibique prædicabant euangelium. A

Confugerunt. Notandum hoc loco non oportere nos in pericula coniicere, sed si opus sit, etiam ad tempus fugere, quum ecclesiæ duces hoc fecerint tanquam volentes prędicationē cōmode extēdere, magisq́; persequutionib⁹ augeri. B

CAP. XXII.

De claudo à natiuitate qui Lystris per Apostolos curatus est: propter quod dii esse, & furore diuino agitari uisi sunt incolis. Vbi postea lapidatur Paulus à Iudæis urbi uicinis.



ET quidam uir Lystris debilis pedibus sedebat: qui quum ab utero matris claudus esset nunquam ambulauerat. Hic audiuit Paulū loquentē: qui intuitus eum, uidēsq́; quod fidē haberet, & ut saluus fieret, dixit magna uoce: Surge in pedes tuos rect⁹. Et exiliit & ambulabat. Turbæ uero quū uidissent quod fecerat Paulus, sustulerūt uocē suā sermone Lycaonico, dicētes: Dij hominibus assimilati descenderunt ad nos. Et uocabant Barnabam Iouem, Paulum uero Mercurium, quod is esset dux sermonis. Sacerdos autem Iouis, qui ante ciuitatem illorum erat, allatis tauris & coronis ad uestibula, cum turbis uolebat immolare. Quod ubi audierunt Apostoli Barnabas & Paulus, cōscissis uestibus suis insilie- C

runt

D *rũt in turbam clamantes ac dicentes: Viri ut quid ista facitis? nos quoque similiter affectibus & malis obnoxij sumus homines, annunciantes ut ab istis uanis cõuertamini ad deum uiuum, qui fecit cœlum & terram mare & omnia quæ in eis sunt: qui in præteritis generationibus sinebat oẽs gentes ingredi uiis suis, Quãquam non expertem testimonij seipsum esse sinebat, dũ beneficia conferret, de cœlo dans nobis pluuias ac tẽ-*
E *pora fructifera, implens cibo & lęticia corda nostra. Et hæc dicentes uix compescuerunt turbas ne sibi immolarent Superuenerunt autem quidam, ab Anthiochia & Iconio Iudæi, qui quum persuasissent turbis ac Paulum lapidassent, extraxerunt eum è ciuitate existimantes mortuum esse. Circundantibus autem eum discipulis surrexit & intrauit ciuitatem: ac postero die profectus est cum Barnaba Derben. Et quũ prædicas-*
F *sent ciuitati illi multosq; docuissent, reuersi sunt Lystram & Iconium & Antiochiam, denuo confirmantes animas discipulorum, & exhortantes ut perseuerarent in fide, quodque per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum dei.*

Conscissis uestibus. Moris erat Iudæis ob huiusmodi in deũ blasphemias vestes discindere: Itaq; & Caiaphas, quũ Christus se dei filium dixisset, emisso clamore vestem discidit di-
Mat. 26. cens: Blasphemiam loquutus est. Hoc quoque fecerunt diuini discipuli Barnabas & Paulus, quum hoc loco dij haberentur, animi affectu auersi ac reiicientes ea quæ fiebãt, luctúsque signa facientes. Vere enim luctus fuisset si hoc sequutũ fuisset vt dij existimarentur, ac idololatriam inducerent, ad quam venerant dissoluendam.

Quúmq; creassent illis per singulas ecclesias presbyteros, precatique eßent cum ieiunio, commendauerunt eos

runt eos domino in quem crediderant. Peragratáque Pisidia uenerunt in Pamphyliam. Et quum loquuti essent uerbum Pergæ, descenderunt Attaliam, & inde soluerūt Miletum, unde erant traditi gratiæ dei in opus quod cōpleuerunt. Et ubi uenissent ac congregassent ecclesiam, retulerunt quæcunque fecisset dominus secum, quódque aperuisset Gētibus ostium fidei. Commorati sunt autem ibi multum tēporis cum discipulis. A

Quamobrem neque in Cypro neque in Samaria creauerant apostoli presbyteros, sed hoc loco? Quia illæ regiones prope Ierusalem & prope apostolos erant: Antiochiæ vero iam sermo robur acceperat, Hic autem magna consolatione egebant,& maxime gētes quas multa doceri oportebat. Notandum vero ꝙ Paulus, & Barnabas episcoporum dignitatē habebant: neque enim solum diaconos creabant, verumetiā presbyteros. Præterea quod cum ieiuniis, & obsecrationibus discipuli electiones peragebant. Denique hoc quoque animaduerte quòd ad vrbem Miletum Barnabas & Paulus creati sint. Aliud tamen exemplar nactus sum in quo scriptū erat pro Mileto Antiochia, idque verisimilius est. B *Caue*

CAPVT XXIII.

Quod non oporteat ex gentibus credētes circuncidi, iuxta decretum ac sententiam apostolorum, in quo ponitur legatio apostolorum, ad eos qui è gentibus crediderunt, de his quæ obseruanda erant. Altercatio Pauli aduersus Barnabam propter Marcum. C

ET quidā qui descenderant à Iudæa docebāt fratres: Nisi circuncidamini secundum morē Mosi, nō potestis salui fieri. Quum ergo seditio ac disceptatio orta esset nō parua Paulo ac Barnabæ aduersus illos, statuerūt ut ascenderēt Paulus ac Barnabas & quidam alij ex illis ad apostolos ac presbyteros Ierosolyma super hac quæstione. Illi ergo deducti à congregatione pertransibant Phœnicen ac Cap. XV

D *nicen ac Samariam, narrantes conuersionem gētium, & adferebant gaudium magnum omnibus fratribus. Quumq; uenissent Ierusalem, suscepti sunt à cōgregatione & ab apostolis ac presbyteris, & annunciabāt quæcunque deus fecisset cum ipsis. Surrexerunt autem quidam de secta Pharisæorum qui crediderant, dicentes quòd oporteret circuncidere eos ac præcipere ut seruarent legem Mosi.*

Galat. 1. E Quomodo in epistola ad Galatas ait, Neque ascendi Ierosolyma ad eos qui ante me erant apostoli, neque cōtuli euāgelium quod prædico in gentibus? Hic autem, ait quòd statuerunt, vt Paulus & Barnabas ascenderent Ierosolymá ad apostolos ac presbyteros? Primo quidem dicimus ꝙ non ipse ascendit, sed ab aliis missus est. Secundo quod non accesserit vt instrueretur, sed vt aliis suaderet. Ipse siquidē ab initio huius fuit sententiæ, quam etiam apostoli postea confirmarunt, ꝙ non esset necesse circūcidi. Verùm quum interim illis non videretur fide dignus esse, sed his qui erant Ierosolymis adhærebant, ascendit, non vt quippiam sibi amplius F persuaderetur, sed vt contradicentibus persuaderet, quod hi etiam qui Ierosolymis erant, istis suffragarentur. *Surrexerūt autem quidam de secta Pharisæorum.* Non qui ex gentibus crediderant, sed qui ex Iudæis petebant vt credentes circuncideren tur, cæteraque legis carnalia exercerent: quos vtpote volentes ad propriam gloriationem circuncidere credētes, non receperunt discipuli qui tamen ex circuncisione erant: neque enim sua quærebant, sed communem mundi vtilitatē ac salutem.

Conueneruntque apostoli ac presbyteri ut dispicerent de hoc sermone. Quum autem magna disceptatio fuisset, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres uos scitis quòd ab antiquis diebus deus in nobis elegit, ut per os meum audirent gentes uerbum euangelij ac crederent. Et qui nouit corda deus, testimonium præbuit illis,

illis, dato eis spiritu sancto sicut & nobis, nihilq; di- A
screuit inter nos & illos, fide purificatis eorum cor-
dibus.

Etiam hinc coniici potest quòd aliam quandam dignitatem habebant apostoli quæ presbyterorum dignitatem excederet, propter quam non simul assumuntur ipsi cum presbyteris. *Vos scitis* &c. Fortassis aderāt qui olim accusauerāt Petrum de Cornelio, & similiter qui profecti fuerant cū eo, propterea ipsos testes adducit, Quid est autem hoc quod sequitur, *In nobis elegit?* Hoc est in Palæstina, vel præsentib⁹ nobis. *Nihilq; discreuit inter nos & illos, dato eis spiritu sancto si- B*
cut & nobis, fide purificatis eorum cordibus. Hoc est facta purificatione peccatorum, quæ à corde eorum egrediuntur. Hęc autem purificatio similis est circuncisioni, & loco circuncisionis quæ fit in carne datur circuncisio in spiritu, purificās fide quę in Christum est occulta scelera. Quod autem in cōmunem non cedat vtilitatem circuncisio carnis, ex eo liquet quòd solis data sit masculis. In Christo autem Iesu per verā Colo.3.
fidem non est masculus & fœmina, nō est seruus & liber, nō est græcus aut barbarus, sed omnes vnum sumus.

Nunc ergo quid tentatis deum, ut imponatur iugū super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? sed per gratiam domini Iesu credimus nos saluandos quemadmodū & illi. Ta- C
cuit autem tota multitudo: & audiebant Barnabam ac Paulum narrantes quæ signa ac prodigia fecisset deus inter gentes per ipsos.

Quid tentatis deum? Hoc est quare increduli estis deo, quasi fide saluare non posset ad se accedentes. Notandum vero Nota.
quòd difficilia illa carnis præcepta non oportet quibusuis imponere vt longum extremumque ieiunium, nuditatē aut silentiū: nisi quis sibiipsi hæc imponat: quāquam enim difficilia sunt, non sunt tamen egregia facinora, licet à multis facta sint & adhuc fiāt. *Sed per gratiam domini Iesu credimus nos saluandos.* Quemadmodum enim lex olim obseruantes quæ in ea dicebantur saluabat, ita nūc gratia etiā sine legis obseruatione,

D uatione, per fidem saluat.

Et postquam conticuissent respondit Iacobus dicēs: Viri fratres audite me.

Iacobus hic Ierosolymorum à domino creat' episcopus, filius erat Ioseph fabri, frater autem secundum carnem domini nostri Iesu Christi. Doctè autē tum à recentioribus tū à veteribus prophetis confirmat sermonem. Neque enim potuit factum aliquod demonstrare, quemadmodum Petrus & Paulus. Rectè autem ordinatur vt per illos opera fierent qui non multo tempore moram facerent Ierosolymis. Hic autē

E qui eos doceret, nulli foret culpæ obnoxius, neque animo corruptus esset.

Simeon narrauit quemadmodum deus primum uisitauerit ut sumeret ex gentibus populū in nomine suo.

Luc.e.2. Quidam hūc esse Simeonem dicunt, qui apud Lucā prophetauit. Nunc dimittis seruum tuum domine.

Et huic consonant libri prophetarum, sicut scriptū

Amos.9. *est: Post hæc reuertar, rursumq; ædificabo tabernaculum Dauid quod collapsum est, & diruta eius instaurabo: & erigam illud, ut requirant qui reliqui sunt homines dominum, & omnes gentes super quas inuoca-*

F *tum est nomen meum, dicit dominus qui facit hæc omnia. Nota sunt à seculo deo omnia opera sua. Quapropter ego censeo non obturbandum esse illis qui ex gētibus conuertuntur ad deum, sed scribendum esse illis ut abstineant se ab inquinamentis simulacrorū & scortatione & suffocato & sanguine. Moses enim ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet qui ipsum prædicēt in synagogis, ubi per omne sabbathū legitur.*

Iudæi quidem hoc de ædificatione templi Ierosolymitani post captiuitatem intellexerunt. Hoc autē nō est rectū: nā post hoc quoque sæpius euersum est, prophetia vero sempiternam promittit ædificationem. Qui autem de Zorobabel dictum esse asserunt, vt qui genus (inquiunt) à Dauid deduxerit: non

xerit: non bene intellexerunt, neque hoc rectum est. Nam Zorobabel vbi paruo gubernasset tempore, mortis terminũ accepit: prophetia vero sempiternorum bonorum promissionem continet, omniumque gentium erga deum agnitionem: quorum nihil de his qui sub Zorobabel fuerunt contigisse inuenimus. Manifestum est igitur quòd hanc de domino nostro Iesu Christo dictam esse intelligemus: dominus enim noster genus secundum carnem à Dauid deducẽs, promissionem quæ ad Dauid facta est compleuit. Verbum enim caro factum est, & habitauit siue tentorium posuit inter nos (nam est ἐσκήνωσεν) sumpto ex Dauid tentorio siue tabernaculo. Merito ergo sermo propheticus ipsius Dauid tabernaculum rursum ædificandum dicit, idque non ad paruum tempus dicit, sed ad omnes dies seculi. Promittitur autem gentibus donum cognitionis diuinæ, hoc est iis qui ex gentibus ad Christum conuersi fuerint, & nomine Christi vocati. Alij vero de resurrectione eius ex mortuis hoc esse dictum aiunt. Quum enim deus ac pater tabernaculum eius quod in mortem ceciderat hoc est quod carneũ erat, à terra excitasset, tunc omne genus humanum ad veterem restituit formam: & omnia nostra quæ diruta erant, in nouam faciem excitata sunt: simul enim cum Christo surreximus. Siquidem mors omnium diruit tabernacula, deus vero & pater per Christum ædificauit ac restituit. Neque enim alio modo poterat excitari natura nostra, nisi manum præberet qui illam ab initio formauerat, ac regeneratione quę fit per aquam & spiritum superne, disponeret. Vere enim ceciderat casu immedicabili, & cui manu illa robusta opus esset, idque futurum dicit vt non ad modicum tempus nobis contingat, sed ad dies seculi: erit enim inamissibile in nobis bonum immortalitatis: tunc autem & qui reliqui inquit fuerunt homines post eos qui ex Israel crediderunt, eum qui vere & natura deus est cognouerunt, veteri errore relicto. Vocabuntur autem omnes quoque gentes inquit, & super has erit nomen meum super quas ab initio quoq; inuocatũ est: Quos enĩ præsciuit, hos & prædefiniuit.

A (margin, beside line 1) · Iohan.1. (margin, beside "Verbum enim caro") · B (margin, beside "Promittitur autem gentibus") · C (margin, beside "tione quę fit per aquam") · Roma.8. (margin, beside last line)

Tunc uisum est apostolis, & presbyteris cum tota cõgregatione, ut delectos ex sese uiros mitterent Antiochiam

D tiochiam cum Paulo & Barnaba. Iudam nempe co-
gnomento Barsabam & Silam uiros primarios inter
fratres, missis per manus eorum literis in hanc sentẽ-
tiam: apostoli & presbyteri ac fratres his qui sunt
Antiochiæ & in Syria ac Cilicia fratribus, qui sunt
ex gentibus salutem. Quoniam audiuimus quod qui-
dam è nobis egressi turbauerunt uos uerbis, labefa-
E ctantes animos uestros, iubentes uos circuncidi ac ser-
uare legem, quibus non præceperamus: uisum est no-
bis unanimiter congregatis delectos uiros mittere ad
uos cum dilectis nostris Barnaba & Paulo, hominibus
qui exposuerunt animas suas pro nomine domini no-
stri Iesu Christi. Misimus ergo Iudam & Silam, qui &
ipsi uobis uerbis referent eadem. Visum est enim spiri-
tui sancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus uo-
bis oneris quàm hæc necessaria: uidelicet ut absti-
neatis uos ab his quæ sunt immolata simulacris & san-
F guine & suffocato & scortatione, à quibus uosipsos
conseruando benefacietis. Valete. Illi ergo dimissi ue-
nerunt Antiochiam, & congregata multitudine red-
diderunt epistolam: quam quum legissent gauisi sunt su
per consolatione. Iudas autem & Silas quum essent &
ipsi prophetæ, sermone copioso cobortati sunt fratres,
ac confirmauerunt. Commorati autem illic aliquantũ
temporis dimissi sunt cum pace à fratribus ad aposto-
los. Visum est autem Silæ manere ibidem. Paulus autẽ
& Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes &
annunciantes cum aliis etiam compluribus uerbum do-
mini. Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Pau
lus: Reuertentes iam uisitemus fratres nostros per o-
mnes ci-

mnes ciuitates in quibus annunciauimus uerbum domini, quomodo se habeant. A

Vt dilectos ex sese uiros mitterent. Oportebat non solam adesse epistolam, ne diceret quod arripuissent aliud pro alio scribentes. Verum vt res quoque maiorem haberet fidem, mittunt quosdam ex suis vt Paulus ac Barnabas suspecti nō essent: Ne autem suspicio subesse putetur de Paulo & Barnaba, quòd illi sint missi, laudant eos, Hominibus inquiunt qui exposuerunt animas suas pro nomine domini nostri Iesu Christi. *Visum est aiūt spiritui sancto ac nobis.* Nusquam enim de his disseruit Christus, sed hi à lege hæc dicunt. Ne ergo humanum esse videretur, aiūt spiritui sancto visum esse. Vtque demonstrarent quòd & ipsi susciperent quanquam in circuncisione essent, addunt. Et nobis. Etenim potuissent B etiam absque literis hæc manifestare, sed vt suspicione careret, & tanquam lege scripta hæc fieri volentes scribunt epistolam Rursum vt lege persuaderent, & quatuor hæc fieri prohiberent, cæteros mores eis permiserunt. Quæ sunt autē hæc? *Vt abstineatis inquit ab his quæ sunt immolata simulacris & sanguine & suffocato ac scortatione.* Per suffocatum vero cædē prohibent.

Barnabas autem consulebat ut assumerent & Iohannem cognomento Marcum. Paulus uero iudicabat eum qui defecerat ab ipsis ex Pāphylia, nec ierat cum eis in opus, non esse assumendum. C

Iohannes cognomento Marcus comes ipsis fuerat ad cursum euangelicum à Palæstina vsque ad Pamphyliam: deinde apostolis constanter cursum prosequentibus, ac indefesso animo ad certamina obarmatis. Marcus homo segnis nec sufficiens ad tantum cursum, & ad certamina ac pericula quæ in quaque ciuitate emergebant, cursui apostolorum renuncians reuersus est in Palæstinam, non Christum abnegās, sed longum grauemque cursum deuitans. Paulus autem ac Barnabas pietatis fructibus pleni, etiam Ierosolymitanæ ecclesiæ prædicantes euangelium, labores nequaquam deuitare decreuerunt. Quum igitur gentes omnes Paulum ac Barnābam ob egregia facinora laudibus eueherent. Marcus con-

D tristatus est & animo compunctus: & fortassis ita cogitauit: Si nunc socius fuissem laborum, nunc quoque particeps essem & laudum, & ita decreuit vnà cum apostolis ad prædicationem exire. Barnabas igitur ipsum pœnitudine ductum suscepit: Paulus vero contendebat dicens: Nō expedit eum qui nobiscum non est profectus ad opus domini simul assumere. Dissensio itaq; iustitiæ erat & nō iræ. Paulus siquidem quod iustum est quærebat, Barnabas vero quod benignū est ac humanum. Marcus itaq; simul cum Barnaba versabatur, studiose agens & circūcurrens: Paulus vero in cœtibus præcipiebat ne susciperetur Marcus, nō quo illū contristaret, sed vt studiosius ageret. Vt autem cognouit Paulus Marcū dili-
E gentem factum esse ac secundo sese purgasse, iam incipit eū
Colos. 4. assumere, & ait: Salutat vos Marcus cōsobrinus Barnabæ de quo accepistis mandata: si venerit ad vos excipite eum.

Facta est autem exacerbatio, ita ut alter ab altero seiungeretur, & Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret in Cyprum: Paulus uero allecto Sila profectus est, traditus gratiæ dei à fratribus. Et perambulabat Syriam ac Ciliciam confirmans ecclesias.

Exacerbatio inquit facta est non odium aut rixa. Tantum autem potuit exacerbatio vt separaret eos à se inuicē: & iure optimo quod quisque vtile esse ducebat, hoc postmodum cōmunicatione erga illum cōprobauit. Videntur autem duce quoq; prudentia hanc fecisse separationē, & ad se inuicē
F dixisse: Quoniā ego hoc volo tu autē nō vis, ne pugnemus, locis potius separemur. Idque faciebant tanquā plurimū inuicem cedentes. Volebat enim Barnabas vt Pauli sententia staret, propter quod etiā separatus est. Attamen hoc in prophetis quoq; reperimus ꝙ diuersas habuerint sentētias moresq; diuersos: veluti Elias austerus fuit, Moses autem mansuetus: ita sane & hoc loco Paulus vehementior est Barnaba. Hæc vero contentio plurimum Marco profuit. Siquidē Pauli terror ipsum conuertebat: Barnabæ autē benignitas efficiebat ne amplius relinqueretur, aut ille discederet. Itaq; cōtendunt quidem: attamen in vnum finem lucrum occurrit. Etenim videns Paulum eligentem potius separari quàm ipsum as-

ſum aſſumere, admodum timuit, ſeſeque cõdemnauit: vidẽs A
autem Barnabam adeo ſe cõplectentem, vehemẽter eum dilexit: & emendabatur diſcipulus contentione pręceptorum, tantum abfuit vt offendiculum inde ſuſciperet. Quum enim videret ſe ob ſegnitiem ita reiectum à Paulo, ſecundo curſu ſtuduit per diligentiam tegere priorem inertiã, adiutus plurimũ Pauli aſperitate. Quid ergo? inimicíne ſegregati ſunt? Abſit. Quòd autem nec inimicitia inter apoſtolos contigerit, poſtmodum oſtẽditur, dum vbique Barnabas multis encomiis à Paulo in epiſtolis extollitur.

CAPVT XXIIII.

De inſtructione Timothei, & Pauli in Macedoniam iuxta reuelationem emiſſione, in quo narratur de fide ac ſalute cuiuſdam mulieris Lydiæ: de ſalute puellæ habentis ſpiritum diuinatorem, propter quã domini incluſerunt Paulum in carcerem De terræ motu ac miraculo quod ibi contigit, & quomodo cuſtos carceris quum crediidſſet in ipſa nocte, repente cũ uniuerſa familia baptizatus eſt. Quòd rogati exierint tunc de carcere apoſtoli. B



Eruenit autem Derben ac Lyſtram: & ecce diſcipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris cuiuſdam Iudææ fidelis, cæterum patre Græco. Huic teſtimoniũ bonum reddebant qui Lyſtris erant & Iconij fratres. Hunc uoluit Paulus ſecum proficiſci: & aſſumptum circuncidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis. Nouerant enim omnes ꝙ pater eius eſſet Græcus. Quũ autem pertranſirent ciuitates, tradebant eis ſeruanda decreta quæ ordinata erant ab apoſtolis ac presbyteris qui erãt Ieroſolymis. Itaque eccleſiæ confirmabãtur fide, & abundabant numero quotidie. Ca. XVI. C

Tradebant eis ſeruandã decreta. Puta abſtinere ab idolothytis. i. cibis qui fuiſſent ſimulacris immolati, à ſcortatione, ſanguine & ſuffocato: quæ regularis vitę informationem reſpiciunt: hæc enim prudentem vitam dirigunt & rationalibus aptantur hominibus.

D *Quumq; peragrassent Phrygiam & Galaticam regionem, ac prohibiti essent à spiritu sancto ne uerbũ in Asiam dissеminarent, profecti in Mysiam tentabãt ire in Bithyniam, & non permisit eos spiritus. Vbi autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem.*

In Asia & Bithynia vetat spiritus ne verbum disseminent apostoli, præscius hæresim eorum qui spiritum impugnarẽt dominaturam illis qui ibi degerent.

Et uisio per noctem ostensa est Paulo. Vir quidam Macedo stabat deprecans eum ac dicens: Profectus in
E *Macedoniam esto nobis auxilio.*

Nõ iam per angelũ sicut Philippus & Cornelius, sed per visionẽ humanius instruitur. Nã vbi facilior erat persuasio, more magis humano: vbi vero multa vi opus erat, magis diuino modo fiebat apparitio. Quoniã enĩ asciscebatur solũ vt prædicaret, ad hoc per somnũ ei apparet: vbi vero prędicare non permittebatur, ad hoc reuelatur spiritus sanctus. Profecti inquit in Mysiam tentabant etiam ire in Bithyniam, & non permisit eos spiritus. Iam enim non operabatur spiritus quæ facilia erant, sed satis ad hoc erat vel somnium.

Vt aũt uisum uidit, statim quæsiuimus proficisci in
F *Macedoniã, certi facti quod uocasset nos dominus ad euangelizandũ eis. Quũ igitur à Troade soluissemus, recto cursu uenimus Samothracẽ, & postero die Neapolim, & inde Philippos quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas colonia. In ea autem urbe diebus aliquot commorabamur.*

Sciendum in his ciuitatibus vnà cum Paulo fuisse & Lucã: vt ex his apparet verbis quibus suã personã simul cõplectit dicens. Quæsiuimus, recto cursu venimus, aliaq; similia.

Et die sabbathorum egreßi sumus è ciuitate iuxta flumen, ubi moris erat fieri precationem: sedentésque loquebamur mulieribus quæ conuenerant. Et quædam mulier nomine, Lydia purpurarum uenditrix

ciuitatis Thyatirorum colẽs Deum audiuit, cuius dominus aperuit cor, ut intenderet his quæ à Paulo dicebantur. Quúmque baptizata esset unà cum familia sua, deprecata est dicens: Si iudicastis me fidelem domino esse, ingreßi domum meam, in ea manete. Et adegit nos. A

Non solum vbi synagoga erat, sed etiã foris precabantur, tanquam locum aliquem ad hoc separãtes, nempe Iudæi nimium corporalibus dediti. Aut potius quoniã ob Iudæorum paucitatem non erat ibi synagoga, iuxta flumen extra ciuitatem clam congregabantur, qui videlicet Deum colebant. Neapolim autem dicit, quæ nunc Christopolis appellatur. B

Contigit autem quum iremus ad precationem, ut puella quædam habens spiritum Pythonis occurreret nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsequuta Paulum ac nos, clamabat dicens: Isti homines serui Dei summi sunt, qui annũciant uobis uiam salutis. Id autem faciebat ad multos dies. Paulus uero ægre ferens & conuersus, dixit ad spiritum. Præcipio tibi per nomẽ Iesu Christi, ut exeas ab ea. Et exijt eadem hora. Videntes autem domini eius quod abijsset spes quæstus sui, apprehẽsum Paulum & Silam, traxerunt in forum ad principes, & offerẽtes magistratibus dixerũt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, quum sint Iudæi, & annunciant instituta quæ non licet nobis suscipere neque seruare, quum simus Romani. Concurritq; turba aduersus eos: & magistratus scißis uestibus suis, iusserũt eos uirgis cædi. Quúmque multas plagas eis imposuissent, conieceruñt eos in carcerem præcipientes custodi carceris, ut diligenter seruaret eos. Qui præcepto huiuscemodi acce- C

D *pto coniecit eos in interiorem carcerem, pedesq; eorũ strinxit ligno. Media autẽ nocte, Paulus ac Silas laudabant Deum: & auscultabant eos qui uincti erant.*

Pythia dicitur mulier quæpiam, quæ insidere solet tripodi Apollinis diuaricatis cruribus, deinde hoc modo spiritus prauus inferne ascẽdẽs, & per partes eius genitales trãsiens, mulierem insania replebat, & hanc solutis crinibus sub hæc bacchari, spumámque ore cogebat emittere, & ita in debacchatione constitutam, insaniæ verba proferre. Verum quare & hæc Dæmon loquebatur? Volebat in posterum fide dignũ facere suum testimoniũ. Si enim Paulus illud admisisset, multos sane etiam credentium fefellisset, tanquam ab illo susceptus.

E Propterea patitur ea dici, quę contra se faciunt quo sua statuat: & illa sui demissione ad aliorum perditionem vtitur. Paulus itaque initio non quidem admisit, sed contempsit nolens temere ad signa prosilire. Verũ quum hoc faciẽdo perseueraret, negociumque ipsi facesseret, tunc eum iussit egredi. διαπονηθεὶς enim inquit, Paulus hoc est cõmotus & molestia affectus, obserato ore etiam vera dicenti, iussit dæmonium ab ea egredi: docens nos vt neque prætextu ferẽdi patrocinium veritati dæmones suscipiamus, sed omnem fraudis viam illis præcludamus: & ad omnia quæ illorum sunt, aures obturemus.

Repente uero terræmotus factus est magnus, adeo

F *ut cõcuterẽtur fundamẽta carceris, ac protinus aperta sunt omnia ostia, cunctorúmque uincula soluta sunt.*

Terræmotus factus est tantus, vt carceris custodẽ expergefaceret: ostia vero aperta sunt, vt factum admiraretur & crederet. Neque enim hæc ad ostentationem facta sunt, sed ad salutem. Hæc autem non viderunt qui vincti erant, nam ita certe omnes fugissent.

Experrectus autem custos carceris, quum uideret ianuas carceris apertas, euaginato gladio seipsum interfecturus erat, existimans aufugisse uinctos. Clamauit autem Paulus uoce magna dicẽs. Ne quid feceris tibiipsi mali, uniuersi enim hic sumus. Postulato itaq; lu-

mine

mine accurrit, & tremefactus accidit Paulo & Silæ ad pedes, illisq; foras productis ait. Domini quid me oportet facere quo saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in dominum Iesum & saluus eris tu ac domus tua. Et loquuti sunt ei uerbum domini, omnibúsque qui erant in domo eius. Et assumptis ipsis ea noctis hora, abluit plagas: & baptizatus est ipse, omnésq; domestici eius continuo. Et quum eos perduxisset in domum suam, apposuit eis mensam, ac lætatus est, quòd cum uniuersa familia credidisset Deo. Quúmque dies ortus esset, miserunt magistratus lictores qui dicerent: Dimitte homines illos. Nũciauit autem custos carceris uerba hæc Paulo: Miserunt magistratus ut dimittamini. Nũc igitur egreßi, ite in pace. A B

Experrectus custos carceris. Hic est Stephanãs cuius meminit Paulus priore ad Corinthios epistola. 1.Cor.1.

Paulus autem dixit ad eos: Cæsos nos publice indicta causa, quum simus Romani, coniecerunt in carcerem, & nunc occulte nos eijciunt? Non profecto, sed ueniant ipsi, ac nos educant. Nunciauerunt autem lictores magistratibus uerba hæc. Timuerúntque audito quod Romani essent, & uenientes deprecati sunt eos, eductósque rogabant, ut egrederentur ciuitatem. Egreßi autẽ è carcere, introierunt ad Lydiam, uisisq; fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt. C

Cæsos nos publice. Duplicem ostendit expostulationem, quum ait, Cæsos ergo nos publice &c. quia & Romanos, & indicta causa & publice, Etenim dispensotorie humanas rationes frequenter comminiscitur, ne tanquam iudicio damnatus videretur esse dimissus, aut sicut is qui deliquisset, & ne res attribueretur beneficio ipsorum. Sciens etiam quod oporteat principibus ac potestatibus esse subiectos, vocabat

D bat seipsum Romanum. Fortassis enim omnem terram, etiam Iudæam, Romanorum Imperator obtinebat. Nam & ipsi pendebant tributa Cæsari: non abiicientes principatum ac dominium Romanum, quemadmodum cæteri Iudæi seipsos seducentes, qui Deum solum proprium regem esse dicebant & non hominem: re tamen ipsa tãquam tributarij subditi pendebant tributa: nomen quidem abnegantes, re autem subiecti: quos etiam Vespasianus tanquam non subiectos expugnauit.

CAPVT XXV. *De seditione facta Thessalonicæ ob prædicationem, fugáque Pauli in Berœam, & inde in Athenas.*

CAP. XVII. E



Cúmque iter fecissent per Amphipolim & Apolloniam, uenerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudæorum. Et iuxta consuetudinem suam Paulus introiuit ad eos: & per tria sabbatha disserebat eis ex scripturis, adaperiens, citatisque testimonijs comprobans oportuisse pati Christum, & resurgere à mortuis, quódque hic esset Christus Iesus, quem ego inquit annuncio uobis.

Quoniam hi signis aduersabãtur, calumniantes veluti seductores essent ac prestigiatores: hic à scripturis persuadet, vt sic nulla haberi posset suspicio.

Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt F *Paulo & Silæ, ac religiosorum Græcorum multitudo magna, mulierésque primariæ non paucæ. Zelo autem commoti Iudæi increduli, assumptis etiam quibusdam circũforaneis uiris malis, turbáque coacta concitauerunt ciuitatem, & urgentes domum Iasonis, quærebant eos producere ad populum. Cúmque non inuenissent eos trahebant Iasonem, & quosdam fratres ad principes ciuitatis clamantes: Hi qui terrarum orbem conturbarunt, huc quoque uenerunt, quos clanculo excepit Iason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt,*

ciunt, regem alium dicentes esse Iesum. Concitauerunt autem turbam, ac magistratus ciuitatis audientes eos. Et accepta satisfactione ab Iasone, & à cæteris dimiserunt eos. Fratres uero confestim per noctem emiserunt Paulum simul, & Silam in Berœam. Qui quum aduenissent, profecti sunt in synagogam Iudæorum. A

Religiosos Græcos vocat eos, qui quum ex Iudæis essent, græcè tamen loquebantur: religiosos autem, eo quòd legem seruarent: aut proselytos Iudæorum, qui ex Græcis erant.

Hi autem generosiores erant inter eos, qui degebant Thessalonicæ, qui sermonem susceperunt cum omni animi promptitudine, scrutantes quotidie scripturas, an hæc ita se haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & Græcæ mulieres honestæ, uirique non pauci. Vt autem cognouerunt Thessalonicenses Iudæi, quòd & Berœæ prædicatum esset à Paulo uerbum Dei, uenerunt etiam ibi commouentes turbas. B

Hi autem generosiores erant. εὐγενέστεροι dicit volens significare æquiores. Hi vero non tanquam increduli indagabant, siue scrutabantur scripturas, (iam enim crediderant) sed tanquam expertes traditionis veterum prophetarum, & propterea fide robustiores effecti sunt, quum scrutarentur scripturas, ac inuenirent veterum sermonibus consona esse opera dispensationis domini in carne. C

Statimque tunc Paulum emiserunt fratres, ut iret uelut ad mare. Silas autem & Timotheus remanserunt ibi. Qui uero prosequebantur Paulum, deduxerunt eum Athenas usque, & accepto mandato ad Silam, ac Timotheum, ut quàm celerrime uenirent ad se profecti sunt.

Dispensatione quadam fugit hic Apostolus non timore correptus, sed & prædicationem augere volens, & furorem eorum laborans extinguere.

Caput

D CAP. XXVI.

De scriptura quæ super aram erat Athenis: & de docta Pauli prædicatione ac ipsius pietate.



Aulus autem quum Athenis eos expectaret, iritabatur spiritus suus in ipso, quum uideret idolorum cultui deditam ciuitatem. Disputabat itaque in synagoga cum Iudæis & religiosis, & in foro quotidie cum his quos nactus fuisset.

παρωξύνετο non hic iram dicit aut indignationem: longe
E enim ab ira & indignatione est gratia. Quid ergo est παρωξύνετο? hoc est incitabatur, non ferebat, sed tabescebat: sicut etiam alibi ait: Facta est autem exacerbatio inter eos, &c.

Supra.15

Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi confligtabantur cum eo, & quidam dicebant: Quid uult spermologus hic dicere? alij uero: Nouorum dæmoniorum uidetur annunciator esse, quòd Iesum & resurrectionem annunciaret eis.

Epicurei quidem casualiter & ex indiuisibilibus omnia componi arbitrabantur: Stoici vero corpus ac inflammationem. * Quidam itaque de scientia superbientes, diuinũ Paulum stolide irridebant dicentes: Quidnam vult spermologus iste? Quoniam enim spermologus auicula parua est ac
F vilis, neque ad cibum neque ad vllam apta voluptatem, quæ abiecta in triuiis semina solet colligere: iccirco viles homines sermoneque indignos Spermologos vocabant. Item nouorum dæmoniorum doctorem eum esse dicebant, quoniam Iesum ac resurrectionem annunciabat. Siquidem Resurrectionem deum quempiam esse existimabant, vt qui etiam fœminas colere solét: deos enim suos vocabant dæmonia.

*Hic deesse aliquid uidebatur in nostro exemplari.

Et apprehensum eũ duxerũt ad Martiũ pagũ dicẽtes: Possumus ne scire, quæ sit ista noua quæ à te refertur doctrina? noua siquidẽ ingeris auribꝰ nostris. Volumus ergo scire quidnam uelint hæc esse. Athenienses

autem

autem omnes, quique illic uersabantur hospites, ad nihil aliud uacabant, nisi ut quippiam uel dicerent uel audirent noui. A

Duxerunt ipsum ad Martium pagum. Non vt aliquid discerent, sed vt ibi puniretur, vbi agebantur causæ criminales. Martius autem pagus erat locus quidam sic dictus, quoniam ibi Mars (vt ferunt) adulterij pœnas dedit. πάγος vero excelsus locus est: siquidem in colle quodam erat locus ille iudicij. Vnde etiam apud nonnullos πάγαρχοι appellantur locorum ac oppidorum præsides.

Stans autem Paulus in medio Martij pagi ait: Viri Athenienses per omnia fere superstitiosores uos uideo. B *Præteriens enim ac contemplans delubra uestra, reperi & aram in qua inscriptum erat:* IGNOTO DEO. *Quem igitur ignorantes colitis, hunc ego annuncio uobis.*

Nomine δεισιδαιμονεστέρους, id est supstitiosiores vsus est, pro Religiosiores. Est enim δεισιδαίμων siue superstitiosus qui dæmonia veritus, omnia pro numinibus colit, & lapidem & lignum & spiritum. Duas vero causas referunt cur apud Athenienses inscriptum fuerit aræ, IGNOTO DEO. Siquidem aliqui dicunt, quòd Athenienses Philippidem miserant ad Lacedæmonios de ferendo auxilio, quum Persæ exercitum ducerent in Græciam. Quorum nũciis iuxta Parthenium montem Panis spectrum obuiam factum, Athenienses accusabat, quòd se neglecto alios deos colerent: & auxilium promisit. Quum itaque victoria potiti essent, templum illi erexerunt aramq; ædificarunt. & tanquã obseruantes, ne vel idem sane, vel aliud simile ipsis accideret, si quempiam ignotum sibi deum prætermitterent, aram illam erexerunt inscribentes, IGNOTO DEO, dicentes: Si quis adhuc alius à nobis ignoretur, in ei[9] honorem hæc ara à nobis erecta esto, quo nobis propitius sit, licet, quum ignoretur, nõ colatur. Alij vero, aiunt, pestem quondam Athenis grassatam fuisse, adeoque illos exussisse, vt neque sindones tenuissimas possent tolerare. Quum igitur colerent eos, qui apud C

ipsos

D ipsos dij habebantur, nihil adiumenti senserunt. Intelligentes itaque quendam fortassis esse deum quem ipsi absque honore reliquissent, qui pestem immisisset, nouam extruxerũt aram ac inscripserunt, IGNOTO DEO. Quumque ipsi sacrificassent, statim curati sunt. Hunc ergo Christum Iesum esse deum omnium dicit Paulus, quem se illis annunciare dicebat. Tota autem aræ inscriptio hæc est: θεοῖς ἀσίας καὶ εὐρώπης καὶ λυβίης θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ: hoc est, diis Asiæ & Europæ ac Lybiæ, deo ignoto & peregrino.

Deus qui cõdidit mundum, ac omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ quum sit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indi-
E *gens aliquo, quum ipse det uitam & halitum per omnia: fecitque ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super uniuersam faciem terræ.*

Ne vnum è vulgo deorum existimarent esse deum qui ab ipso prædicaretur, corrigendo subiungit: *Non in manufactis templis habitat.* Habitat siquidem in templis, verum nõ in his, sed in anima humana. Neque enim in templo Ierosolymorum habitare dicitur, sed operari. Neque manib⁹ hominum apud Iudæos colebatur, sed mente: quoniam nec illa ita expetebat, quasi egeret. Num, inquit, edam carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? &c.

Præfiniens destinata tempora terminósque habi-
F *tationis eorum: ut quærerent deum si forte palpent eum & inueniant, quamuis non longe absit ab unoquoque nostrum. Per ipsum enim uiuimus & mouemur ac sumus, sicut & quidam uestratium poetarum dixerunt. Nam huius etiam progenies sumus. Quum ergo dei genus simus, non debemus existimare auro uel argento seu lapidi arte sculpto, & inuento hominis numen esse simile.*

Præfiniens destinata tempora. Præfiniuit, inquit, vt deũ quærerent: at non semper hoc destinauit, sed constitutis temporibus: ostendens quòd nunc eum reppererint, ne quæsitum quidem.

quidem. Quandoquidem enim non quæsitum inuenerunt, demonstrat adeo manifestu eum fuisse, veluti si quid in medio situm contrectetur. Neque enim in hoc loco inueniebatur, sic vt non alibi, neque in hoc tempore erat, sic vt in alio non esset. Omni itaque tempore omniq́ue loco potuissent eũ inuenire: ita namque disposuerat, vt neque loco vllo arceretur, neque tempore. Nam hoc ipsum sane illis maxime adiumento erat, quod vbique esset deus omniq́ue tempore perduraret. Et hoc est quod ait: *Atqui non longe abest ab unoquoq; nostrum.* Nam prope omnes est vbicunque terrarum sint: adeoq́ue prope est, vt absque eo nulli vita sit. *In ipso enim & uiuimus & mouemur ac sumus.* Quemadmodum in corporali exemplo, sicut impossibile est ignorare aerem qui vbique diffunditur, nec longe ab vnoquoque nostrum abest, quin potius in nobis est, ita sane & omnium conditorem deum ignorare non possumus. Ab ipso enim habemus, vt simus, vt operemur, vt non pereamus. Deinde etiam vaticinium illis inducit Arati poetæ cuiusdam inter eos, qui apud ipsos fuerat, ad sui sermonis confirmationem: *Nam huius etiam progenies sumus,* inquit. Et hic quidem de ipso creatore illud assumit, quanquam de Ioue hoc dictum esse ferant: non dicens ipsum illi aptasse, sed quòd proprie ad ipsum aptari possit. Etenim quædam dicta etiam ad ipsum recte aptantur, quanquam id nesciant Græci, sed ad alium illa retulerint: quemadmodũ & illud est, Ignoto deo, & quædã alia. Genus autẽ dei nos esse dicit Paulus: nõ vt illi aiũt, sed alio sensu: hoc est familiares, proximos: vt si quis dicat domesticos aut vicinos. C

Tempora itaque ignorantiæ quum hactenus dissimularit deus, nunc annunciat omnibus hominibus ut ubique resipiscant, eo quòd statuit diem in quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia, per eum uirum quẽ decreuerat, fide omnibus præstita quum excitarit illum à mortuis. Quum audissent autem resurrectionem mortuorum, alij quidem irridebant, alij uero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit è medio eorum. Quidam autem uiri adhærentes ei crediderunt, inter quos & Dionysius Areopagita & mulier nomine

D *ne Damaris aliique cum eis.*

Tempora itaque ignorantiæ, &c. Non hoc dicit quòd nemo de illis puniatur, sed quòd nullus eorum qui resipiscere volunt. Non de mortuis hoc dicit, sed de his quibus nunc annunciat. Non repetit, inquit, à vobis rationem de præteritis ignorantiæ vestræ annis. Non autem dixit, Contempsit aut Permisit, sed dissimulauit: hoc est supplicium non expetit, quum tamen digni sint supplicio.

CAPVT XXVII.

De Aquila & Priscilla ac Corinthiorum incredulitate deiq; beneplacito, quod Paulo reuelatum est secundum prouidentiam quæ erga illos erat: in quo etiam agitur de Crispo archisynagogo, qui cum aliis
E *quibusdam credidit & baptizatus est: quòd seditione Corinthi mota Paulus clam discessit. quumq; uenisset Ephesum ac disputasset, egressus est: de Apollo uiro eloquente ac fideli.*

Cap. XVIII.



Ost hæc Paulus digressus Athenis uenit Corinthum: & nactus quẽdam Iudæum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper uenerat ab Italia, & Priscillam uxorem eius: eo quòd præcepisset Claudi⁹ omnes Iudæos Roma decedere, accessit ad eos: & quia eiusdẽ erat artificij, manebat apud ipsos & operabatur. Erat autẽ ars illorũ texere tabernacula. Disputabat uero per omne sabba-
F *thum in synagoga, suadebatq; Iudæis & Græcis. Quũ autem uenissent è Macedonia Silas & Timotheus coartabatur spiritu Paulus testificans Iudæis Iesum esse Christum. Cõtradicentibus autẽ ipsis ac blasphema loquentibus, excussis uestimentis dixit ad eos: Sanguis uester super caput uestrum: mundus ego post hac ad gẽtes uadam. Et migrans inde intrauit in domum cuiusdam nomine Iusti colentis deum, cuius domus erat cõtigua synagogæ. Crispus uero archisynagogus credidit domino cum tota domo sua, multiq; Corinthiorum audientes*

dicentes credebant ac baptizabantur. A

Sanguis uester super caput uestrum. Hoc dixit Paulus excussis vestibus, vt nō verbo solū, sed & opere eos terreret: ideoque quū hoc vehementius protulisset, Sanguis vester super caput vestrum, ab eis discedit. Est autem ac si diceret: Vnusquisq; eorum qui à Christo qui vita est discedunt, seipsum iudicatur occidere, transiens à vita ad mortem: sanguinem suū quodammodo fundens per cędem quam sibiipsi infert. Hoc itaque dicit. Quoniam vosipsos incredulitate iugulatis, huius facti vosipsi causam subite, quū ego culpa caream. Hinc autem colligere licet quòd qui seipsum iugulat, iudicium homicidæ subit ac supplicium apud dominum.

Dixit autē dominus nocte per uisionem Paulo: Ne timeas, sed loquere & ne taceas, eo q̄ ego sim tecum, & nemo adorietur te ut affligat te, multus enim mihi populus est in hac ciuitate. Sedit autē ibi annū & sex mēses docens eos uerbū dei. Cæterū quum Gallio ageret proconsulem Achaiæ, insurrexerūt uno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eū ad tribunal dicētes: Contra legē hic suadet hominibus colere deū. Quū autem Paulus pararet aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Si qua iniuria esset aut facinus malum, ô Iudæi, merito uos sustinerē: si uero quæstio est de sermone & nominibus ac lege quæ apud uos est, uosipsi uideritis, iudex enim ego horum nolo esse. Et abegit eos à tribunali. B C

Nocte per uisionem. Notandum quòd viderit Paulus dominum Iesum per somnium. Propter quod etiam ipse dicebat. Nónne Iesum Christum dominum nostrum vidi? Siue autē per somnium siue vigilans Iesum viderit, nulla est discrepātia: attamen in die etiam ipsi apparuit. 1.Cor. 9. Infra. 22.

Apprehensum autem omnes Græci Sosthenē principem synagogæ percutiebant ante tribunal, neque quicquam eorum Gallioni curæ erat.

Aut Sosthenem propterea percutiebāt, quoniā ipse Paulo

D lo magis adhęreret, quemadmodum etiam Crispus princeps synagogæ: aut intantum insania impellebantur, vt suo frustrati intento quum Paulum verberaturi fuissent, Sosthenem synagogæ principem verberabāt: siue propterea ipsum verberabant, quoniam Paulum omnino decreuerant occidere, & Sosthenes ipsos prohibuerat.

Paulus uero postea commoratus dies multos, quum uale dixisset fratribus, abnauigauit in Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, posteaquam raserat in Cenchreis caput, habebat enim uotum.

Rursus descendit Paulus in Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, quum rasisset, inquit, caput. Radere autem caput ex E voto, Iudaicum erat: oportebat autem & sacrificium factum esse, quod factum adhuc non erat post verberatum Sosthenem: iam enim lex soluta erat, quandoquidem conscientia arcebantur.

Deuenitque Ephesum & illos ibi reliquit. Ipse uero ingressus synagogam disputabat cum Iudæis. Rogātibus autem eis, ut ampliori tempore maneret apud eos, non annuit, sed uale dixit eis dicens: Oportet omnino me festū quod instat agere Ierosolymis, sed iterū reuertar ad uos deo uolente. Et soluit Epheso.

Priscillam, inquit, & Aquilam reliqui Ephesi, hoc autem F merito fecit, tanquam ibi docentes Quum enim tanto tempore cum eo versati essent, plurima didicerant: nec tamen à Iudaica consuetudine ipsos adhuc abducere potuerat. *Iterū reuertar ad uos deo uolente.* Quam ob causam quum propheta esset Paulus, sciretque se reuersurum, nō simpliciter promisit se reuersurum, sed addidit deo volente? nēpe docens nos ne quid de futuris polliceamur, nisi addentes deo volente. Nemo enim nouit quid pariturus sit insequens dies.

Quúmque descendisset Cæsaream & ascēdisset ac salutasset ecclesiam, descendit Antiochiam. Et cōmoratus ibi aliquantum temporis, profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionē ac Phrygiam, confirmans

firmans omnes discipulos. Iudæus autẽ quidam Apollos nomine, Alexandrinus genere, uir eloquens, deuenit Ephesum, potẽs in scripturis. Hic erat institutus in uia domini & feruens spiritu loquebatur ac docebat diligẽter ea quæ sunt domini, sciens tantũ baptisma Iohannis. Et hic cœpit libere loqui in synagoga. Quem quum audissent Priscilla & Aquila, assumpserũt eum, atque exactius exposuerunt ei uiam domini. Quũ autem uellet ire in Achaiam exhortati fratres scripserũt discipulis, ut susciperent eum: Qui quum uenisset contulit multum his qui crediderant per gratiam. Vehementer enim Iudæos reuincebat publice ostendens per scripturas Iesum esse Christum. A B

Quidã dicunt ꝙ hic Apollos fuerit Apelles Corinthiorũ episcopus, de quo ait alibi: Ego plantaui, Apollos rigauit: bi nominis itaq; vir erat. Aut aliter. Translatum est alterũ nomen in id quod posterius habuit. *Sciens tantum baptisma Iohãnis.* Dignum est vt inquiramus quomodo, si baptisma tãtum Iohannis sciebat, adeo feruebat? non enim spiritus eo modo dabatur. Præterea si quibusdam post susceptũ Iohannis baptisma opus fuit Christi baptismate, vtiq; multo magis huic opus fuisset. Quid ergo dicendũ est? neq; enim temere vnũ post aliud posuit. Videtur ergo vnus esse ex centũ viginti qui vnà cũ Apostolis spiritu baptizati sunt. Aut si hoc nõ placet, id quod in Cornelio factũ est etiam in hoc accidit Atqui nõ baptizatur. Si tamen hoc exacte disquiratur apparet non ita esse, quia etiã baptizatum ipsum fuisse oportuit. Quãdoquidem duodecim alij (de quibus statim sequitur) nihil exacte nouerant, ne de his quidẽ quæ Iesum cõcernerẽt. Verisimile tamẽ est, & hunc baptizatũ fuisse. Nã si hi qui Iohãnis discipuli erãt, accedẽtes ad fidem & si baptisma susceperant rursum baptizabãtur, oportebat discipulos quoq; idipsũ facere. 1. Cor. 3 Infra. 19 C Sup. 2

CAPVT XXVIII.

De baptismate & spiritus sancti dono per Pauli orationẽ dato his qui Ephesi crediderant, & de salute populi: in quo narratur etiam de

D *filiis Sceuæ, & quod nō oporteat ad incredulos accedere, eósque qui se reddiderūt fide indignos: item de confessione credētium, de mota Ephesi seditione à Demetrio fabro argētario aduersus Apostolos.*

Cap. XIX  *Ccidit autē quum Apollos esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus ueniret Ephesum, & repertis quibusdā discipulis dixit ad eos. Num spiritū sanctū accepistis postea quàm credidistis? At illi dixerunt ad eum: Imo neque sitne spiritus sanctus audiuimus. Et ait ad illos: Quo ergo baptizati estis? Illi uero dixerunt Iohānis baptismate.*

E Vnde hi quum Ephesi habitarent, Iohannis habebāt baptisma? Fortassis antea profecti erant Ierosolyma & Iohannem accesserāt ac baptizati erant, neq; Iesum nouerāt, ideoque nō dicit eis, Creditis in Iesum: sed, Num spiritū accepistis, idq; quum sciret eos nō habere: sed vult ipsos hoc dicere, vt vbi cognouerint quibus careant, statim ea expetant.

Dixit autē Paulus: Iohannes quidē baptizauit baptismo pœnitentiæ, populo loquens, ut in eum qui post ipsum uenturus erat, crederēt, hoc est in Christum Iesum. His auditis baptizati sunt in nomine domini Iesu. Quumq; imposuisset illis manus Paulus, uenit spiritus
F *sanctus super eos, & loquebantur linguis ac prophetabant. Erant autem omnes uiri fere duodecim. Ingressus autem synagogam libere loquebatur, ad tres menses disputans & suadens de regno dei.*

A Iohānis baptismate vaticinatur, eosq; inducit dicens ꝙ hoc vellet Iohānis baptisma. Deinde ostēditur parui momēti fuisse baptisma Iohānis. Neq; enī dixit remissionis fuisse sed pœnitentiæ. Postmodū baptizatos eos in noīe domini, dicit sub manib⁹ Pauli spiritū statim accipere, Hunc autē nō videbant. nā inuisibilis est. sensibile tamē illius efficacię argumētum dabat gratia. Et vnus quidē Persarū lingua protinus loquebatur, alter autem Romanorum, tertius vero Indorum,

& alius

& alius ſimiliter alia quadam: idq́ue externis propalabat ſpiritum in eo eſſe qui loquebatur: oſtendente deo quòd ſpiritus haberet hic intimam poteſtatem. A

Quum autem quidam indurarentur nec crederent, maledicentes uiæ domini corā multitudine, digreſſus ab illis ſegregauit diſcipulos, quotidie diſputās in ſchola cuiuſdam tyranni. Idq; factum eſt per biennium: ita ut omnes qui habitabant in Aſia audirent ſermonem de domino Ieſu, Iudæi ſimul & Græci.

Maledicentes uiæ. Viam dicit Chriſtum aut fidem veram: Nam hæc via eſt quæ ducit ad regnum cœlorum. Hinc autem docet nos vt ab iis qui conuicia iactant in filium dei, ſeparentur qui in eum credunt. B

Virtutesq; non uulgares edebat deus per manus Pauli: ita ut etiam ſuper infirmos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicinctia, & recederent ab eis morbi, ſpiritusq; praui egrederentur ab eis.

Sudaria & Semicinctia. Vtraq; exiſtimo linei generis fuiſſe: attamē ſudaria quidē ſup caput tēdunt, ſemicinctia vero in manib⁹ tenēt qui *horaria geſtare nō poſſunt, veluti ſunt qui cōſulares geſtant ſtolas aut * gubia ad abſtergēdos à facie humores, nempe ſudores, ſaliuam, lachrymas ac ſimilia. * ὠράρια * γουβία

Tētauerunt autē quidam ex circūeuntibus Iudæis exorciſtis inuocare ſuper eos qui prauos habebāt ſpūs nomē domini Ieſu dicentes: Adiuramus uos per Ieſum quē Paulus prædicat. Erāt autem quidā filij Sceuæ Iudæi principis ſacerdotum ſeptē qui hoc faciebāt. Reſpōdens autē ſpūs malus dixit: Ieſum noui, & Paulum ſcio uos autē quinā eſtis? Et inſiliens in eos homo in quo erat ſpūs malus, eisq; dominatus, inualuit cōtra eos, ita ut nudi & uulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem innotuit omnibus Iudæis ſimul & Græcis qui habitabant Epheſi: ceciditq; timor ſuper omnes illos, ac C

D *magnificabatur nomen domini* Iesu.

Iudæis exorcistis. Hæc dictio ostendit quod non tanquam exorcistæ in Iesum credentes, impuros spiritus adiurabant in nomine domini, sed tentantes: propter quod etiam, quum fideles non essent, sicut impurus spiritus dicit, suæ temeritatis breui pœnas dederunt. Cõfutauit enim illos, ac fraudẽ eorũ apertã omnino fecit cõmotus ira spiritus: veluti si quis positus in extremis periculis ab aliquo inimico arguatur, omnemque in illum effundere velit furorem.

Multiq; credẽtium ueniebãt confitentes & annunciantes facta sua. Multi *quoq; ex iis qui curiosas artes* E *exercuerãt, cõportatos libros exusserũt corã omnib⁹, & supputatis illorũ preciis inuenerunt argenti quinquaginta millia.* Ita *fortiter crescebat uerbũ domini ac cõfirmabatur.* His *autem expletis proposuit* Paulus *in spũ trãsita* Macedonia *&* Achaia *proficisci* Ierosolyma *dicẽs:* Postquã *ibi fuero, oportet me &* Romã *uidere.* Missis *autẽ duobus ex iis qui sibi ministrabãt, uidelicet* Timotheo *&* Erasto, *ipse mãsit ad tẽpus in* Asia. Ortus *est aũt illo tẽpore tumult⁹ nõ exigu⁹ de ipsa uia.* Quidã *enim noĩe* Demetrius *faber argentarius qui fa*F*ciebat delubra argentea* Dianæ, *præstabat artificibus nõ paruum quæstum: quibus cõuocatis & his qui similium rerũ erant opifices, dixit:* Viri *scitis ꝙ ex hoc opificio quæstus nobis est: & uidetis ac auditis, ꝙ non solum* Ephesi, *sed per totã pene* Asiam Paulus *hic persuasit, auertitq; multã turbam, dicens:* Nõ *sunt dij qui manibus fiunt.* Non *solum autem hæc pars nobis in periculum uenit ne reprobetur, uerum etiam ne magnæ* Dianæ *templum in nihilum reputetur, futurúmque sit ut etiam destruatur maiestas eius quam tota* Asia *& orbis colit.* His *auditis repleti sunt ira, & exclamauerunt*

mauerunt dicentes: Magna Diana Ephesiorũ. Impleá- A
que est tota ciuitas confusione & impetum fecerunt uno animo in theatrũ, correpto Caio & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli. Quumq; uellet Paulus intrare ad populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem ex Asiæ primoribus qui erant amici eius, misso ad eum nuncio, rogabãt ne se daret in theatrum. Alij itaque aliud clamabant. Erat enim cõcio confusa, & plerique nesciebant qua ex causa conuenissent. De B
turba autem protraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander uero postulato manu silẽtio uolebat rationem reddere populo. Quumq; cognouissent eum esse Iudæum, uox orta est una ab omnibus ferme ad horas duas clamantibus, Magna Diana Ephesiorum.

Confitentes & annunciantes facta. Oportet quẽq; fidelẽ dicere peccata sua ac demittere seipsum coarguendo, sic vt nõ amplius illa faciat, vt iustificetur iuxta id quod dictũ est: Dic tu primum iniquitates tuas vt iustificeris. Notandũ vero etiã in sequentibus ꝙ hi qui in Christũ crediderunt, magicos libros non distraxerunt quanquam preciosi essent, vt qui pulcherrima quæq; eorũ quæ in vita gerebãtur cõtinebant, sed exusserunt: licet alij huiusmodi ibi adessent qui eos libros sibi parare vellẽt. Primum quidẽ nequis læthiferæ corruptionis quæ ab illis procedebat particeps fieret. Deinde vero ne quippiam ex huiusmodi criminis precio acquirerẽt. Quẽadmodũ enim interdictum erat ne lucrũ à fornicatione partũ deo offerretur: ita neque huiusmodi sceleris argentum poni ad pedes apostolorũ iustum iudicabãt aut facile suscipiẽdũ. *Iesa. 43.* C *Deute. 23.*

Et quum sedasset scriba turbam, dixit: Viri Ephesij, quis enim est hominum qui nesciat Ephesiorum ciuitatem æditũ esse magnæ Dianæ deæ, & à Ioue delapsæ. Quum igitur his nemo contradicat, oportet uos sedatos esse, nihilque præcipitanter agere. Adduxistis

D *enim homines istos neque sacrilegos neque cõtumeliosos in Deam uestrã. Quòd si Demetrius, quique cũ eo sunt artifices, habent aduersus aliquẽ causam, forenses iudices admittuntur, & proconsules sunt, accusent inuicem. Si quid autem de rebus aliis quæritis, legitima contentione dirimetur. Nam periculum est ne seditionis hodiernæ rei fiamus: quum nulla subsit causa, unde poterimus reddere rationem huius concursus. Et his dictis concionem dimisit.*

E Ostendit historiographus magnam Ephesiorum fuisse superstitionem, tum in ornando Dianæ templo, tum in honorando eius simulacro, quod è cœlo quoque delapsum dicebant: διοπετὲς enim dicitur veluti quod à Ioue decidit: Siue enim ὄστρακον illud, id est testam vocarent omnes διοπετὲς, quod è cœlo missum esset à Ioue, siue statuam quæ deuolasset, & à cœlo formata esset: siue palladium illud quemadmodum Græci fabulabantur, ad stuporem his qui simpliciores erant immittendum: quod superne à Ioue formatum esse putabant & non ab hominibus: in idem redit. Aut διοπετοῦς .i. à Ioue delapsi, nempe templi Iouis: siue
F tẽpli quod rotundã habebat formã, aut etiã aliud quoddam templum apud eos ita vocabatur. Dicit autẽ νεωκόρον id est ædituum siue templũ purgantem & ornantem. Nã κόρημα purgatio dicitur, vnde νεωκόρος qui tẽplum ornat ac verrit, nẽpe æditiuus. *Forenses iudices admittuntur &c.* ἀγοραῖοι genus erat humiliũ in Asia iudicũ, qui pauperibus ac forẽsibus hominibus iudicabant: propter quod etiã ἀγοραῖοι vocabãtur: quẽadmodum sunt ἔκδικοι idest defensores aut vltores quidã in nõnullis ciuitatibus: ἀνθύπατοι vero idest procõsules erant diuitum iudices, aut qui criminum causam audiebant. Dicuntur autem & ἀγοραῖοι oratores ipsi aut aduocati παρὰ τὸ ἀγορεύειν hoc est à concionando sic dicti.

CAPVT XXIX.

Circuitus Pauli, in quo etiam narratur mors Eutychi & à morte reuocatio per orationem Pauli. Adhortatio ipsius qualem deceat habere pastorem, ad presbyteros qui erant Ephesi: in quo est & Pauli

præternauigatio ab Epheso usque Cæsaream & Palæstinam. A



Ostquam autem cessauit tumultus, uocatis ad se Paulus discipulis, & complexus illos, profectus est ut iret in Macedoniã. Quumq; perambulasset partes illas & multo sermone exhortatus eos fuisset, uenit in Græciã, ibique peractis mensibus tribus quum essent instructæ illi insidiæ à Iudæis soluturo in Syriam, habebat in animo ut reuerteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eũ usque ad Asiam Sosipater Berrhœensis: Thessalonicẽsium uero Aristarchus & Secundus, & Caius, Derbæus ac Timotheus: Asiani autem Tychicus ac Trophinus. Hi quum præcessissent expectarunt nos Troade: nos autem abnauigauimus post dies Azymorum à Philippis, uenimusq; ad eos Troadẽ intra dies quinque, ubi demorati sumus diebus septem. Vno autem die sabbathorum quum uenissent discipuli ad frangendum panem, Paulus disserebat eis profecturus postridie, protraxitque sermonem usque in mediam noctẽ. Erant autem lucernæ multæ in cœnaculo ubi eramus cõgregati. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus in fenestra, quum degrauaretur somno profundiori, disserẽte diu Paulo magis depressus somno, decidit ex tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Quum descendisset autem Paulus incubuit super eum & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim eius in ipso est. Quumq; ascendisset & fregisset panem ac degustasset, diu colloquutus usque ad diluculum, ita demum profectus est. Adduxerunt autem puerum uiuentem, & consolationem non mediocrem acceperũt.

Ca.XX. B C

Nos

D *Nos autem conscensa naui soluimus uersus Asson, inde excepturi Paulum: ita enim cõstituerat ipse, terra iter facturus. Quum autem conuenisset ad nos in Asson, recepto eo uenimus Mitylenem: & inde nauigantes sequenti die uenimus contra Chium. Postridie uero appulimus Samum, & cõmorati Trogyllij, proximo die uenimus Miletum. Proposuerat enim Paulus praeternauigare Ephesum, ne commorandum ei esset in Asia.*

E *Festinabat enim ut si poßibile sibi esset, diem Pentecostes ageret Ierosolymis,*

Caius Derbæus ac Timotheus. Cæterorũ quidẽ patrias vnde orti erant exprimit, notiores eos reddens: in Timotheo vero solo nomine contentus est, ꝙ hic à suis moribus & virtute sufficiens haberet cognitionis indicium: & ꝙ etiam antea

Supra.16. patriæ illius fecisset mentionem, quum diceret: Peruenit autem Derben ac Lystram, & ecce discipulus erat ibi nomine

F Timotheus. Quòd si Derbæus gentiliciũ nũc est & nõ proprium, tũc etiam hoc loco fortassis fecit patriæ mentionẽ. *

*Et tunc coniunctio kj.i.ac, debebit præponi ut sic legatur: Et Caius ac Derbæus Timotheus.

A Mileto autem mißis Ephesum nunciis accersiuit presbyteros ecclesiæ. Quumq; peruenissent ad ipsum, dixit eis: Vos scitis à primo die dum ingressus sum Asiam, quomodo uobiscum omni tempore fuerim seruiẽs domino cum omni animi modestia, multisque lachrymis ac tẽtationibus quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum: ut nihil suffugerim eorũ quæ uobis utilia essent, quin annunciarem uobis, & docerem uos publice ac per singulas domos, testificans Iudæis simul & Græcis eam quæ erga deum est pœnitentiam ac fidem erga dominum nostrum Iesum.

Quoniam multi loquendi modum ignorant, maxime noui testamenti, quo episcopi nominantur presbyteri, ac presbyteri episcopi: hoc tum hinc animaduerti potest, tum ex epistola ad Titum, & ex ea quæ est ad Philippenses, prioréq; ad Timo

ad Timotheũ. Ex hoc itaque Actorum loco, de ea re poteſt A
haberi certa perſuaſio. ita enim ſcriptum eſt. A Mileto autẽ
miſſis Epheſum nunciis accerſiuit presbyteros eccleſiæ, &
non dixit Epiſcopos. Deinde ſubiungit: In quo vos ſpiritus
ſanctus poſuit epiſcopos ad regẽdum eccleſiam dei. Ex epi-
ſtola vero ad Titũ: Et conſtituas per ſingulas ciuitates preſ- Titum.1.
byteros ſicut ego tibi ordinaram. Ex epiſtola ad Philippen- Philip.1.
ſes. Qui ſunt Philippis vnà cum epiſcopis ac Diaconis. Opi-
nor autem ꝙ ex priore quoque ad Timotheum à coniectu-
ra idipſum intelligi poteſt. Si quis inquit epiſcopatum appe- 1.Timo.3.
tit, honeſtum opus deſiderat. Oportet igitur Epiſcopum ir-
reprehenſibilem eſſe. Et poſt pauca: Vidua allegatur nõ mi- 1.Timo.5.
nor ſexaginta annis. Eſt enĩ eccleſiæ regula, deſcribẽs qua- B
lem eſſe oporteat eum qui huiuſmodi eſt. *Cum omni animi mo
deſtia multisque lachrymis.* Hoc loco ſignum doctrinæ demõ-
ſtrat, nempe inuidia faſtúque carere ac condoleſcere. Patie-
batur namque & pro pereuntibus & pro his qui perdebant.
Et item humilitas, nec qualiſcunque, ſed cũ omni inquit ani
mi modeſtia ſiue humilitate: nempe in ſermone, in opere, ad
principes, ad eos qui gubernãtur. *Eorũ quæ uobis utilia eſſent.*
Nam erant quæ non expediebat diſcere. Sicut quædam oc-
cultare datur inuidię, ita rurſum rem omnem eis aperire, in-
ſipientiæ. Et propterea addidit. Eorum quæ vobis vtilia eſ-
ſent, ea inquam non dicere tantum, verumetiam docere.

Et nunc ecce ego alligatus, ſpiritu proficiſcor Ie- C
ruſalem, quæ in ea mihi obuentura ſunt ignorans, niſi
quòd ſpiritus ſanctus per ſingulas ciuitates teſtifica-
tur, dicens quòd uincula & afflictiones me maneant.
Verum nihil me mouet. Neque uitam meam habeo
mihi in ullo precio: ut conſummem curſum meum
cum gaudio, & miniſterium quod accepi à domino
Ieſu, ad teſtificandum Euangelium gratiæ dei. Et
nunc ecce ego ſcio quòd poſt hac non uidebitis faciem
meam uos omnes per quos tranſiui, prædicans re-
gnum Dei. Quapropter conteſtor uos, hodierno
die, quòd

D *die, quòd mundus ego sim à sanguine omnium.* Nō enim *subterfugi, quo minus annunciarem uobis omne consilium* Dei.

Subdistinctio hoc loco ponēda est post dictionē Alligatus, vt sit hæc sentētia: Proficiscor Ierusalē præscius p spiritū quæ mihi ventura sint, proficiscor autē alligatus. Deinde ne quis catena aut necessitate alligatum existimet, vtq; ostēdat q sponte proficiscatur: Per singulas inquit ciuitates vincula & afflictiones me manent. *Mundus sum à sanguine omnium,* si obdormientes occidamini ab homicida animarū: quod enim prçceptoris est peregi, nempe vt annunciarē vobis Dei consilium. Itaque qui non annunciat, reus sanguinis est, hoc est

E cędis eorum. Ostendit igitur illos quoque nisi ea compleuerint, reos proprij fore sanguinis. ꝓpter quod etiā terret eos.

Attendite igitur uobis cunctóque gregi: in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos ad regendum Ecclesiam *Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Ego *enim noui hoc, quòd ingressuri sint post discessum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi.* Et *ex uobisipsis exorientur uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se.* Iccirco *uigilate, memores quòd per triennium nocte ac die non cessauerim cum lachrymis monere unumquēque.* Et *nunc commendo uos fratres* Deo

F *& sermoni gratiæ ipsius, qui potens est superstruere, & dare hæreditatem inter sanctificatos omnes.*

Duo præcipit vt faciāt præceptores. Neque enim lucrum adfert alios tantum corrigere: neque suiipsius curam tātum habere, huiusmodi enim suiipsius tantum amator est. Aduertendum autem quòd eos appellet nunc episcopos, quos in superioribus dixit presbyteros: aut ideo quòd presbyteros necesse est super rationales ecclesiæ greges in specula esse: ne quis fide ægrotet, ne quis esuriat aut sitiat, an quispiam reprehensione egeat vel coercitione. Aut episcopos vocat hic eos qui vere sunt episcopi.

Argentum & aurum aut uestem nullius concupiui:

sed

sed ipsi scitis quòd neceßitatibus meis, & his qui mecum sunt, suppeditauerint manus hæ. Omnia commonstraui uobis, quòd sic laborãtes oporteat suscipere imbecilles, ac meminisse uerborum domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatũ est dare potius, quàm accipere. Quũq; hæc dixisset, positis genibus suis orauit cum omnibus illis. Magnus autẽ fletus coortus est omnium, & ruentes in collum Pauli, osculabantur eum dolentes, maximè ob sermonem quem dixerat, quòd amplius faciẽ eius non essent uisuri. Et deducebant eum ad nauem. A

Argentum & aurum &c. Malorum radicem tollit nempe auaritiam. Neque enim simpliciter dicit, Nõ accepi, sed neque concupiui. Deinde ostendit quòd vera eleemosyna ex propriis laboribus fieri debeat egẽtibus: ex alienis siquidem dare non est honestum. Postmodum ad huius etiam confirmationem, vaticinium domini voce dictum esse asserit, quod nunc in scriptura nõ inuenitur, & fortassis id absque scriptura tradiderunt Apostoli. Aut ideo quòd ratiocinando quispiam habere potest dictum esse aliis verbis idipsum significantibus. Non dixit autem malum esse accepisse & ita elargiri, sed quòd melius sit non accepisse: Hoc enim cõpassionis est erga imbecilles: Nam dare ex alienis, ne honestũ quidem est. Est itaque primus gradus sua abiicere: secũdus necessaria sibi suppeditare, tertius etiam aliis. quartus eum qui praedicat, & ita accipiendi potestatem habet, non accipere. Hic itaque multo melior est inopibus. B C

CAP. XXI.

Quum autem contigisset nos ab eis auulsos soluisse, recto cursu uenimus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pataram. Et nacti nauem quæ traiiceret in Phœnicen, ea conscensa soluimus. Qúmque cœpisset nobis apparere Cyprus, relicta ea ad sinistram, nauigauimus uersus Syriam, & delati sumus Tyrũ: nam huc nauis exponebat onus. Repertisq; discipulis, mãsimus

D *ſimus ibidem diebus ſeptem: qui Paulo dicebant per ſpiritum, ne aſcenderet Ieruſalem.*

Et naſti nauem &c. Tantundē eſt ac ſi diceret: Quum nauem nō inueniremus abeuntem Cæſaream, ſed in Phœnicē, illam conſcendimus: Cyprum autem & Syriam præterlegimus. Quod enim ait, Relicta ea ad ſiniſtram, non temere dictum eſt, ſed quòd neque Syriæ appropinquare ſtudebant. Venerunt ergo in Lyciam, relictaque Cypro deſcenderunt nauigio Tyrum, nam eò expoſuit nauis onus. *Qui dicebāt per ſpiritum.* Nō intelligit quòd per ſpiritum adhortatio fieret, ſed quòd per ſpiritum nouerant. Neque enim aperte pericula prædicebant, ſed quòd non expediret aſcendere, idq; cō-
E paſsione moti dicebant.

Quúmque dies expleſſemus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus unà cum uxoribus & filiis, donec exiſſemus ciuitatem: poſitisq; genibus in litore precati ſumus. Et *conſalutatis inuicem, nos nauem cōſcendimus, illi uero redierunt ad ſua.* Nos *autem nauigatione explicita à Tyro deſcendimus Ptolemaidam, ſalutatisq; fratribus, manſimus diem unum cum illis. Poſtridie uero nos qui eramus cum Paulo, egreßi uenimus Cæſaream.* Et *ingreßi domum Philippi Euan-*
F *geliſtæ, qui erat unus è ſeptem, manſimus apud eum. Huic autē erant quatuor filiæ uirgines prophetantes.*

ἐξαρτίσαι τὰς ἡμέρας. Verbum ἐξαρτίσαι ponit pro Cōplere.* Nam poſtquam completi fuiſſent cōſtituti dies: hoc eſt poſt dies Azymorum, venerunt Troadē diebus quinque. *Huic erant quatuor filiæ.* Aduertendū filias fuiſſe Philippo Diacono. Itaq; Diaconi eſſe poſſunt, & hi qui participes fuerunt nuptiarum. Animaduerte præterea quòd prophetides eius filiæ virgines erant, & quòd propter pudorē magis hoc aſſequebantur, vt & prophetia dignæ haberentur. Manifeſtum itaq; eſt, quòd magno ſtudio ſeruabatur apud eos virginitas. niſi enim digna eſſet pro qua certaretur, nequaquam addidiſſet ſcriptor hiſtoriæ, quòd etiam virgines erant.

** Hæc nihil ſeruiūt propoſito. Nam de Azymis & Troade agebatur in initio uiceſimi capitis*

Caput

CAPVT XXX. *Agabi prophetia de his quae futura erant, ut Paulo Ierosolymis contingerent.*



Vúmq; permaneremus dies complures, aduenit quidã à Iudaea propheta nõmie Agabus. Is quum ad nos peruenisset, tulit cingulum Pauli, & alligans sibi manus & pedes dixit: Haec dicit spiritus sanctus: Virum cuius est cingulum hoc, sic alligabunt Ierosolymis Iudaei, tradéntque in manus Gentium. Quúmque haec audissemus, rogabamus & nos, & qui illius loci erant, ne ascenderet Ierusalem. Tunc respondit Paulus, ac dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum: Ego non solum uinciri, sed & mori paratus sum Ierosolymis pro nomine domini Iesu. Et quum illi non persuaderetur, acquieuimus dicentes, Domini uoluntas fiat.

A *tis iuxta numerum Latinorum. reddimus tamẽ quae in Graecõ exẽplari repperimus.*

B

CAPVT XXXI. *Adhortatio Iacobi ad Paulũ, eo quòd Paulus diceretur non iudicare Hebraeos circuncidendos.*



Ost hos autem dies parati conscendebamus Ierusalem. Venerunt autem unà quidam ex discipulis à Caesarea nobiscum, adducentes secum, apud quem hospitaremur Mnasonem quendam Cyprium ueterem discipulum. Quúmque uenissemus Ierosolyma, libenter exceperunt nos fratres. Postero uero die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnésque conuenerunt presbyteri. Quos ubi salutasset, narrabat per singula, quae Deus fecisset per ministerium ipsius. At illi quum audissent, glorificabant Deum, dixerúntque ei: Vides frater quot millia sint Iudaeorum qui crediderunt, omnésque studiosi sectatores sunt legis. Audierunt autem de te, quòd defectionem doceas à Mose omnes, qui inter gentes sunt

1.Pet.5.

C

Iudaeos,

D *Iudæos, dicens non debere eos circuncidere filios, neque secundum instituta uiuere. Quid est ergo? Omnino oportet conuenire multitudinem: audient enim te uenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis quatuor uiri uotum habētes super se, His assumptis purifica te cum illis, & impende super illis ut radant capita, sciántque omnes quòd quæ de te audierunt nihil sunt, sed ambulas, & ipse custodiens legem. De gentibus autem quæ crediderunt nos significauimus decernentes, ne quid huiusmodi obseruent, nisi ut caueant ab*

E *idolothytis, & sanguine, & suffocato, & scortatione.*

ἐπισκευασάμενοι: Hoc est, quum ea quæ ad iter necessaria erant, accepissemus. *Vides frater quot millia.* Consilium ei dant non iubent Iacobus, & qui cum eo erant, propter quod etiam suadent. Nam dispensationis erat illa condescensio nō legislationis. Itaque prædicationis offensio, aut impedimētum non erat, sed dispensatio. Nam qui Ierosolymis ex Iudæis crediderant, instituta legalia adhuc seruare volebant.

His assumptis purifica te cū illis. Suadent ei vt opere defēsionem paret non sermone. Hoc itaque dicunt. Tu porrige, quę iuxta legem offeruntur pro eis, hostias: vt suspitionem soluas, & ostendas quòd non solum non doceas quæ legi contraria sunt, imò quòd & ipse serues, quę in lege iubentur. Ne

F autem dicat, Si gentes hoc didicerint, offendiculum inde patientur, deinceps subiungit: De gentibus autem quæ crediderunt nos significauimus, ne quid huiusmodi obseruent. Quemadmodum ergo nos illis hæc iussimus, quum tamen Iudæis prædicemus, ita & tu qui gentibus prædicas opitulare nobis. Condescensio hæc est, ne quid verearis. Et hoc Ierosolymis facere tolerabile est. Hic ergo fac istud, vt ibi foris liceat illud facere. Tandem persuasus est ab eis & abrasus est, omniáque Iudaica instituta perfecit.

CAPVT XXXII. *De commotione mota Ierosolymis aduersus Paulum, & quomodo ipsum tribunus à multitudine eripuerit, in quo etiam narrat ordine Paulus de seipso, suiꝗ; ad Apostolatum uocatione. De his quæ ad Paulum dixit Ananias, ac uisione uoceꝗ; Dei ad eum*

ad eum quondam in templo facta: & quum post hæc ab eis uerberādus esset Paulus: ubi se Romanum esse dixisset, liberatus est. A

TVnc Paulus assumptis uiris in sequenti die cum eis purificatus intrauit in templū, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. Dum autem iam septem dies pene expleti essent, Iudæi qui ab Asia erant quum uidissent eum in tēplo, conturbarunt totum populum, & iniecerunt in eum manus clamātes: Viri Israelitæ succurrite: Hic est homo qui aduersus populum & legem, & locum hunc omnes ubique docet: insuper & Græcos induxit in tēplum, & prophanauit sanctum locum hunc. Viderant namque Trophimum in ciuitate cum ipso, quem existimarunt, quòd in templum induxisset Paulus. Commotáque est uniuersa ciuitas, & factus est concursus populi, & apprehensum Paulum, protrahebant è templo, statímque clausæ sunt fores. Quærentibus autem illum occidere nunciatum est tribuno cohortis, quòd tota conturbata esset Ierusalem. Qui statim assumptis militibus ac centurionibus decurrit ad illos. Illi autem quum uidissent tribunum ac milites, cessauerunt percutere Paulum. Tunc accedens tribunus apprehendit eū, iussitq; alligari catenis duabus, & interrogabat quisnam esset, & quid fecisset. Alij autem aliud clamabant in turba. Quúmque nihil certi cognoscere posset præ tumultu, iussit duci eum in castra. Et quum uenisset ad gradus, cōtigit ut portaretur à militibus propter uiolentiam turbæ. Sequebatur enim populi multitudo clamans, Tolle eum. Et dum cœpisset duci in castra, Paulus ait tribuno: Licétne mihi loqui ad te? Qui dixit:

B and C margin letters appear beside "omnes ubique docet" and "quum uidissent tribunum" respectively.

D *Graece nosti? Nónne tu es ille Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia uirorum sicariorum?*

Tolle eum. Hanc vocem moris erat Iudaeis dicere aduersus iustos: quemadmodum etiam contra dominum: Tolle tolle, hoc est aufer eum è viuis. Alij vero dicũt hoc esse quod Romana consuetudine apud nos dicunt: Inter signa eum iniice. *Nónne tu es ille Aegyptius?* * Hic Aegyptius homo quidam erat rerum nouarum studiosus, & impostor ac praestigiator. Volens ergo diabolus Paulum facere participem criminum quę sibi congruebant, quemadmodum etiam sub Christo tempore illo, incitauit ipsum vt portentosa operaretur inter Iudaeos. Quoniam autem dicit tribunus, Nonne tu es ille Aegyptius, hanc protinus suspitionem à se reiecit declarato genere ac religione. Etenim alibi dicit sese legitimum Christi cultorem. Vocantur autem sicarij latrones, generè ensium vtentes, qui proxime ad eorum accedũt magnitudinem, quos Persae acinacas dicunt: inflexione verò ac curuatura iis similes sunt, quos Romani sicas appellant: à quibus etiam illi latrocinium exercentes appellationem acceperunt. Alij vero sectam quandam apud Iudęos esse dicebant. Tres siquidem apud Iudęos sectae erant in genere: nẽpe Pharisaei, Sadducaei & Esseni: hique vitam seueriorem ducebant, inuicem diligentes, ac temperate admodum viuentes, ideo quoque Esseni dicebantur quasi ὅσιοι, id est sancti: Alij vero sicarios ipsos appellabant siue zelotas.

* De hoc uide Eusebium li. 2. hist. eccle. cap. 21.

E

F *Dixit autem Paulus: Ego quidem homo sum Iudaeus Tarsensis, non obscure Cilicum ciuitatis ciuis. Rogo autem te permitte mihi loqui ad populum. Quumque ille permisisset Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem: & magno silentio facto, alloquebatur lingua Hebraea dicens:*

Ca. XXII. *Viri fratres & patres audite meam, quam nunc ad uos loquor excusationem. Quum autem audissent quòd Hebraea lingua sibi loqueretur, magis praestiterunt silentium,*

lentium, & dixit: Ego quidem sum uir Iudæus natus in A
Tarso Ciliciæ, cæterùm educatus in hac ciuitate ad pe
des Gamalielis, institutus accurate in patria lege. Dei
zelo ductus, sicut & uos omnes estis hodie: qui hanc
uiam persequutus sum usque ad mortem, alligans tra-
dénsque in carceres uiros pariter ac mulieres: sicut &
princeps sacerdotum mihi testis est, & uniuersa senio-
rum congregatio: à quibus etiam epistolis ad fratres
acceptis Damascum proficiscebar, adducturus & illos
qui ibi essent uinctos Ierusalem, ut punirentur. Accidit
autem iter facienti, & appropinquanti Damasco cir- B
citer meridiē, ut subito de cœlo circūfulguraret me lux
multa, cecidiq; in solum, & audiui uocem dicentem
mihi: Saul Saul quid me persequeris? Ego uero respon-
di: Quis es domine? Dixitq; ad me: Ego sum Iesus Na-
zarenus, quem tu persequeris. Et qui mecum erant, lu-
men quidem uiderunt & exterriti sunt, uocem autem
non audierunt eius, qui loquebatur mecum. Dixi au-
tem, Quid faciam domine? Dominus autem dixit mihi:
Surge & uade Damascū, & ibi dicetur tibi de omni-
bus quæ ordinata sunt, ut tu facias. Cumq; non uide- C
rem præ claritate ac fulgore luminis illius, per manū
deductus à comitibus qui mecum erant, ueni Damascū.
Ananias autem uir religiosus, secundum legem testi-
monio probatus omnium habitantium illic Iudæorum,
ueniēs ad me & adstans dixit mihi: Saul frater recipe
uisum. Et ego eadem hora uisu recepto uidi illum. At
ille dixit: Deus patrum nostrorum præparauit te, ut co
gnosceres uoluntatem suam, uiderésq; id quod iustum
est, & audires uocem ex ore eius: eris enim illi testis

D *apud omnes homines eorum quæ uidisti & audisti.* Et *nunc quid contaris?* Exurge & *baptizare, ac peccata tua ablue inuocato nomine domini.* Accidit autē quum *reuersus essem* Ierusalem & *orarem in templo, ut raperer extra me, & uiderem eum dicentem mihi:* Festina & *exi uelociter* Ierosolymis, *quoniam non recipiēt testimonium tuū de me.* Et ego dixi: Domine, *ipsi sciunt quòd ego pertrahebam in carcerem, & cædebā in singulis synagogis eos qui credebant in te.* Et quum fun-
E *deretur sanguis* Stephani *testis tui, ego quoque assistebam, & assentiebar morti illius, & custodiebam uestimēta interficientium illum.* Et dixit ad me: Vade *quoniam ego ad gentes procul mittam te.* Audiebant autē *eum usque ad hoc uerbum, & sustulerunt uoces suas dicentes:* Tolle *de terra hominem istiusmodi, non enim fas est eum uiuere.* Quúmque *uociferarētur, & proiicerent uestimēta, ac puluerem iactarent in aerem, iussit tribunus eum induci in castra, & imperauit eum flagris examinari, ut sciret propter quam causam ita cla-*
F *marēt aduersus eum.* Et *ubi loris eum adstrinxisset, dixit adstanti sibi cēturioni* Paulus: Num hominem Ro*manum, ac indemnatum licet uobis flagellare?* Quo au*dito cēturio accessit ad tribunū, & nūciauit ei dicens:* Vide *quid facturus sis: hic enim homo* Romanus *est.* Ac*cedens autem tribunus dixit illi:* Dic *mihi: num tu* Ro*manus es?* At *ille dixit:* Etiā. Et *respōdit tribunus:* Ego *multa summa ius ciuitatis huius comparaui.* Paulus *autem ait:* Ego *uero & natus sum.* Protinus *ergo discesserūt ab illo qui eū fuerāt examinaturi.* Tribunusquoque *timuit ubi rescivit* quòd Romanus *esset, &* quòd *uinxisset eū.*

Quonam

Quonam modo dicit Paulus, *Ego quidem sum Iudæus Tarsensis, non obscuræ Cilicum ciuitatis ciuis*, & Paulo post, *Num hominem Romanũ ac indemnatum &c.*? Quomodo ergo quum hęc dixisset non alio tempore, sed eo ipso quo hæc dixerat, & coram eisdem auditoribus ait: Num hominem Romanum ac indemnatum licet vobis flagellare? Et interrogante tribuno, Num tu Romanus es, Romanum se esse confirmauit: nec id simpliciter dicens, sed etiam ait: *Ego uero & natus sum*? Ex hoc ergo potissimum manifestum est quòd verum dicebat. Nam si alio quidem tempore Tarsensem sese dixisset, alio autem Romanum: aut ad alios quidem auditores hoc, ad alios vero illud, verosimile esset, vt quidam dicerent, quòd se fortassis Romanum esse fingeret, latere arbitrans eos, qui præsentes erant ipsum esse Tarsensem. At ipse qui se Tarsensem esse dixerat, nisi sibi maxime conscius esset, quòd verum diceret, nequaquam tam audaci animo ad eosdem diceret se Romanum esse: idque tunc quum verberandus esset. Planum est enim quòd si mentitus fuisset, non solum à plagis se non liberasset, verumetiam truculentius sibi parasset supplicium. Fecisset quoque credibiles Iudæorum aduersum se calumnias, quòd impostor esset, mendax & præstigiator: quæ vniuersa Paulus maxime nitebatur de medio tollere. Præterea nisi tribunus certior factus esset ipsum esse Romanum, nequaquam destitisset ab eo verberando, nequaquam tanto studio eum eripuisset, quum Iudæorum appeteretur insidiis, nequaquam de eo scripsisset ad Felicem quòd Romanus esset, & quòd tanquam Romanum eripuisset eum ab insidiis Iudæorum, nequaquam id de eo prætermisissent Iudæi, qui falsas quoque aduersus ipsum causas confingebant: sed ab ipso, si mentitus fuisset dicens se Romanum, cœpta calumnia, de cæteris quoque visi fuissent vera dicere. Verum quomodo potest & Tarsensis, & Romanus esse? Audi igitur & Philippenses quando Paulum & Silam ad præsides traxerunt in forum, quoniã puella fuerat Pythone, hoc est diuinatore spiritu liberata, quid dicant: Hi homines turbant ciuitatem nostram quum sint Iudæi, & annunciant instituta, quæ non licet nobis suscipere nec seruare, quum simus Romani. Vides quòd Philippenses se Romanos appellent? itaque nihil vetat Pau-

A B C Supra. 16

D lum & Tarsensem esse & Romanum. Etenim quoniam honorificum erat appellari Romanum, & amplius quiddam ad gloriæ rationem nactus esse existimabatur, qui tali appellatione vocaretur: multi & totis pariter ciuitatibus, & quidam viritim studebant sibi hanc appellationem acquirere. Et quisque sane à patria, prout sibi contigerat nominabatur, generationis locum significans. Rursum autem Romanus vocabatur tanquam dignitati hanc ascribens denominationem. Ita ergo & Paulus dum essent ipsum ignominia affecturi ac verberaturi, hanc protulit appellationem, territans eos & à facinore propulsans. Sed aiunt: Esto vt hęc ita se habeant, quo tamen pacto fieri potest, vt & in Tarso natus sit Paulus & Romæ? Siquidem quòd Tarsi natus sit,
E & Romanus vocetur, eo quòd hanc sibi appellationem ob quendam honorem postmodum acquisierat, ostensum est nihil habere repugnantiæ. Verum & Tarsi natum esse & Romæ, quomodo hoc possibile est? Et vbi dicit Paulus, quòd Romæ natus sit? Dicit vtique. Postquam enim dixit tribunus, *Ego multa summa huius ciuitatis ius comparaui,* ait Paulus: *Ego uero & natus sum.* Et quid hoc est? Neque enim dixit, Ego Romæ natus sum, sed quid ait? Ex hoc manifestum est: quum enim dixisset tribunus ius ciuitatis, vtique non Romam, sed Romanæ ciuitatis ius subiunxit: Ego vero & natus sum: non Romæ (neque enim tribunus hoc se multa summa cõparasse dicit) sed Romanæ ciuitatis
F ius ac honorem obtinens: quod etiam ille à se emptum esse dicebat. Quomodo igitur Romanæ ciuitatis ius habẽs natus est, si Romæ natus non est? Quia quum pater suus honorem hunc comparasset, & per eum venerandus ac gloriosus fuisset, ipse in eo natus est. Quum itaque ait: Ego vero & natus sum, tantundem est ac si dicat: Tu quidem recentem habes honorem, qui ipse illum comparasti, ego vero paternam habeo gloriam, & quæ mihi cõgenita est, propterea dicit: Ego vero & natus sum. ALIO QVOQVE MODO. Non mẽtitus est Paulus Romanum se dicens, quum Iudęus esset, prout idẽ ipse ante pauca verba dixerat. Ab Hadriano enim contigit vt omnes Romani essent. Magna siquidem ratio habebatur eorũ qui digni haberentur vt ita appellarẽtur. Hæc autẽ ait, ne flagellatus facile despectui haberetur.

Nam

Nam si flagellassent, etiam rem omnem peruertere potuissent eumque occidere. Nunc vero etsi non ob aliud, sed propter hoc ipsum, non modo non flagellauerunt, verumetiam dimiserunt. Ostendit ergo Paulus patrem suum Romanum fuisse. Priusquam enim nasceretur Paulus, subiecta Romanis Cilicia, necesse erat ipsum quoque, vtpote illis subditum, esse Romanum. Interim vero iuxta prophetiam alligatus est Ierosolymis. Quid igitur postmodum accidit? solutū deduxit ad Iudæos. Non igitur mendax erat. Timuit enim tribunus, inquit, vbi resciuit quòd Romanus esset, hoc est ex genere dignitate claro. A

CAPVT XXXIII.

De his quæ Paulus descendens in concilium passus est & recte sibi consulens fecit. B

Postero autem die uolens quippiam certi cognoscere, ob quam causam accusaretur à Iudæis, soluit eum à uinculis, & iussit principes sacerdotum cōuenire, totumq; conciliū, ac deductum Paulum sistebat coram illis. Intentis autē Paulus in concilium oculis ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum coram deo usque in hodiernum diem. Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit adstantibus sibi, ut percuterent os eius. Tunc Paulus dixit ad eum: Futurum est ut percutiat te deus paries dealbate. Et tu sedes iudicās me secundū legē, & cōtra legē iubes me percuti? Qui aūt adstabāt dixerunt: Sūmo sacerdoti dei maledicis? Ait autē Paulus: Nesciebā fratres quòd summus sacerdos esset. Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices. CAP. XXIII. C Exo.22

Futurum est ut percutiat te deus paries dealbate. Dignum est vt inquiramus, quomodò quū alibi dixerit: Male audiētes, benedicimus: conuiciis affecti, obsecramus: hic ediuerso nō solum cōuiçium ingerit, sed etiā maledicit? Et dicimus quod hæc verba libere loquētis potius sunt, quàm iræ aut animi cōmoti. Nō enim volebat tribunum intelligere quod facile despiceretur. 1.Cor.4

D retur. Nam quũ ille pepercisset ne flagellaretur, si postquam ad Iudæos eductus est, contingit vt à ministris verberetur, factum hoc erat redditurũ illum audentiorem. Hoc autẽ non vt quidã dicunt ad ministrum dirigitur, sed ad eum qui præceperat, propter id quod protinus respõdet: Sciens enim ꝙ oporteat iustam quoque iram cõprimere, & iustam indignationem occultare, tanquã pœnitentia ductus ait: Nesciebam quòd sumus sacerdos esset. Atqui sciebat: Dixerat enim: Et tu sedes iudicans me secundum legem: sed ignorantiam simulat quæ nulli nocet, sed dispensatoria est. Contingit enim vt quis grauiori dispensatione liberæ loquutionis vtatur. Frequenter enim intempestiua loquendi libertas veritati nocuit, tempestiuus autem eius vsus, quod propositum erat, E correxit. *Nesciebam fratres, & cætera.* Quidam dicunt eum, id non sciuisse ob longum temporis interuallum, quo apud Iudæos non fuerat. Quòd autem eum in medio cum multis aliis videret, non statim ex hoc manifestum erat summum esse sacerdotem, quum multi essent ac varij. Propterea rationabiliter, vt qui non sciuerit, respondet quasi crimen sit, ac subiungit: Principi populi tui non maledices.

Sciens autẽ Paulus quòd una pars esset Sadducæorum & altera Pharisæorum, exclamauit in concilio: Viri fratres ego Pharisæus sum, filius Pharisæi: de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Quúmque F *hoc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos ac Sadducæos & dissecta est multitudo.*

Rursum humano modo differit, nec vbiq; gratiæ cõmodo gaudet. Et hoc tẽpore ac post ista voluit diffidere multitudinem quæ aduersus ipsum concors erat. Et neq; hoc loco mentitur: siquidem ex progenitoribus Pharisæus erat.

Sadducæi nanque dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum. Pharisæi autem utraque confitentur. Factus est autem clamor magnus. Quúmque surrexissent Scribæ de factione Pharisæorum, depugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus

in homine isto. A

Sadducæi quum crassi sint, fortassis ne deum quidem cognoscunt, vnde neque credere volunt resurrectionem esse. *Pharisæi uero utraque confitentur.* Atqui tria sunt: quomodo ergo dicit ἀμφότερα? Aut quòd spiritum & angelum vnum esse dicit, aut quòd dictio ἀμφότερα non solum circa duo ponitur, licet hoc proprie significet, sed etiam de tribus. Itaque non oportet ab externa exactæ proprietatis perscrutatione iudicare scripturas simplicium atque illiteratorum piscatorum.

Si autem spiritus loquutus est ei aut angelus, ne repugnemus deo. Et dum magna seditio coorta esset, ueritus tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere & rapere eum de medio eorum, B *ac deducere eum in castra. Sequenti uero nocte assistens ei dominus ait: Bono animo esto Paule: Vt enim testificatus es de me Ierosolymis, sic te oportet & Romæ testificari.*

Si autem spiritus loquutus est ei. Duplici modo intelligi potest quod dictum est. Aut enim deest quippiam ad sententiæ expletionem: vt ita dicatur. Si autem spiritus aut angelus loquutus est ei, incertum est, inquit. Aut tanquam à Pharisæis, dicendum est esse verbum. Si autem spiritus vel angelus, loquutus est ei: hoc est, Ecce quæ de resurrectione loquitur manifestum est, quòd aut per spiritum sanctum, aut per angelum eruditus sit resurrectionis sermonem. C

CAP. XXXIIII.

De insidiis Paulo intentatis à Iudæis, & quòd Lysiæ iudicatæ sint: in quo narratur quòd transmissus sit Paulus Cæsaream ad præsidem cum militibus & scribis.



Acto autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se, dicentes, neque esuros se neque bibituros, donec occiderent Paulum. Erant autem plures quàm quadraginta uiri qui hanc coniurationẽ fecerant: qui accesserunt

D runt ad principes sacerdotũ ac seniores & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil gustaturos donec occidamus Paulum. Nunc ergo uos significate tribuno & cõcilio, ut cras producat illum ad nos, tanquã aliquid certius cogn ituros de eo. Nos uero priusquã appropinquet, parati sumus interficere illum. Quũq; audisset filius sororis Pauli insidias, uenit & intrauit castra, nunciauitq; Paulo. Accersito autẽ Paulus ad se uno ex centurionibus ait: Adolescentẽ hunc abduc ad tribu-
E num, habet enim quod renunciet illi. Et ille quidẽ assumens eum duxit ad tribunũ & ait: Vinctus Paulus accersitũ me rogauit, ut hũc adolescentẽ perducerem ad te habẽtem aliquid quod loquatur tibi. Apprehẽsa autẽ tribunus manu illi⁹, secessit cũ eo seorsim & percõtatus est illum: Quid est quod habes significandum mihi? At ille dixit: Iudæi constituerunt uti rogarent te, ut crastino die educas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo. Tu uerò ne persuadearis ab eis. Insidiantur enim illi ex eis uiri plures
F quadraginta, qui seipsos deuouerunt, ne uel edant uel bibant donec interficiãt illum: & nunc parati sunt expectantes, ut promittas. Tribunus igitur dimisit adolescẽtem, præcepitq; ei. Ne cui effutias, inquiens, quòd hæc indicaueris mihi. Et accersitis duobus quibusdam centurionibus dixit: Parate milites ducentos, ut eant Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos à tertia hora noctis: & iumẽta præbete, ut impositum Paulum saluum perducant ad Felicem præsidem, scriptis literis in hanc formam: Claudius Lysias maxime strennuo præsidi Felici salutem. Virum hunc

hunc comprehensum à Iudæis, quum iam esset ab eis A
interficiendus, superueniens cum exercitu eripui, co-
gnito quòd Romanus esset: uolensque scire causam ob
quam accusarent illum, deduxi eum in concilium ip-
sorum. Quem comperi accusari de quæstionibus le-
gis eorum, nullum dignum morte aut uinculis crimen
habentem. Quúmque indicatum esset mihi de insidiis
quas illi parauerant Iudæi, protinus misi illum ad te,
præcepto dato etiam accusatoribus, ut quæ habent
aduersus eum dicant apud te. Vale. Milites uero, iu-
xta quod sibi iniunctum erat, receptum Paulum duxe- B
runt per noctem Antipatridem. Postero autem die di-
missis equitibus, ut cum eo irent, reuersi sunt in castra.
Qui quum uenissent Cæsaream ac tradidissent præsi-
di epistolam, statuerunt coram eo & Paulum. Quúm-
que legisset præses & interrogasset ex qua prouincia
esset, ubi cognouisset quòd ex Cilicia, Audiam te, in-
quit, quum accusatores quoque tui aduenerint, iussitque
in prætorio Herodis custodiri eum.

ἀναθεματισαν ἑαυτοὺς, id est deuouerunt seipsos, hoc est,
extra dei fidem sese esse dixerunt, nisi facerent, quæ iudica- C
uerant. Siue ergo promissione frustrarentur, sicut etiam frustrati sunt, anathema erant: siue etiam contigisset illis, vt occiderent, rursus, aut ipsi tanquã homicidæ anathema sese efficiebant aut deus ipse, quanquã pontifices dissimularẽt. Itaque duplex est anathema: Vnum quidem tanquam omnibus aut multis inaccessum solique deo repositum: alterum quasi ab omni creatura sanctisque potestatibus intactum, & à deo alienum, tanquam diabolo repositum, propter alienationem bono impermixtam: & huiusmodi nunc anathemati hi sese subiiciunt. Hoc autem sæpius per epitasim, id est intensionem dici arbitramur κατάθεμα, hoc est, reiectum: quòd enim huiusmodi, est non reponitur aut deponitur, sed reiicitur.

D reiicitur, diabolo subiectum & simul & cum eo cõdemnatũ.

CAPVT XXXV.

Tertulli accusatio aduersus Paulum, & ipsius ad præsidẽ defensio.

CAP. XXIIII.



Ost quinque autem dies descendit princeps sacerdotũ Ananias cũ senioribus & Tertullo quodam oratore, qui comparuerũt coram præside aduersus Paulum, citatoq; Paulo cœpit Tertullus accusare dicens: Quum in multa pace agamus per te, & multa recte gerantur in populo
E *hoc per tuam prouidentiam, & semper, & ubique cõprobamus præstantißime Felix cum omni gratiarum actione. Sed ne diutius te detineam, oro te ut audias nos paucis pro tua humanitate. Nacti enim sumus hũc uirum pestiferum & concitantem seditionem omnibus Iudæis in uniuerso orbe, & autorem hæresis Nazarenorum, qui etiam templum prophanare tentauit: quẽ & apprehensum uoluimus iuxta legem nostram iudicare. Sed superueniens tribunus Lysias cum magna ui*
F *eripuit eum à manibus nostris, iubens accusatores eius ad te uenire, ex quo poteris ipse facta inquisitione de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eũ. Adiecerunt autem & Iudæi dicentes hæc ita se habere. Respondit autem Paulus, quum annuisset ipse præses ut diceret: Aequiore animo pro meipso respondeo, quum sciam te multis iam annis iudicẽ fuisse gẽti huic: qui potes cognoscere, quòd non plures sunt mihi dies, quàm duodecim, ex quo ascendi adoraturus Ierosolymam: & neque in templo compererunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis neque in ciuitate, neque probare possunt ea de quibus me accusant. Confiteor autem hoc tibi quòd iuxta*

iuxta uiam, quam uocāt hæresim, sic colo patrium deū, credēs omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt: spem habens in deum fore, quam & hi expectant, resurrectionem mortuorum iustorum simul & iniustorū. In hoc autem ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere erga deum & homines semper. Post annos autem plures accessi eleemosynas exhibiturus in gentem meam & oblationes, in quibus compererunt me purificatum in templo, haud cum turba neque cum tumultu. Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse & accusare, si quid haberent aduersum me: aut hi ipsi dicāt, si quid deprehenderunt in me iniquitatis, quum stem in concilio: nisi de una hac uoce, qua clamaui inter eos stans. De resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à uobis. A B

Iuxta uiam, quam uocant hæresim, sic colo patrium deū. Dicēs se deum patrium colere post factam vocationē vt essent Apostoli, ostēdit eundem esse deum veteris ac noui testamenti, quem lex & prophetæ annunciauerūt: quem Paulus prædicabat, dicens se vniuersis credere quæ in lege ac prophetis scripta sunt. Latenter autem Christum etiam hic induxit, sed interim in sermone de resurrectione versatur, quem hi ab exordio oppugnabant: hoc enim ostenso, facile etiā quæ de Christo sunt superinduceret, nempe quod resurrexerit. C

Auditis autem his Felix distulit illos, quum certo sciret quæ ad eam uiam attinebant, dicens: Quum tribunus Lysias descenderit, pernoscam causam uestram: iussitq; Cēturioni ut custodiret Paulum, sineretq; eum relaxari, & ne quem ex illius familiaribus uetaret subministrare ei, aut adire eum. Post aliquot autē dies quum aduenisset Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, accersiuit Paulum, & audiuit ab eo fidem,

quæ est

D *quæ eſt in Chriſtum. Diſputante autem illo de iuſtitia & temperantia & de iudicio futuro, tremefactus Felix reſpondit: In præſentia abi, cæterum nactus opportunitatem acceſſam te: ſimul & illud ſperans fore ut pecunia ſibi daretur à Paulo quo ſolueret ipſum, propter quod etiam frequẽter accerſens eum, loquebatur cum eo.*

Auditis his Felix. Aduertendum quòd Felix nouerat fidẽ, diligenter inſtructus ex veteri teſtamento in his quæ Chriſti ſunt: & ad Iudæorum gratiam non abſoluit Paulum, aut

E etiam vt munera acciperet, quemadmodum ſubſequens ſermo demonſtrat. Nouerat quoque iſta, eo quòd vxorem haberet Iudæam, à qua hæc continue audiebat Hæc autẽ præter legem ipſi coniuncta erat, nempe Iudæa Græco. Aut fortaſſis Iudæa quidem erat, nupſerat tamen illi tum quum Græca eſſet: propter quod etiam dicebat ipſi ſuam fidem, ſuadẽs vt vir quoque ad eam tranſiret relicta idololatria.

CAPVT XXXVI.

De Felicis defunctione Feſtiq; ſucceſſione, & Pauli ab eo interrogatione & prouocatione.

CAP. XXV.



Iennio autem expleto accepit ſucceſſorẽ Felix Portium Feſtum. Volens autem gratiam præſtare Iudæis Felix, reliquit Paulũ uin-

F *ctum. Feſtus ergo ſuſcepta prouincia, poſt triduum aſcendit Ieroſolyma ab urbe Cæſarea. Significaueruntq; illi principes ſacerdotum ac primores Iudæorum de Paulo: & rogabant eum, poſtulantes fauorem aduerſus ipſum, ut accerſeret illum Ieruſalem, inſidias tendentes, ut interficerent eum in uia. Feſtus autem reſpondit ut ſeruaretur quidem Paulus Cæſareæ: ſe uero breui illò profecturum. Qui ergo, inquit, inter uos potentes ſunt, ſimul deſcendẽtes, ſi quod eſt in uiro crimen, accuſent eum. Demoratus autem inter eos*

diebus

diebus amplius quàm decem descendit Cæsaream, & posteró die sedit pro tribunali, iussitq; Paulum adduci. Qui quum perductus esset, circunsteterunt eum qui ab Ierosolymis descenderant Iudæi, multa & grauia crimina intendentes aduersus Paulum, quæ non poterant probare, Paulo pro se respōdēte, q̃ neque in legē Iudæorū, neque in tēplū, neque in Cæsarē quicquā peccasset. Festus autē uolēs gratificari Iudæis, respondēs Paulo dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autē Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet iudicari. Iudæis nullā feci iniuriam, sicut & tu melius nosti. Si enim iniuriam feci, aut quippiam dignum morte perpetraui, nō recuso mori. Si uero nihil est eorū de quibus hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc Festus cum consilio colloquutus respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis. A B

Ad tribunal Cæsaris sto ait Paulus, volens Iudæorum manus effugere, hoc est volo Romam proficisci ad imperatorē, & ibi iudicari: Prouoco te inquit. Nomen Cæsar Romana lingua regem seu imperatorem significat: adeo vt communi nomine omnes Imperatores Romanorū Cæsares vocentur, tanquam dicas reges vel Imperatores. Atqui hæc nō erant propria eorum nomina. Sub Christi enim natiuitate, qui tūc imperabat Cæsar Augustus vocabatur: passus est autē sub Tiberio Cæsare. Paul' vero sub Nerone Cæsare Romæ interficitur. C

CAPVT XXXVII.

Agrippæ & Bernices aduētus, ac interrogationes de rebus quæ Paulum concernebant: in quo etiam narratur Pauli ad ea responsio, de legitimo cultu suo & uocatione ad euangelium: quòd Agrippa dixerit Festo Paulum in nullo Iudæos iniuria affecisse.

Et quum

D ET quum dies aliquot trāsacti essent: Agrippa rex & Bernice descenderunt Cæsaream, salutaturi Festum. Quúmque pluribus diebus ibi commorarentur, Festus regi causam Pauli retulit dicens: Vir quidam est relictus à Felice uinctus, de quo quum uenissem Ierosolymam, significauerunt mihi principes sacerdotum ac seniores Iudæorum, postulantes aduersus illum sententiam. Quibus
E respondi, non esse Romanis consuetudinem ob gratiā donare aliquem hominem ut pereat, prius quàm is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat de crimine. Quum ergo huc conuenissent, sine ulla dilatione sequēti die sedēs pro tribunali, iußi adduci uirum. De quo quum stetissent accusatores, nullum crimen intendebant super hisce rebus, de quibus ego suspicabar: sed quæstiones quasdam de sua superstitione habebāt aduersus eum, & de quo-
F dam Iesu defuncto, quē affirmabat Paulus uiuere. Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam, nū uellet ire Ierosolyma, & ibi super his iudicari. Quum autē Paulus appellasset ut seruaretur Augusti cognitioni, iußi seruari eum, donec mitterem ipsum ad Cæsarem. Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras inquit audies eum. Postero uero die quum uenisset Agrippa & Bernice cum multo apparatu, & introissent in auditorium cum tribunis & præcipuis uiris ciuitatis, iubēte Festo adductus est Paulus. Et ait Festus: Agrippa rex omnesq; qui simul adestis nobiscum uiri, uidetis hunc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me tum Ierosolymis

ſolymis, tum hic, acclamantes, nō oportere eum uiue- A
re amplius. Ego uero comperi nihil dignum morte eū admiſiſſe. Cæterùm quum is ipſe appellaſſet Auguſtum, ſtatui mittere eum: de quo quod certo ſcribam domino, non habeo. Quapropter produxi eum ad uos, & maxime ad te rex Agrippa, ut examinatione facta habeā quod ſcribam. Iniquum enim mihi uidetur mittere uinctum, & crimina de quibus accuſatur non ſignificare.

Agrippa rex. Aut regis nomine deſcenderat Agrippa in prouincias, & propterea rex quoq; appellabatur, aut fortaſſis ipſe quoque rex erat partium orientalium, quum Nero occidentalibus imperaret, ac Romæ reſideret. *Vt ſeruaretur Auguſti cognitioni.* σεβαςὸν improprie dicit regem ſeu imperatorem, quemadmodum etiam Cæſarem: quem infra dominum quoque vocat dicens: De quo quod certo ſcribā domino non habeo. B

Agrippa uero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipſo. Tunc Paulus extenta manu pro ſe dicebat: Super oībus de quibus à Iudæis accuſor rex Agrippa, exiſtimo me beatū, qui cauſam dicturus ſim apud te hodie, quum tu maxime ſis gnarus earum quæ apud Iudæos ſunt & conſuetudinum & quæſtionum. C *Quapropter obſecro te ut patienter me audias. Itaque uitam quidem meam quam egi ab adoleſcētia, quæ fuit ab initio in gente mea Ieroſolymis, nouerunt omnes Iudæi, qui prius nouerant me ab initio, ſi uelint teſtimonium ferre, quòd ſecundum exquiſitiſſimam ſectā noſtræ religionis uixerim Phariſæus. Et nunc ob ſpem repromiſſionis, quæ ad patres noſtros facta eſt à deo, ſto iudicio ſubiectus, ad quam duodecim tribus noſtræ inſtanter die ac nocte colentes deum, ſperant ſe peruenturas: de qua ſpe accuſor rex Agrippa à Iudæis.*

CAP. XXVI.

m Quid,

D *Quid, an incredibile iudicatur à uobis quòd deus mortuos suscitet? Et ego quidem existimabam aduersum nomen Iesu Nazareni oportere ut multa repugnando facerem, quod & feci Ierosolymis: & multos sanctorum ego carceribus inclusi, à principibus sacerdotũ potestate accepta: quumq; occiderentur detuli sententiam. Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, cõpellebam blasphemare: & amplius insaniens in eos, persequebar etiam in exteras usque ciuitates.*

Quid, an incredibile iudicatur à uobis quòd deus mortuos suscitet?

E Duas ponit circa resurrectionẽ ratiocinationes: vnam quidẽ à prophetis: nec tamen adducit prophetã, sed ipsam Iudæorum communem opinionem: aliam vero fortiorem, quæ est ab ipsis rebus, quoniam probatum est ab eo, quòd Christus resurrexerit à mortuis: & hanc quoque rationibus confirmat. Prima ratio. Quid, incredibile est, quòd deus mortuos suscitet? Item alia. An ne huiusmodi doctrina erat, eaq; dogmata in quibus educati erant? Quis autem non suscepit sermonem quem in medium adduxit? Super hoc inquit decreto tanquam de hæresi accusor: quũ apud eos nihil hac opinione antiquius habeatur, propter hanc gloriantur, ob hanc deũ colunt vt eam consequantur. Et hanc ego annuncio.

F *His rebus intentus, quum proficiscerer Damascum cum autoritate, permissuq; principum sacerdotum, die medio, rex, uidi è cœlo supra solis splendorem circunfulsisse me lumen & eos qui mecũ faciebãt iter. Quũq; omnes nos decidissemus in terram, audiui uocem loquentem ad me, ac dicentẽ lingua Hebraica: Saul Saul quid me persequeris? durum est tibi contra stimulos calcitrare. Ego autẽ dixi: Quis es domine? At ille dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Sed exurge & sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum ac testem & eorum quæ uidisti & eorum*

eorum in quibus ego apparebo tibi, eripiens te à popu lo & gentibus, in quas nunc te mitto, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad deum, ut accipiant remißionem peccatorum, & sortem inter eos qui sanctificati sunt, per fidem quæ est erga me. A

Supra solis splendorem. Adferens in medium id quod inter sensibilia lucidissimum est, quum non posset illi Iesu lucem æquare, quæ longe maior est, vt eo modo loquatur, quo possit hominis auditus suscipere, ait lucem illam superare solis splendorem.

Vnde rex Agrippa nō fui inobediēs cœlesti uisioni. B

ὀπτασία pura visio est quæ humanam supergreditur naturam illius rei quam non potest quispiam dum in carne est videre, nisi ipsius oculi diuinitus reuelentur.

Sed his qui sunt Damasci primū & Ierosolymis, ac per omnem Iudææ regionē: deinde quoque gētibus annunciabā ut resipiscerent & cōuerterentur ad deum, opera facientes digna resipiscentibus. Hac ex causa Iudæi me in templo comprehensum tentauerunt interficere. Dei itaque nactus auxiliū, usque in hodiernū diē sto, testificās tū paruo tū magno, nihil aliud dicēs q̄ ea quæ prophetæ dixerant futura esse & Moses, an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus sit populo & gentibus. C

Nihil aliud dicens quàm ea quæ prophetæ dixerunt. Ne huius rei doctor habeatur, prophetas adducit ac Mosen dicentem, an passurus fuerit Christus an primus ex resurrectiōe mortuorū &c. εἰ vero. i. an, capitur pro ὅτι. i. q̄. Moses inquit, dixit quòd passurus esset Christus, primus ex resurrectione. Primus siquidem hic resurrexit qui amplius non moreretur: quum enim aut per eum aut per discipulos, similiter & per prophetas, alij quidam resurrexerant, rursum mortui sunt, expectantes vniuersalem resurrectionem.

D *Hæc autem quum pro se diceret, Festus magna uo-ce ait: Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam con-uertunt. Et Paulus, Non insanio inquit præstantißime Feste, sed ueritatis & sobrietatis uerba eloquor. Scit enim de his rex, ad quem & libere loquor. Latere eũ nihil horum arbitror. Siquidem neque hoc in angulo gestum est. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quòd credas. Agrippa autem ad Paulum ait: Paucis suades mihi ut Christianus efficiar. Paulus uero dixit: Opta-*
E *rim sane à deo & paucis & multis, non te solum, sed etiam omnes qui audiunt hodie, esse tales qualis ego sum, exceptis uinculis his. Quumq; hæc loquutus esset, surrexit rex ac præses & Bernice quiq; eis aßidebãt. Et quum secessissent, loquebantur inter se dicẽtes: Ni-hil morte aut uinculis dignum facit homo iste. Agrip-pa uero Festo dixit: Dimitti poterat hic homo, si non appellasset Cæsarem.*

Quoniam ad regem semper verba dirigebat, cõmotus est
F aliquantum Festus, & libertatem intuitus, ex animi pertur-batione & ira, Insanis inquit. Paulus vero causam docet, cur ad regem verbum conuertat. Deinde ostendens ꝙ toto ter-rarum orbe hoc dogma sit dispersum, subiungit: *Siquidẽ ne-que hoc in angulo gestũ est:* de cruce ac resurrectione Christi loquens: ἐν ὀλίγῳ, hoc est perpaucis verbis, breuibus sermo-nibus, modica doctrina, absque magno labore continuáque disputatione. Propter quod etiam Paulus vicissim ac conue-nienter ait ad illum: *Optarim sane à deo & paucis & multis:* ac si dicat: Hoc nẽpe mihi studio est, vt omnes efficiantur Chri stiani, & hoc mihi in votis est eaque precatio corã deo: quã-doquidem paratus sum, & multis sermonibus, & paucis Chri sti prædicare fidem, multo etiã cum labore ac molestia, idq; protinus. Nequaquam enim laborem aut molestiam in do-ctrina ac prædicatione inesse arbitrarer: sed perĩde mihi es-set defatigari, ac non defatigari, multum tẽpus insumere si-cut pa-

cut parum, modo nonnullos videam qui ad deum conuertātur. Hæc autem dicebat simul quidem suam promptitudinē atque feruorem demonstrans, simul etiam illum prouocans, vt si vellet plura audire & ampliori frui doctrina, nō modo nihil cunctaretur, verum etiam adeo prōptus esset ad exhibendum se paratum ac alacrē, vt etiam opus illud sibi in votis esset, dummodo scopum assequeretur. *Optarim sane &c.* Agrippa quidē acceperat ἐν ὀλίγῳ vt significaret paucis opus esse aut parū abesse. Paulus vero tum diuinis tum in humanis prudentissimus ac astutissimus, si quispiam alius, aut oblata vsus dictione aut significato ad id quod suis sermonibus erat expediens, adiunxit ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ: ac si dixisset paruo sermonum agone, aut si opus esset etiam maiori, optarim te Christianum fieri. Omnino promptus sum omnia facere pro salute, non tua solum, verumetiam eorū qui præsentes sunt. *Exceptis uinculis his:* Nō sibi vincula execrās, aut ob ea pudore suffusus hoc dicebat. Nā hoc, si quid aliud, gloria & exultatione dignum apud ipsum habebatnr: sed ad illorum existimationem respiciens, & ad eorum imbecillitatem sese demittens. Contingat mihi inquit, vt omnes efficiantur mihi similes, præter quàm in his vinculis.

CAPVT XXXVIII.

Pauli Romam uersus nauigatio plurimis maximisque plena periculis: in quo narratur etiam Pauli exhortatio ad eos qui secum erant de spe salutis. Naufragium Pauli, & quo modo incolumes euaserunt in Meliten insulam, quæue miracula Paulus in ea operatus sit. C

POstquam autem decretū est ut nos nauigaremus in Italiam, tradiderunt & Paulū & quosdam alios uinctos Cēturioni nomine Iulio cohortis Augustæ. Conscensa autem naue Adramyttina, nauigaturi iuxta Asiæ loca, soluimus, perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti autem die appulimus Sidonem. Et Iulius humaniter tractato Paulo, permisit ut ad amicos profectus, ab illis curaretur. Quumq; inde soluissemus, subnauigauimus iuxta Cyprū, propterea CAP. XXVII.

D retur. Nam quũ ille pepercisset ne flagellaretur, si postquam ad Iudęos eductus est, contingit vt à ministris verberetur, factum hoc erat redditurũ illum audentiorem. Hoc autẽ non vt quidã dicunt ad ministrum dirigitur, sed ad eum qui prę-ceperat, propter id quod protinus respõdet: Sciens enim quod oporteat iustam quoque iram cõprimere, & iustam indignationem occultare, tanquã pœnitentia ductus ait: Nesciebam quòd summus sacerdos esset. Atqui sciebat: Dixerat enim: Et tu sedes iudicans me secundum legem: sed ignorantiam simulat quæ nulli nocet, sed dispensatoria est. Contingit enim vt quis grauiori dispensatione liberæ loquutionis vtatur. Frequenter enim intempestiua loquendi libertas veritati nocuit, tempestiuus autem eius vsus, quod propositum erat,

E correxit. *Nesciebam fratres, & cætera.* Quidam dicunt eum, id non sciuisse ob longum temporis interuallum, quo apud Iudæos non fuerat. Quòd autem eum in medio cum multis aliis videret, non statim ex hoc manifestum erat summum esse sacerdotem, quum multi essent ac varij. Propterea rationabiliter, vt qui non sciuerit, respondet quasi crimen sit, ac subiungit: Principi populi tui non maledices.

Sciens autẽ Paulus quòd una pars esset Sadducæorum & altera Pharisæorum, exclamauit in concilio: Viri fratres ego Pharisæus sum, filius Pharisæi: de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Quúmque

F *hoc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos ac Sadducæos & dissecta est multitudo.*

Rursum humano modo differit, nec vbiq; gratiæ cõmodo gaudet. Et hoc tẽpore ac post ista voluit dissidere multitudinem quæ aduersus ipsum concors erat. Et neq; hoc loco mentitur: siquidem ex progenitoribus Pharisæus erat.

Sadducæi nanque dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum. Pharisæi autem utraque confitentur. Factus est autem clamor magnus. Quúmque surrexissent Scribæ de factione Pharisæorum, depugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus

in homine isto. A

Sadducæi quum crassi sint, fortassis ne deum quidem cognoscunt, vnde neque credere volunt resurrectionem esse. *Pharisæi uero utraque confitentur.* Atqui tria sunt: quomodo ergo dicit ἀμφότερα? Aut quòd spiritum & angelum vnum esse dicit, aut quòd dictio ἀμφότερα non solum circa duo ponitur, licet hoc proprie significet, sed etiam de tribus. Itaque non oportet ab externa exactæ proprietatis perscrutatione iudicare scripturas simplicium atque illiteratorum piscatorum.

Si autem spiritus loquutus est ei aut angelus, ne repugnemus deo. Et dum magna seditio coorta esset, ueritus tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra. Sequenti uero nocte assistens ei dominus ait: Bono animo esto Paule: Vt enim testificatus es de me Ierosolymis, sic te oportet & Romæ testificari. B

Si autem spiritus loquutus est ei. Duplici modo intelligi potest quod dictum est. Aut enim deest quippiam ad sententiæ expletionem: vt ita dicatur. Si autem spiritus aut angelus loquutus est ei, incertum est, inquit. Aut tanquam à Pharisæis, dicendum est esse verbum. Si autem spiritus vel angelus, loquutus est ei: hoc est, Ecce quæ de resurrectione loquitur manifestum est, quòd aut per spiritum sanctum, aut per angelum eruditus sit resurrectionis sermonem. C

CAP. XXXIIII.

De insidiis Paulo intẽtatis à Iudæis, & quòd Lysiæ indicatæ sint: in quo narratur quòd transmissus sit Paulus Cæsaream ad præsidem cum militibus & scribis.



Acto autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se, dicentes, neque esuros se neque bibituros, donec occiderent Paulum. Erant autem plures quàm quadraginta uiri qui hanc coniurationẽ fecerant: qui accesserunt

D runt ad principes sacerdotũ ac seniores & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil gustaturos donec occidamus Paulum. Nunc ergo uos significate tribuno & cõcilio, ut cras producat illum ad nos, tanquã aliquid certius cognituros de eo. Nos uero priusquã appropinquet, parati sumus interficere illum. Quũq; audisset filius sororis Pauli insidias, uenit & intrauit castra, nunciauitq; Paulo. Accersito autẽ Paulus ad se uno ex centurionibus ait: Adolescentẽ hunc abduc ad tribu-
E num, habet enim quod renunciet illi. Et ille quidẽ assumens eum duxit ad tribunũ & ait: Vinctus Paulus accersitũ me rogauit, ut hũc adolescentẽ perducerem ad te habẽtem aliquid quod loquatur tibi. Apprehẽsa autẽ tribunus manu illi⁹, secessit cũ eo seorsim & percõtatus est illum: Quid est quod habes significandum mihi? At ille dixit: Iudæi constituerunt uti rogarent te, ut crastino die educas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo. Tu uerò ne persuadearis ab eis. Insidiantur enim illi ex eis uiri plures
F quadraginta, qui seipsos deuouerunt, ne uel edant uel bibant donec interficiãt illum: & nunc parati sunt expectantes, ut promittas. Tribunus igitur dimisit adolescẽtem, præcepitq; ei, Ne cui effutias, inquiens, quòd hæc indicaueris mihi. Et accersitis duobus quibusdam centurionibus dixit: Parate milites ducentos, ut eant Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos à tertia hora noctis: & iumẽta præbete, ut impositum Paulum saluum perducant ad Felicem præsidem, scriptis literis in hanc formam: Claudius Lysias maxime strennuo præsidi Felici salutem. Virum

hunc

hunc comprehensum à Iudæis, quum iam esset ab eis A *interficiendus, superueniens cum exercitu eripui, cognito quòd Romanus esset: uolénsque scire causam ob quam accusarent illum, deduxi eum in concilium ipsorum. Quem comperi accusari de quæstionibus legis eorum, nullum dignum morte aut uinculis crimen habentem. Quúmqme indicatum esset mibi de insidiis quas illi parauerant Iudæi, protinus misi illum ad te, præcepto dato etiam accusatoribus, ut quæ habent aduersus eum dicant apud te. Vale. Milites uero, iuxta quod sibi iniunctum erat, receptum Paulum duxe-* B *runt per noctem Antipatridem. Postero autem die dimissis equitibus, ut cum eo irent, reuersi sunt in castra. Qui quum uenissent Cæsaream ac tradidissent præsidi epistolam, statuerunt coram eo & Paulum. Qúmque legisset præses & interrogasset ex qua prouincia esset, ubi cognouisset quòd ex Cilicia, Audiam te, inquit, quum accusatores quoque tui aduenerint, iussitq; in prætorio Herodis custodiri eum.*

ἀναθεμάτισαν ἑαυτοὺς, id est deuouerunt seipsos, hoc est, extra dei fidem sese esse dixerunt, nisi facerent, quæ iudica- C uerant. Siue ergo promissione frustrarentur, sicut etiam frustrati sunt, anathema erant: siue etiam contigisset illis, vt occiderent, rursus, aut ipsi tanquā homicidæ anathema sese efficiebant aut deus ipse, quanquā pontifices dissimularēt. Itaque duplex est anathema: Vnum quidem tanquam omnibus aut multis inaccessum solique deo repositum: alterum quasi ab omni creatura sanctisque potestatibus intactum, & à deo alienum, tanquam diabolo repositum, propter alienationem bono impermixtam: & huiusmodi nunc anathemati hi sese subiiciunt. Hoc autem sæpius per epitasim, id est intensionem dici arbitramur κατάθεμα, hoc est, reiectum: quòd enim huiusmodi, est non reponitur aut deponitur, sed reiicitur.

D reiicitur, diabolo subiectum & simul & cum eo cõdemnatũ.

CAPVT XXXV.

Tertulli accusatio aduersus Paulum, & ipsius ad præsidẽ defensio.

CAP. XXIIII. *Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotũ Ananias cũ senioribus & Tertullo quodam oratore, qui comparuerũt coram præside aduersus Paulum, citatoq; Paulo cœpit Tertullus accusare dicens: Quum in multa pace agamus per te, & multa recte gerantur in populo*
E *hoc per tuam prouidentiam, & semper, & ubique cõprobamus præstantißime Felix cum omni gratiarum actione. Sed ne diutius te detineam, oro te ut audias nos paucis pro tua humanitate. Nacti enim sumus hũc uirum pestiferum & concitantem seditionem omnibus Iudæis in uniuerso orbe, & autorem hæresis Nazarenorum, qui etiam templum prophanare tentauit: quẽ & apprehensum uoluimus iuxta legem nostram iudicare. Sed superueniens tribunus Lysias cum magna ui*
F *eripuit eum à manibus nostris, iubens accusatores eius ad te uenire, ex quo poteris ipse facta inquisitione de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eũ. Adiecerunt autem & Iudæi dicentes hæc ita se habere. Respondit autem Paulus, quum annuisset ipse præses ut diceret: Aequiore animo pro meipso respondeo, quum sciam te multis iam annis iudicẽ fuisse gẽti huic: qui potes cognoscere, quòd non plures sunt mihi dies, quàm duodecim, ex quo ascendi adoraturus Ierosolymam: & neque in templo compererunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis neque in ciuitate, neque probare possunt ea de quibus me accusant. Confiteor autem hoc tibi quòd*

iuxta uiam, quam uocāt hæresim, sic colo patrium deū, credēs omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt: spem habens in deum fore, quam & hi expectant, resurrectionem mortuorum iustorum simul & iniustorū. In hoc autem ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere erga deum & homines semper. Post annos autem plures accessi eleemosynas exhibiturus in gentem meam & oblationes, in quibus compererunt me purificatum in templo, haud cum turba neque cum tumultu. Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse & accusare, si quid haberent aduersum me: aut hi ipsi dicāt, si quid deprehenderunt in me iniquitatis, quum stem in concilio: nisi de una hac uoce, quā clamaui inter eos stans. De resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à uobis. A B

Iuxta uiam, quam uocant hæresim, sic colo patrium deū. Dicēs se deum patrium colere post factam vocationē vt essent Apostoli, ostēdit eundem esse deum veteris ac noui testamenti, quem lex & prophetæ annunciauerūt: quem Paulus prædicabat, dicens se vniuersis credere quæ in lege ac prophetis scripta sunt. Latenter autem Christum etiam hic induxit, sed interim in sermone de resurrectione versatur, quem hi ab exordio oppugnabant: hoc enim ostenso, facile etiā quæ de Christo sunt superinduceret, nempe quod resurrexerit. C

Auditis autem his Felix distulit illos, quum certo sciret quæ ad eam uiam attinebant, dicens: Quum tribunus Lysias descenderit, pernoscam causam uestram: iussitq́; Cēturioni ut custodiret Paulum, sineretq́; eum relaxari, & ne quem ex illius familiaribus uetaret subministrare ei, aut adire eum. Post aliquot autē dies quum aduenisset Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, accersiuit Paulum, & audiuit ab eo fidem,

quæ est

D *quæ est in Christum. Disputante autem illo de iustitia & temperantia & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: In præsentia abi, cæterum nactus opportunitatem accersam te: simul & illud sperans fore ut pecunia sibi daretur à Paulo quo solueret ipsum, propter quod etiam frequẽter accersens eum, loquebatur cum eo.*

Auditis his Felix. Aduertendum quòd Felix nouerat fidẽ, diligenter instructus ex veteri testamento in his quæ Christi sunt: & ad Iudæorum gratiam non absoluit Paulum, aut E etiam vt munera acciperet, quemadmodum subsequens sermo demonstrat. Nouerat quoque ista, eo quòd vxorem haberet Iudæam, à qua hæc continue audiebat Hæc autẽ prę ter legem ipsi coniuncta erat, nempe Iudæa Græco. Aut fortassis Iudæa quidem erat, nupserat tamen illi tum quum Gręca esset: propter quod etiam dicebat ipsi suam fidem, suadẽs vt vir quoque ad eam transiret relicta idololatria.

CAPVT XXXVI.

De Felicis defunctione Festiq; successione, & Pauli ab eo interrogatione & prouocatione.

CAP. XXV. *Biennio autem expleto accepit successorẽ Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulũ uin-* F *ctum. Festus ergo suscepta prouincia, post triduum ascendit Ierosolyma ab urbe Cæsarea. Significaueruntq; illi principes sacerdotum ac primores Iudæorum de Paulo: & rogabant eum, postulantes fauorem aduersus ipsum, ut accerseret illum Ierusalem, insidias tendentes, ut interficerent eum in uia. Festus autem respondit ut seruaretur quidem Paulus Cæsareæ: se uero breui illò profecturum. Qui ergo, inquit, inter uos potentes sunt, simul descendẽtes, si quod est in uiro crimen, accusent eum. Demoratus autem inter eos*

diebus

diebus amplius quàm decem descendit Cæsaream, & postero die sedit pro tribunali, iußitq; Paulum adduci. Qui quum perductus esset, circunsteterunt eum qui ab Ierosolymis descenderant Iudæi, multa & grauia crimina intendentes aduersus Paulum, quæ non poterant probare, Paulo pro se respōdēte, q neque in legē Iudæorū, neque in tēplū, neque in Cæsarē quicquā peccasset. Festus autē uolēs gratificari Iudæis, respondēs Paulo dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autē Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet iudicari. Iudæis nullā feci iniuriam, sicut & tu melius nosti. Si enim iniuriam feci, aut quippiam dignum morte perpetraui, nō recuso mori. Si uero nihil est eorū de quibus hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc Festus cum consilio colloquutus respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis. A B

Ad tribunal Cæsaris sto ait Paulus, volens Iudæorum manus effugere, hoc est volo Romam proficisci ad imperatorē, & ibi iudicari: Prouoco te inquit. Nomen Cæsar Romana lingua regem seu imperatorem significat: adeo vt communi nomine omnes Imperatores Romanorū Cæsares vocentur, tanquam dicas reges vel Imperatores. Atqui hæc nō erant propria eorum nomina. Sub Christi enim natiuitate, qui tūc imperabat Cæsar Augustus vocabatur: passus est autē sub Tiberio Cæsare. Paul⁹ vero sub Nerone Cæsare Romæ interficitur. C

CAPVT XXXVII.

Agrippæ & Bernices aduētus, ac interrogationes de rebus quæ Paulum concernebant: in quo etiam narratur Pauli ad ea responsio, de legitimo cultu suo & uocatione ad euangelium: quòd Agrippa dixerit Festo Paulum in nullo Iudæos iniuria affecisse.

Et quum

D ET quum dies aliquot trãſacti eſſent: Agrippa rex & Bernice deſcenderunt Cæſaream, ſalutaturi Feſtum. Quúmque pluribus diebus ibi commorarentur, Feſtus regi cauſam Pauli retulit dicens: Vir quidam eſt relictus à Felice uinctus, de quo quum ueniſſem Ieroſolymam, ſignificauerunt mihi principes ſacerdotum ac ſeniores Iudæo-
E rum, poſtulantes aduerſus illum ſententiam. Quibus reſpondi, non eſſe Romanis conſuetudinem ob gratiã donare aliquem hominem ut pereat, prius quàm is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locúmque defendendi accipiat de crimine. Quum ergo huc conueniſſent, ſine ulla dilatione ſequẽti die ſedẽs pro tribunali, iuſſi adduci uirum. De quo quum ſtetiſſent accuſatores, nullum crimen intendebant ſuper hiſce rebus, de quibus ego ſuſpicabar: ſed quæſtiones quaſdam de ſua ſuperſtitione habebãt aduerſus eum, & de quo-
F dam Ieſu defuncto, quẽ affirmabat Paulus uiuere. Hæſitans autem ego de huiuſmodi quæſtione, dicebam, nũ uellet ire Ieroſolyma, & ibi ſuper his iudicari. Quum autẽ Paulus appellaſſet ut ſeruaretur Auguſti cognitioni, iuſſi ſeruari eum, donec mitterem ipſum ad Cæſarem. Agrippa autem dixit ad Feſtum: Volebam & ipſe hominem audire. Cras inquit audies eum. Poſtero uero die quum ueniſſet Agrippa & Bernice cum multo apparatu, & introiſſent in auditorium cum tribunis & præcipuis uiris ciuitatis, iubẽte Feſto adductus eſt Paulus. Et ait Feſtus: Agrippa rex omneſq; qui ſimul adeſtis nobiſcum uiri, uidetis hunc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me tum Ieroſolymis

solymis, tum hic, acclamantes, nõ oportere eum uiue-re amplius. Ego uero comperi nihil dignum morte eũ admisisse. Cæterùm quum is ipse appellasset Augustum, statui mittere eum: de quo quod certo scribam domino, non habeo. Quapropter produxi eum ad uos, & maxime ad te rex Agrippa, ut examinatione facta habeã quod scribam. Iniquum enim mihi uidetur mittere uinctum, & crimina de quibus accusatur non significare. A

Agrippa rex. Aut regis nomine descenderat Agrippa in prouincias, & propterea rex quoq; appellabatur, aut fortassis ipse quoque rex erat partium orientalium, quum Nero occidentalibus imperaret, ac Romæ resideret. *Vt seruaretur Augusti cognitioni.* σεβαστὸν improprie dicit regem seu imperatorem, quemadmodum etiam Cæsarem: quem infra dominum quoque vocat dicens: De quo quod certo scribã domino non habeo. B

Agrippa uero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu pro se dicebat: Super oĩbus de quibus à Iudæis accusor rex Agrippa, existimo me beatũ, qui causam dicturus sim apud te hodie, quum tu maxime sis gnarus earum quæ apud Iudæos sunt & consuetudinum & quæstionum. Quapropter obsecro te ut patienter me audias. Itaque uitam quidem meam quam egi ab adolescẽtia, quæ fuit ab initio in gente mea Ierosolymis, nouerunt omnes Iudæi, qui prius nouerant me ab initio, si uelint testimonium ferre, quòd secundum exquisitißimam sectã nostræ religionis uixerim Pharisæus. Et nunc ob spem repromißionis, quæ ad patres nostros facta est à deo, sto iudicio subiectus, ad quam duodecim tribus nostræ instanter die ac nocte colentes deum, sperant se peruenturas: de qua spe accusor rex Agrippa à Iudæis. CAP. XXVI. C

D *Quid, an incredibile iudicatur à uobis q deus mortuos suscitet? Et ego quidem existimabam aduersum nomen Iesu Nazareni oportere ut multa repugnando facerem, quod & feci Ierosolymis: & multos sanctorum ego carceribus inclusi, à principibus sacerdotū potestate accepta: quumq; occiderentur detuli sententiam. Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, cōpellebam blasphemare: & amplius insaniens in eos, persequebar etiam in exteras usque ciuitates.*

Quid, an incredibile iudicatur à uobis quòd deus mortuos suscitet?

E Duas ponit circa resurrectioné ratiocinationes: vnam quidē à prophetis: nec tamen adducit prophetā, sed ipsam Iudæorum communem opinionem: aliam vero fortiorem, quæ est ab ipsis rebus, quoniam probatum est ab eo, q Christus resurrexerit à mortuis: & hanc quoque rationibus confirmat. Prima ratio. Quid, incredibile est, quòd deus mortuos suscitet? Item alia. An ne huiusmodi doctrina erat, eaq; dogmata in quibus educati erant? Quis autem non suscepit sermonem quem in medium adduxit? Super hoc inquit decreto tanquam de hæresi accusor: quū apud eos nihil hac opinione antiquius habeatur, propter hanc gloriantur, ob hanc deū colunt vt eam consequantur. Et hanc ego annuncio.

F *His rebus intentus, quum proficiscerer Damascum cum autoritate, permissuq; principum sacerdotum, die medio, rex, uidi è cœlo supra solis splendorem circunfulsisse me lumen & eos qui mecū faciebāt iter. Quūq; omnes nos decidissemus in terram, audiui uocem loquentem ad me, ac dicentē lingua Hebraica: Saul Saul quid me persequeris? durum est tibi contra stimulos calcitrare. Ego autē dixi: Quis es domine? At ille dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Sed exurge & sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum ac testem & eorum quæ uidisti &*

eorum

eorum in quibus ego apparebo tibi, eripiens te à popu A
*lo & gentibus, in quas nunc te mitto, ut aperias ocu-
los eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à
potestate Satanæ ad deum, ut accipiant remißionem
peccatorum, & sortem inter eos qui sanctificati sunt,
per fidem quæ est erga me.*

Supra solis splendorem. Adferens in medium id quod inter sensibilia lucidissimum est, quum non posset illi Iesu lucem æquare, quæ longe maior est, vt eo modo loquatur, quo possit hominis auditus suscipere, ait lucem illam superare solis splendorem.

Vnde rex Agrippa nō fui inobediēs cœlesti uisioni. B

ὀπτασία pura visio est quæ humanam supergreditur naturam illius rei quam non potest quispiam dum in carne est videre, nisi ipsius oculi diuinitus reuelentur.

*Sed his qui sunt Damasci primū & Ierosolymis, ac
per omnem Iudææ regionē: deinde quoque gētibus an-
nunciabā ut resipiscerent & cōuerterentur ad deum,
opera facientes digna resipiscentibus. Hac ex causa Iu-
dæi me in templo comprehensum tentauerunt interfi-
cere. Dei itaque nactus auxiliū, usque in hodiernū diē* C
*sto, testificās tū paruo tū magno, nihil aliud dicēs q̄ ea
quæ prophetæ dixerant futura esse & Moses, an pas-
surus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mor-
tuorum lumen annunciaturus sit populo & gentibus.*

Nihil aliud dicens quàm ea quæ prophetæ dixerunt. Ne huius rei doctor habeatur, prophetas adducit ac Mosen dicentem, an passurus fuerit Christus an primus ex resurrectiōe mortuorū &c. εἰ vero. i. an, capitur pro ὅτι. i. q̄. Moses inquit, dixit quòd passurus esset Christus, primus ex resurrectione. Primus siquidem hic resurrexit qui amplius non moreretur: quum enim aut per eum aut per discipulos, similiter & per prophetas, alij quidam resurrexerant, rursum mortui sunt, expectantes vniuersalem resurrectionem.

D *Hæc autem quum pro se diceret, Festus magna uo-
ce ait: Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam con-
uertunt. Et Paulus, Non insanio inquit præstantißime
Feste, sed ueritatis & sobrietatis uerba eloquor. Scit
enim de his rex, ad quem & libere loquor. Latere eũ
nihil horum arbitror. Siquidem neque hoc in angulo
gestum est. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quòd
credas. Agrippa autem ad Paulum ait: Paucis suades
mihi ut Christianus efficiar. Paulus uero dixit: Opta-
E rim sane à deo & paucis & multis, non te solum, sed
etiam omnes qui audiunt hodie, esse tales qualis ego
sum, exceptis uinculis his. Quumq; hæc loquutus esset,
surrexit rex ac præses & Bernice quiq; eis aßidebãt.
Et quum seceßissent, loquebantur inter se dicẽtes: Ni-
hil morte aut uinculis dignum facit homo iste. Agrip-
pa uero Festo dixit: Dimitti poterat hic homo, si non
appellasset Cæsarem.*

Quoniam ad regem semper verba dirigebat, cõmotus est
F aliquantum Festus, & libertatem intuitus, ex animi pertur-
batione & ira, Insanis inquit. Paulus vero causam docet, cur
ad regem verbum conuertat. Deinde ostendens ꝙ toto ter-
rarum orbe hoc dogma sit dispersum, subiungit: *Siquidẽ ne-
que hoc in angulo gestũ est:* de cruce ac resurrectione Christi
loquens: ἐν ὀλίγῳ. hoc est perpaucis verbis, breuibus sermo-
nibus, modica doctrina, absque magno labore continuáque
disputatione. Propter quod etiam Paulus vicissim ac conue-
nienter ait ad illum: *Optarim sane à deo & paucis & multis:* ac
si dicat: Hoc nẽpe mihi studio est, vt omnes efficiantur Chri
stiani, & hoc mihi in votis est eaque precatio corã deo: quã-
doquidem paratus sum, & multis sermonibus, & paucis Chri
sti prædicare fidem, multo etiã cum labore ac molestia, idq;
protinus. Nequaquam enim laborem aut molestiam in do-
ctrina ac prædicatione inesse arbitrarer: sed perĩde mihi es-
set defatigari, ac non defatigari, multum tẽpus insumere si-
cut pa-

cut parum, modo nonnullos videam qui ad deum conuertātur. Hæc autem dicebat simul quidem suam promptitudinē atque feruorem demonstrans, simul etiam illum prouocans, vt si vellet plura audire & ampliori frui doctrina, nō modo nihil cunctaretur, verum etiam adeo prōptus esset ad exhibendum se paratum ac alacrē, vt etiam opus illud sibi in votis esset, dummodo scopum assequeretur. *Optarim sane &c.* Agrippa quidē acceperat ἐν ὀλίγῳ vt significaret paucis opus esse aut parū abesse. Paulus vero tum diuinis tum in humanis prudentissimus ac astutissimus, si quispiam alius, aut oblata vsus dictione aut significato ad id quod suis sermonibus erat expediens, adiunxit ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ: ac si dixisset paruo sermonum agone, aut si opus esset etiam maiori, optarim tē Christianum fieri. Omnino promptus sum omnia facere pro salute, non tua solum, verumetiam eorū qui præsentes sunt. *Exceptis uinculis his:* Nō sibi vincula execrās, aut ob eā pudore suffusus hoc dicebat. Nā hoc, si quid aliud, gloriā & exultatione dignum apud ipsum habebatur: sed ad illorum existimationem respiciens, & ad eorum imbecillitatem sese demittens. Contingat mihi inquit, vt omnes efficiantur mihi similes, præter quàm in his vinculis. A B

CAPVT XXXVIII.

Pauli Romam uersus nauigatio plurimis maximisque plena periculis: in quo narratur etiam Pauli exhortatio ad eos qui secum erant de spe salutis. Naufragium Pauli, & quo modo incolumes euaserunt in Melitem insulam, quæue miracula Paulus in ea operatus sit. C



Ostquam autem decretū est ut nos nauigaremus in Italiam, tradiderunt & Paulū & quosdam alios uinctos Cēturioni nomine Iulio cohortis Augustæ. Conscensa autem naue Adramyttina, nauigaturi iuxta Asiæ loca, soluimus, perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti autem die appulimus Sidonem. Et Iulius humaniter tractato Paulo, permisit ut ad amicos profectus, ab illis curaretur. Quumq; inde soluissemus, subnauigauimus iuxta Cyprū, propterea CAP. XXVII.

D quòd essent uenti contrarij. Et emensi pelagus, quod est contra Ciliciam & Pamphyliam, peruenimus Myram quæ est Lyciæ: & ibi nactus Cẽturio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam imposuit nos in eã. Quumq; multis diebus tarde nauigaremus, & uix deuenissemus uersus Cnidum, prohibente nos uento adnauigauimus Cretæ iuxta Salmonem. Vixque illam præterlegentes, peruenimus in locum quendam, qui uo-
E catur Pulchriportus, cui uicina erat ciuitas Lasæa. Multo autem tempore peracto, & quum iam esset periculosa nauigatio, quòd iam ieiunij quoque tempus præterisset, admonebat eos Paulus dicens: Viri uideo quòd cum iniuria multóque damno non solùm oneris & nauis, sed etiam animarum, nostrarum futura sit nauigatio. Centurio uero gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his quæ à Paulo dicebantur. Quúmque aptus portus non esset ad hybernandum,
F complures cœperunt consilium soluendi illinc, si quo modo possent peruecti Phœnicem illic hybernare. Is est portus Cretæ spectans ad Aphricum, & ad Chorum. Aspirante autem Austro, rati se propositi compotes, quum soluissent Asson, præterlegebant Cretam. Verum haud multo post coortus est contra ipsam uentus Typhonicus, qui uocatur Euroaquilo. Quúmque correpta esset nauis, nec posset obniti uento, data naue flatibus, ferebamur. In insulam autem quandam deuecti, quæ uocatur Clauda, uix potuimus obtinere scapham. Qua sublata adiutoriis utebantur, succingentes nauem, & timentes ne in Syrtim inciderent, demisso uase sic ferebantur. Et quum uehementi

hementi tempestate iactaremur, sequenti die iactum fecerunt, ac tertio die nostris manibus armamenta nauis proiecimus. Porro neque sole, neque sideribus apparentibus ad complures dies, & tempestate, non exigua imminente, iam ablata erat omnis spes salutis nostræ. A

Quòd iam ieiunii quoq; tempus præteriisset. Ieiunium dicit hic Iudæorum. Nam post Pentecosten longo tépore inde egressus est, adeo vt ferme fuerit hyems, quũ ad partes Cretæ accederet. Ecce nũc quoq; vaticinatur Paulus, dicens eis quòd naufragium facerēt. Et licet nõ cõtigerit eis naufragiũ cum dãno animarũ iuxta ipsius sermonē: hoc tamē naturæ cursu euenisset, nisi Deus præseruasset, propter ipsum enim fecit, vt illi quoq; salui essent. A tempestate itaq; factũ est naufragium, quoniã vehemens erat procella. Maius autē fuit miraculum, quòd tali tēpore è mediis seruati sint periculis, & ipse Apostolus & propter eũ cæteri. Nõ ergo mētitus est. *Centurio uero gubernatori & nauclero magis credebat.* Nõ adhibet animum Centurio his quæ à Paulo dicebantur, credens eis qui artis nauigandi periti essent magis quàm vectori inexperto rei nauticæ, & ex hoc docet quòd mentis potius error esset quàm fortunæ. Quum enim naturale cuique sit deuitare pericula, docet ipsa experientia, ne seipsum quispiã præcipitet, quum res apertum adfert periculum, & fortuna ac fatum ad id quod præuisum est obdormiat, quòd si etiam vigilet, nihil tamen operari potest aduersus hominum voluntatem & electionem: qua, opera quæ se concernunt quomodocunque voluerint ducunt ac rapiunt: quemadmodũ etiam ij qui cum Paulo peregre agebant. Adeo enim illi ex voluntate operabantur, vt confestim ventum nacti prosperũ, gaudentes prosequuti sint nauigationem. Sciendum autē quòd verbũ ἀντοφθαλμεῖν (quod metaphorice vertimus obniti, proprie autē significat ex aduerso intueri) ex dictionis proprietate nõ dicitur de nauigio, sed homini tantum cõgruit. Itaque non oportet perpetuo scripturam ex proprietate vocum examinare. B C

Quum autē multa iam esset inedia, tunc stans Pau-

D *lus in medio eorum dixit: Oportebat quidem ô uiri au-*
dito me non soluere à Creta, nec accersere nobis iniu-
riam hanc & iacturam. Et nunc hortor ut bono animo
sitis: iactura enim nullius animæ erit ex uobis, sed tan-
tum nauis. Adstitit enim mihi hac nocte angelus Dei,
cuius sum ego, & quem colo, dicens: Ne timeas Paule,
Cæsari te sisti oportet. Et ecce donauit tibi Deus om-
nes qui nauigant tecũ: propter quod bono animo esto-
te uiri. Credo enim Deo quòd sic erit, quemadmodum
dictum est mihi. In quãdam autem insulam oportet nos
E *eiici. Sed postea quàm quartadecima nox superuenit,*
nauigantibus nobis in Adria circa medium noctis, su-
spicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem:
qui & demissa bolide reppererunt passus uiginti: ac
post pusillum inde digreßi: rursúmque demissa bolide,
reppererunt passus quindecim, timentésque ne in aspe-
ra loca inciderent, de puppi iactis ancoris quatuor,
optabant diem oriri. Nautis uero quærentibus fugere
ex naui, quum demisissent scapham in mare, sub præ-
textu uelut è prora ancoras extensuri, dixit Paulus
F *Centurioni & militibus: Nisi hi in naui manserint,*
uos salui fieri non potestis. Tunc absciderunt milites
funes scaphæ, paßique sunt eam excidere. Qúmque
dies inciperet apparere, hortabatur Paulus omnes su
mere cibum dicens: Dies hic decimus quartus est, quòd
expectantes ieiuni permanetis nihil accipientes: pro-
pter quod hortor uos ut sumatis cibum: hoc enim ad
salutem uestram pertinet: quia nullius uestrum capil-
lus de capite cadet. Et dum hæc dixisset, sumpto pane
gratias egit Deo in conspectu omnium, qúmque fre-
gisset,

gisset, cœpit edere. Porro animis iam omnium recreatis, sumpserunt & ipsi cibum. Eramus uero uniuersæ animæ in naui ducentæ septuaginta sex. Ciboque satiati alleuabant nauem, eiicientes triticum in mare. Quum autem dies esset terram non agnoscebant: sinum uero quendam concipiebant, in quod decreuerant, si fieri posset, impingere nauem. Quúmque ancoras sustulissent, cõmittebant se mari, simul laxatis iuncturis gubernaculorum: & sublato artemone ad auræ flatum, tendebant ad littus. Et quum incidissent in locum bimarem, impegerunt nauem. Ac prora quidem manebat immobilis, puppis uero soluebatur à ui undarum. A B

Et ecce donauit tibi Deus. Hinc falsus esse ostenditur sermo qui de fato dici solet: ecce enim nisi per Paulum seruati fuissent, omnes qui in naui erant perire oportuit: at donauit hoc Deus honori iusti. Et hic quidem per iustum seruantur & impij: quandoque vero ediuerso contingit, & ante præfinitum tempus perit impius propter suam malitiam, iuxta id quod dictũ est: Ne sis impius multũ, neq; durus efficiaris, ne moriaris in tempore non tuo. Quod autẽ dicit, *Nisi hi in naui manserint, uos salui fieri non potestis,* dispensatoriè dixit Paulus, vt cõfunderet eos, & ne excideret prophetia. Quum ergo viderunt, quòd ineptum consilium suum exposuit ipsos periculo, tũc ei credere cœperunt. Si enim fato credidissent quum essent ethnici, spreuissent vtique Pauli consilium, ac nautas discedere permisissent. *Propter quod hortor uos ut sumatis cibũ,* ipséq; primus sumit, non verbo tãtum, sed & opere suadens. Nam illud est quod ait, *Hoc enim ad salutem uestrã pertinet,* nempe edere, ne quando fame consumamini: neq; enim illis cibi cura erat, vtpote non sinente periculo occupari circa res vulgares. Vnde autẽ manifestus factus est numerus eorum qui simul nauigabant? Verisimile est eos causam interrogasse cur nauigarent, & ita omnia didicisse. Ecclesiastes.7. C

Militum autem consilium erat, ut uinctos occiderent,


D rent, ne quis, quum enatasset effugeret. At Centurio uolens seruare Paulum, compescuit eos à consilio: iussitq; ut qui possent natare, abiicerent se primos, & in terram euaderent, cæterique partim in tabulis, partim in quibusdam nauis fragmentis. Et sic factum est, ut omnes incolumes inuaderent in terram.

CAP. XXVIII. Quúmque euasissent, tunc cognouerunt quòd Melite insula uocaretur. Barbari uero præstabant non uulgarem humanitatem nobis. Accensa námque pyra recipiebant nos omnes, propter imbrem qui oppres-
E serat nos, & propter frigus. Quúmque congregasset Paulus sarmentorum multitudinem, & imposuisset in ignem, uipera à calore prorepens, inuasit manum eius. Vt autem uiderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, inter sese dicebant: Omnino homicida est homo hic, quem seruatum è mari ultio non sinit uiuere. Et ille quidem excussa in ignem, uipera nihil mali passus est. At illi existimabant futurum, ut incenderetur, aut concideret repente mortuus. Diu autem illis expectantibus, ac intuentibus nihil mali il-
F li accidere, mutata mente dicebant ipsum esse Deum. In locis autem illis erant prædia primati insulæ nomine Publio, qui nos exceptos triduo benigne tractauit hospitio. Contigit autem patrem Publij febribus, ac dysenteriis uexatum decumbere. Ad quem Paulus intrauit, quúmque orasset, & manus ei imposuisset, sanauit eum. Hoc igitur facto cæteri quoque qui habebant infirmitates in insula, accedebant & sanabantur, qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & soluentibus imposuerunt quæ necessaria erant.

Militum

Militum autem consilium erat &c. Rursum ex hoc ostenditur quòd Paulo donati sint, quoniam etsi quosdã vellẽt interimere, ne Pauli vaticinium excideret, non permisit eos occidi Centurio, quò Paulum seruaret. *Vipera à calore procedens,* Vipera iniectis manui Apostoli dẽtibus, quum peccati molliciem nõ repperisset, protinus resiliuit ac in ignẽ saliit, tanquã sibiipsi pœnam infligens, quòd corpus sibi nullo modo conueniens petiisset ac oppugnasset. Nos autẽ feras metuimus, quoniam virtutũ panopliam nõ habemus. Hoc itaq; intuiti Barbari, eum quoque qui certam mortẽ euaserat, Deũ esse ducebant, vt quibus moris erat omnẽ qui gloriosum aliquod opus præstaret, Deum existimare: quemadmodũ etiam veteres deos nominabant, aut eos qui aliquid operarentur, quòd vires ipsorum suorumque coæuorum excederet, qualis erat Hercules: aut qui præstigiatura intuentes in admirationem raperent, qualis fuit Simon in Samaria. B

CAPVT XXXIX. *Quomodo à Melite Romã peruenit Paulus.*



Post menses autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hybernauerat, cui erat insigne Castorũ. Quúmque uenissemus Syracusas, mansimus ibi triduo. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium, & post unum diem afflante Austro, postridie uenimus Puteolos, ubi repertis fratribus rogati sumus, ut maneremus apud eos diebus septem, & sic uenimus Romam. Et inde quum audissent fratres de nobis, egressi sunt in occursum nobis usque ad Appij forum, ac Tres tabernas. Quos ubi uidisset Paulus, actis Deo gratiis sumpsit fiduciam. Quum autem uenissemus Romam, Centurio tradidit uinctos principi exercitus. Permissum est autẽ Paulo, ut solus maneret cum custodiente ipsum milite. C

Insigne Castorum. Perpetuo moris est nauibus potissimum Alexandrinis, ad proram dextra ac sinistra huiusmodi esse picturas. Quoniã autẽ, vt verisimile est, idololatria eo tempore dominium obtinente, depicti erant in naui Castor ac

Pollux

D Pollux. consequens etiam est, vt intelligamus alienigenarum fuisse nauem, hoc est idololatrarum, de qua dicit Iesaias: Vo-
Iesa. 11 labunt in naui alienigenarum, mare simul prædabuntur. *Vsque ad Appii forum ac tres tabernas.* Loca quędam designat ante Romæ ingressum: priorem quidem habentem Appij statuam, vt verisimile est; & dictum illius forum: quemadmodum ad hoc vsque tempus regum, aut imperatorum imagines apud Romanos φόροι appellantur. Loca vero tabernarum, vsum insinuant quorundam diuersoriorum aut cauponarum, quæ Romanorum lingua ita appellantur.

CAPVT XL.

Scita Pauli concio ad Iudæos qui Romæ degebant.

E *Contigit autem, ut post tres dies conuocaret Paulus Iudæorum primores: quúmque uenissent, dixit ad eos: Ego uiri fratresque, quum nihil fecerim aduersus plebem, aut instituta maiorum, uinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum: qui quum examinassent me, uoluerunt dimittere, eo quòd nulla causa mortis esset in me. Sed contradicentibus Iudæis coactus sum appellare Cæsarem, non quasi habeam, de quo gentem meam accusem. Propter hanc igitur causam aduocaui uos, ut uiderem & alloquerer. Propter spem enim Israel catena*
F *hac circundatus sum. At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque aduenięs aliquis fratrum nunciauit aut loquutus est aliquid de te mali. Volumus autem ex te audire quæ sentias. Nam de secta ista notum est omnibus quòd ubique ei contradicatur. Quúmque constituissent illi diem, uenerunt ad eum in hospitium complures: quibus exponebat testificans regnum dei, suadénsque eis de Iesu ex lege Mosi & prophetis à mane usq; ad uesperā. Et quidā credebant his quæ dicebantur, quidam uero non credebant.*

Sciens

Sciens Paulus omnino absurdum esse iudicio cõtendere, A
idque maxime apud infideles, de vtroque defensionem parat, ne eorum aures præoccupentur. Propter hanc, inquit, causam volebam vos videre, ne cui liceret me accusare. Et ea dicit quæ sibi mutuo constant: nempe manus illorum volẽs effugere, coactus sum Cæsarem appellare, non quo aliis mala afferrem, sed vt ipse mala deuitarem. *Nam de secta ista, &c.* Priusquam Paulus Romam accederet, admoniti erãt Iudæi, ne prædicationem de Christo susciperent: nec ipsi soli, sed vbicunque terrarum dispersi erant. Vnde autem id manifestum esse poterit? Nacti sumus inter veterum commentaria, quonam pacto sacerdotes qui Ierosolymam inhabitabant vnà cũ scribis ac seniorib' literas exarauerint, quas in omnes gentes ad Iudæos transmiserint, vbicunque dispersi essent, B
Christi doctrinam calumniantes, tãquam à deo alienam: admonuerunt autem per epistolas ne eam susciperent. Atq; idipsum sane videtur Iesaiæ prophetia indicare quum ait: Væ terræ, nauium alæ, trans flumina Aethiopiæ (ἀποστέλλων) qui Iesa.18
mittit per mare obsides & epistolas papyraceas super aquã. Per quod significat quòd vltra Aethiopum quoque regiones ac nouissima terræ loca, sonus malitiæ eorum, qui Iudæam inhabitabãt per quædã velut volitantia nauigia processerit: & eorum Apostoli epistolas papyraceas deferentes, & super aquas nauigãtes, mareque ipsum implẽtes, vbique terrarum discurrebant, sermones de Saluatore nostro calumniantes. Iudæis vero nunc quoque moris est, eos qui à principibus quotidiana deferunt epistolia, Apostolos appellare. C

Quúmque inter se concordes non essent discedebãt, unum uerbum dicente Paulo. Bene spiritus sanctus loquutus est per Iesaiam prophetam ad patres nostros dicens: Vade ad populum istum & dic: Auribus audietis & non intelligatis, & uidentes uidebitis & non perspiciatis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, suósque oculos clauserũt, ne quando uideant oculis & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos. Notum Iesa.6

ergo

D *ergo sit uobis, quòd gentibus missum est hoc salutare dei, & ipsi audiēt. Quúmque hæc dixisset, egressi sunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se disceptationem. Mansit autem Paulus biennio toto in suo conducto: & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad ipsum: prædicans regnum dei, ac docens de domino Iesu cum omni fiducia nemine prohibente.*

Spiritus sanctus loquutus est per Iesaiam prophetam, &c. Eos qui spiritum sanctum patris dicunt esse ministrum Paulus vulnere ferit lætali. Siquidem eum quem vidit Iesaias dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatum, vocat
E hoc loco spiritum sanctum. Eiusdem nanque substantiæ est cum patre & filio, & æqualem simul possidet potestatem. Et hoc dictum asserit prophetam diuinitus loquutum de Iesu dixisse: quandoquidem audiuit populus sermones Iesu, & non intellexit: quumque videret prodigia quæ ab eo edebantur non perspiciebat. Nam dictum illud ad futurum tempus declinans, manifestat eorum quæ vaticinio dicuntur relationē ad tempus futurum. Considera vero exactam spiritus curā. Non enim dixit καὶ μὴ βλέψετε, id est, & nō videbitis (quod verbum præposuerat) sed videbitis & non ἴδητε, id est perspiciatis. Neque dixit, Non audietis, sed Non intelligatis. Ipsi sibiipsis impedimento fuerunt, obturatis primum aurib⁹, oculis clausis, corde aggrauato. Neque enim solum non au-
F diebant, sed & grauiter audiebant. Hoc autem fecerunt, inquit, nequando conuertantur & sanem eos, exaggeratam & intensam dicens esse eorum malitiam, & auersionem studio quæsitam. Idque dicit attrahens & excitans, ac ostendens quòd si conuerterentur, eos adhuc esset sanaturus. Sciendū autem quòd hucusque scribat Lucas in Actis Apostolorum, quæ circa beatum Paulum contigerunt, quum eo tempore librum conscripsisset, & quæ deinceps futura erant minime cognoscens, neque ipsius martyrium hoc libro reponens. Eo enim ibidem relicto Lucas & Aristarchus egressi sunt. Eusebius vero insequentia tempora exacte conscripsit: tunc quidem vbi pro se dixisset Paulus, rursus ad prædicationis ministerium esse missum, quum à Cæsare absolutus esset: aliisq;

Ecclesiasticæ hist. lib. 2 cap. 22

decem

decem annis euangelium prædicasse. Tādem vero vbi Nero ad extremum insaniæ peruenisset, ad cædes Apostolorum processit. Siquidem accersito Paulo anno à passo Christo tricesimo sexto, sui vero imperij tertiodecimo, ipsum ad martyrium adegit, capite gladio amputato. Sunt itaque à decimo nono Tyberij Cæsaris anno, secundo vero à Christo passo, quum euangelium prædicare cœpit vsque ad vicesimum secundum eiusdem Tiberij anni quatuor: & anni Caij similiter quatuor: rursum anni Claudij quatuordecim, quem insequutus Nero tertiodecimo sui principatus anno Apostolum interemit. Est igitur omne tempus prioris Pauli prædicationis vnus & viginti anni: & alij duo anni, quos in carcere apud Cæsaream transegit, ad hæc rursum duo priores anni Romæ transacti: & nouissimi decem anni. Ita vt sint omnes anni ab eius vocatione ad mortem vsq; ipsius triginta quinque. Siquidem à Christi assumptione post paucos aliquot dies creant Apostoli Stephanum & eos qui cum eo erant in ministerium. Deinde statim reperimus Stephanum lapidibus obrutum & Paulum cædi consentiētem: qui postmodum proficiscitur Damascum, tanquam sanctos qui ibidē degebant interempturus. Medio autem itinere vocatio eius à deo facta est, vt vix fuerit annus ille expletus. Confestim autem prædicare cœpit superueniente decimonono Tiberij Cæsaris anno, ac tertiodecimo Neronis anno interimitur capite gladio amputato.

FINIS DIVINO FAVENTE auxilio Actorum Apostolorum.

ARGVMENTVM CATHOLICæ Iacobi Epistolæ.

HAnc scribit Iacobus his qui à duodecim tribubus dispersi fuerant & crediderant in dominum nostrum Iesum Christum. Scribit autē aptam ad docendum epistolam, docens de tentationum varietate, quænam à deo sit & quæ à proprio corde hominum: quódque non verbo tantum, sed & opere fidem oporteat ostendere,

D ſtendere, neque auditores legis, ſed effectores iuſtificari. De diuitibus quoque præcipit ne in cœtu eccleſiæ præponantur pauperibus, ſed potius increpentur, tanquam faſtuoſi ac ſuperbi. Et tandem conſolatus illos qui iniuria afficiuntur, eosque exhortatus, vt longanimes ſint vſque ad iudicis aduentum: vbi etiam de patientiæ commodo, exemplo Iob docuit, præcipit aduocari presbyteros ſuper infirmos, vtq; ſtudeant ad veritatem conuertere eos qui ſeducti ſunt, aut qui errant: ait enim eſſe huius mercedem à domino peccatorũ remiſſionem, & ita concludit epiſtolam.

Catholicæ, id eſt vniuerſales dicuntur hæ ſiue orbiculares, quòd non diſtinctè vni genti aut ciuitati (quemadmodum diuus Paulus Romanis aut Corinthiis) has dedicat
E epiſtolas huiuſmodi diſcipulorum domini cœtus, ſed vniuerſaliter fidelibus, ſiue Iudæis qui diſperſi erant, ſicut etiam Petrus, aut etiam omnibus Chriſtianis ſub eadem fide degentibus.

Iacobi epiſtola

CATHOLICA.

CAPVT I.

De patientia & fide nihil hæſitante aut diiudicante, & de animi modeſtia ad diuites: in quo etiam tractat de tentatione quæ in nobis
F *eſt & affectibus eam conſequentibus, quòd non ſit cauſſa ex deo: ſi quid enim boni nobis eſt, id ab eo eſſe dicit.*

Cap. I.



Acobus dei ac domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus, duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione ſalutem. Pro ſummo gaudio ducite fratres mei, quoties in tẽtationes uarias incideritis.

Dei quidem patris, domini vero filij: Itaque ſi ex æquo patris & filij ſeruus eſt, æqualis eſt patri in honore filius, & in eſſentia

ſentia & in operatione. Supra omnem autem mundanam dignitatem glориantes Apoſtoli domini quòd ſint ſerui Chriſti, hoc ſui indicium haberi volunt, & loquendo & ſcribendo & docendo. *Pro ſummo gaudio.* Triſtitiam quæ ſecundum deum eſt & has tentationes, laude ac gaudio dignas eſſe nouit. hæ ſunt enim robuſtum vinculum & agmentũ charitatis & compunctionis: vnde illud quoque dictum eſt: Fili ſi accedas ad ſeruiendum deo, præpara animam tuam ad tentationem. Et Chriſtus: In mundo, inquit, afflictionem habebitis, ſed bono animo eſtote. &: Anguſta ac ſtricta eſt via quæ ducit ad vitam. Neque enim abſque lucta & exercitatione contingit aut mundanas aut diuinas nanciſci coronas. Modeſte autem de ſe ſentiens, fratres ipſos vocat non filios. Cæterum probis ac ſtudioſis ſummi gaudij cauſa ſunt tentationes ſiue afflictiones, quanquam per ipſas manifeſta fit eorum probatio, probatio autem ad opus perfectum tranſmittit. Sed dicet aliquis: Si hoc efficiunt tentationes, quomodo docet nos Chriſtus, vt à deo petamus in oratione non induci in tentationem? Dicimus ergo quòd duplices ſunt tentationes vel afflictiones. Quædam à nobiſipſis principium habentes: aliæ vero quæ à deo exercitij gratia & ad victoriæ declarationem nobis inducuntur. Rurſum duplices ſunt quæ à nobis habent initium. Nonnullæ ſiquidem ob irrationabilem fortitudinem, quam nos temerariam audaciam vocamus: quam etiam vt obſeruemus inſtruit nos dominus: quòd promptus quidem ſit ſpiritus, ſed extinguitur promptitudo illa inter certamina, nec ad bonum cedit vtentibus: quædam vero propter peccatum inducuntur, vt Sodomitis interitus. Has tentationes quantum poſſumus fugere debemus, abſque peccato viuẽdo. Porrò quæ à deo ſunt, vt quæ Iob aut Abraham contigerunt, non fugiendæ ſunt, quin potius, ſi quo modo fieri poteſt, per patientiam & gratiarumactionem aſciſcendæ. Deus enim qui tentat, ad vtilitatem ac victoriæ declarationem hoc facere nouit. Dixit autem Tentationes varias, eo quòd nonnullæ à deo, vt diximus, quædam vero à nobis procedunt.

A | Eccle. 2 | Iohan. 16 | Matth. 7 | B | Matth. 6 | C

Sciẽtes quòd probatio ueſtræ fidei operetur patiẽ-

D *tiam: patientia uero opus perfectum habeat: ut sitis perfecti & integri, nullaq; in parte diminuti.*

Δοκίμιον dicit quod exploratum est & comprobatum: porrò comprobatum dicitur purum: quemadmodum scri-
Psal.11 ptum est: Argentum igne exploratum, purgatum terra. Quomodo autem probatio parit patientiam? Quia fides illa pura esse probatur, quæ per patientiam ac tolerantiam inductarum afflictionũ perficitur. Nam vere fidelis opus est,
Iob.1 per longanimitatem & gratiarum actionem huiusmodi impetus excipere: quemadmodum se habuit Iob, qui in omnibus gratias agebat. *Opus perfectum habeat.* Animaduerte quòd non dixerit per indicatiuum. Opus perfectum ha-
E bet, sed per imperatiuum, Habeat. Non enim prædicat eam quæ præfuit virtutem, sed quæ accedit, & quomodo fieri oporteat statuit.

Quòd si cui uestrum deest sapientia, postulet à deo qui dat omnibus candide, nec exprobrat, & dabitur ei. Postulet autem cum fidutia qui nihil hæsitat. Nam qui hæsitat, similis est fluctui maris qui uentis agitur & impetu rapitur. Neque enim existimet homo ille se aliquid accepturum à domino. Vir duplici animo inconstans est in omnibus uiis suis.

Caussam perfecti operis dicit sapientiam. *Postulet à deo.*
F Quoniam nouit fidei comprobationem ac tolerantiam in afflictionibus, non esse opus quorumuis hominum, sed eorum qui secundum deum sapientes sunt, propterea ad sapientiæ postulationem impellit eos, qui hæc præstare conantur. *Qui nihil hæsitat.* Si enim confidit, petat: si vero hæsitat, ne petat quidem, quia non accipiet qui diffidit se accepturum. *Similis est fluctui maris.* Is enim qui hæsitat, dubius circa suas petitiones, vbi paulisper sustinuit, statim recedit. Accidit autem hoc illi ex superbia, quòd cito desperet eo quòd non e uestigio sequantur quæ petuntur: vtpote magna de se concipiens, & quòd repelli non mereatur in petitione quam facit. Porrò contrario modo ad hunc se habet qui modesti est animi. *Neque enim existimet homo ille.* Nempe qui

qui ex fastu & negligentia petit. Aufer à teipso animi duplicitatem: neque omnino, quum aliquid à deo petis, animo vacilles, dicendo apud teipsum, Quomodo possum quippiam à domino petere & accipere, qui toties in ipsum peccauerim? Ne hæc cogites, sed ex toto corde conuertere ad dominum, & pete ab ipso sine hæsitatione, & cognosces multitudinem misericordiæ eius, quòd nequaquam te deserat, sed petitionem animæ tuæ complebit. Non est enim deus sicut homines, qui mutuarum iniuriarum meminerunt: sed ipse obliuiscitur iniuriæ, & miseretur creaturæ suæ. *Vir duplici animo.* Duplici animo virum appellat instabilem & non firmum, qui neque ad futura solidè, neque ad præsentia securè firmatus est: sed huc atque illuc ducitur ac circumfertur: & interim quidem futura, quandoque vero præsentia amplectitur. Talem autem fluctui quoque maris comparauit, nec firmitatem nec stabilitatem habenti: & flori herbæ qui etiam non perseuerat, sed simul vt oritur sol, defluit. Considera vero quòd non dixerit talem assimilari herbæ, sed flori herbæ, breue omnino tempus significans per florem. Quoniam autem omnium obstetricem ac altricem nouit esse animi modestiam, & sine hac nihil esse egregium in probis ac studiosis viris, ideo subiungit: Glorietur frater qui humilis est, &c. Quomodo autem & quare dictus est alius duplici animo? Quòd neq; ad præsentem vitam, neque ad futuram sit firmatus: nam vita dicitur etiam anima, vt quum dicitur, Omnia quæ habet homo dabit pro anima sua. *In omnibus uiis suis.* Vias dicit animi motus quibus spes eleuatur, siue quæ vtilis est, siue quæ inutilis, iuxta id quod ait Dauid: Et omnes vias meas præcognouisti.

A

B

C

Iob. 1.

Psal. 138

Glorietur autem frater qui humilis est in sublimitate sua: contra qui diues est, in humilitate sua: quoniam ueluti flos herbæ præteribit. Exortus est enim sol cum æstu, & exaruit herba, & flos illius decidit, & decor aspectus illius periit. Sic & diues in uiis suis marcescet.

Quoniam vacillantem assimilat fluctui qui vento agitur,

D qui inflatus sublimatur vnà cum spiritibus maris, sed priusquam eleuetur prosternitur ac sedatur: hoc ipsum autem contingit vacillanti, qui præ fastu ac superbia in nullo eorum quæ oportet firmat suas petitiones: propterea subiungit, Glorietur frater qui est humilis. ac si diceret: Qui vult quippiam petere, primum quidem petat quæ oportet, in quibus nequaquam fraudabitur petitis: hæc autem sunt re-
Matth.6 gnum dei & iustitia: deinde tolerans sit in talium petitione, neque vbi paululũ precatus est, statim discedat, id enim arrogantis est: sed expectet donec accipiat, per humilitatem tolerando. *Qui humilis est in sublimitate sua.* Ex humiliatione secundum deum, contingit nobis omne bonum. Diuitem autem dicit superciliosum ac fastuosum, quem etiam
E humilem vocat, quia eò ipso quo eleuatur, deprimitur. *Contrà qui diues est, in humilitate sua.* Magis cõsequens erat vt diceret, Diues autem pudefiat in humilitate sua, sed odiosum verbum fugiens, illud potius addidit. *Et decor aspectus.* πρόσωπον, id est faciem siue vultum dixit improprie: nam hoc in solo homine dicitur, & non in cæteris animalibus: sed in quadrupedibus quidem ῥύγχος, idest rictus dicitur non facies, in volucribus autem ῥάμφος, id est rostrum. *In uiis suis.* Vias aut itinera diuitis dicit decursus in prospero successu, siue administrationes & dispositiones: inter quas insperato accipit mutatiouem ad infelicitatem & infortunium.

F *Beatus uir qui suffert tentationem: quoniam quum probatus fuerit accipiet coronam uitæ quam promisit dominus diligentibus se. Nullus qui tentatur dicat se à deo tentari: deus enim malis tentari nequit, & ipse neminem tentat. Vnusquisque autem tẽtatur, dum à propria conscientia abstrahitur & inescatur. Deinde concupiscentia postquam concepit, parit peccatum: peccatum uerò ubi perfectum est, progenerat mortem. Ne erretis fratres mei dilecti.*

Videtur beatus iste vsus securius sermone de tentationibus quum ait, Pro summo gaudio ducite incidere in tentationes.

tiones. Deinde memor orationis dominicæ, quæ iubet id quod melius est, nempe vt oremus ne incidamus in tentationem, repetit sermonem: per ea quæ hic proponuntur, manifestans quæ sit immissa à deo tentatio, nempe quæ etiam gaudij conciliatrix est, & quæ à nostra voluntate. Recte tamen dici potest quòd dominus ac deus Iesus Christus ad imbecillitatem humanæ naturæ respiciens, admoneat fugere tentationes, quum imperfectius adhuc affecti essent discipuli: quod aliis quoque fecit multis in locis, à perfectioribus interim abstinens. Postquam autem per cognitionem resurrectionis ipsius & ascensionem in cœlos confirmata est nostra infirma natura: iam frater ipsius secundum carnem instruit nos ne deinceps tentationes metuamus, quum possimus posthac confirmati afflictionibus domini, superare omnem superuenientem afflictionem & tentationem. Quum autem duplices sint tentationes, vt diximus, vtilis est in vtrisque patientia: in illis quidem quæ sunt à deo, quoniam postmodum assequimur laudem de victoria, veluti Abraham: in illis verò quæ à nobis sunt, quoniam sustinentes cum gratiarum actione, hanc veluti compensationem referimus ad peccata quæ commisimus. Is enim qui sua facta explorat, suæ iacit initium salutis, & ad formam iusti seipsum assimilat, quum vir iustus in principio sermonis sui sit accusator. *Nullus qui tentatur dicat.* Si duplices sunt tentationes, cur nunc omnis tentationis causam à deo reiicit? Sed considera quòd non dicit, Qui tentatus est, sed qui tentatur: eum enim qui per peccatum & intemperantiam sibiipsi tentationes accersit, ita vt in continuo sit salo, dicit à deo non tentari, sed à propria concupiscentia. Siquidem is qui illatam vicit tentationem, cautius ac firmius seipsum constituit, sic vt non facile capiatur tentationibus, his maxime quæ à seipso mouerentur. Quum enim ad sapientiorem declinauerit vitam, fontem occlusit qui tentationibus manat, & deinceps in requie degit à tentationibus. Deus autem malis tentari nequit: iuxta eum qui dixit (quanquam externus sit à nobis & à fide alienus) diuina beataque natura neque molestias sustinet neque aliis præbet. Circa mortalē enim ac terrenā naturā in quā varietas ac mutatio conspicitur, contingunt hæc omnia quæ no-

Mat. 5. 1a A B Proue. 18 C

D ſtram præoccupant naturam. Concupiſcentia verò ac peccatum, & quæ ex hoc imminet animæ mors, gradus quidam conſtituti ſunt ad humanam perditionem. Concupiſcentia enim locum diuerſorij tenens, inuenta manſione operata eſt peccatum, quod parit mortem, niſi mente illud eradicantes, alterius vitæ nobis inuenerimus initium. Quoniam igitur ſatis oſtendit diuinam naturam neque tentari poſſe, neque aliis id præbere (tentationes autem dicit hic cogitationes, animæ ſtabilitatem turbantes ac confundentes: nam quæ à deo ſunt, animam maxime ſtabiliunt, eam illuminantes & ineffabilem eius pulchritudinem multis oſtendentes) ideo nunc ſubiungit:

E *Omnis donatio bona & omne donum perfectum è ſupernis eſt deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec conuerſionis obumbratio. Is deſtinata uoluntate progenuit nos uerbo ueritatis, ut eſſemus primitiæ quædam ſuarum creaturarum.*

E ſupernis eſt à patre luminum. Quum ea quæ à nobis inducuntur, neque perfectionem habeant, ſed multam potius imperfectionem, neque animam illuſtrent; quomodo enim perfectionem haberent quæ poſtea ex fœlici progreſſu ſumunt perfectionem, vixque multo labore turpitudinem à natiuitate contractam emundant, & deinde ad diui-
F num ſplendorem pertingunt? *Apud quem non eſt tranſmutatio.* Ipſe enim clamat per prophetam, Ego ſum & non mutor. Quod autem ait: *Conuerſionis obumbratio,* hoc eſt, ne ſuſpitio quidem aut quippiam ſuſpitionis vmbram attingens.

Is deſtinata uoluntate. Deſtinata voluntate dixit, os illis opprimens qui mundum caſu productum fuiſſe nugantur. Quoniam enim dixit ſuperius, Apud quem non eſt tranſmutatio, & ex hoc oſtendit immutabilem eſſe deum, ſubiungit: Is deſtinata voluntate progenuit nos. Si enim nos nati ſumus, manifeſtum eſt quòd etiam mutati. Quomodo námque immutabile eſſet quod ex non eſſe per mutationē procedit ad eſſe? Deinde quia dixit, Progenuit nos, ne quis ſuſpicaretur quòd ſimiliter, vt & nos, ipſum quoq; filium progenuerit, & vnà nobiſcum etiam filium fuiſſe natum, ſubiungit:

iungit: Verbo veritatis. Omnia enim iuxta beatum Iohannē per filium facta sunt. Itaque si per verbum veritatis progressus nobis contigit, qui à verbo habemus esse, non sumus vnà cū eo geniti à quo facti sumus. *Vt essemus primitiæ.* hoc est primi & honoratissimi. κτίσματα autem dicit ipsam visibilem creaturam. Ioan. 1. A

Itaque fratres mei dilecti, sit omnis homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram. Ira enim uiri iustitiam dei non efficit.

Quod ait Velox, nō ad nudam auditionem refertur, sed ad strenuum in opere, & eum qui postquam audiuit, procedit ad ea præstanda quæ audiuit. Nouit enim eum qui subdit auditum cum studio ad ea quæ dicuntur, etiam præbiturum seipsum paratum ad eorum operationem: quemadmodū edi uerso eum qui cum tarditate ad aliquid procrastinando afficitur, aliquando penitus separandū ab omni conatu operis. Ideo in doctrina quidem rerum diuinarum velocitatē præcipit; in his autem quæ periculosam habent administrationem, tarditatem. Hæc autem sunt loqui & irasci. Nam & inconsulta loquutio & incircumspecta ira nō nouit vnquam in bonum desinere. Propter quod vir quidam diuinus ait: Frequenter pœnituit esse loquutum, tacuisse vero nunquā. Rursum autem beatus ille Dauid: Irascimini & ne peccetis: hoc est ne facile irascendo, furorem quoque incitetis quem fugerit ira. His etiam conformia sunt quę hic dicuntur. Siquidem tarditas in loquendo & tepiditas in irascendo, cunctatione in his seruata, reducunt ad id quod decēs est & rectū: & vel omnino impetum circa hæc dissoluunt per deliberatā considerationem, vel conuenienti modo ad res quæ occurrunt horum decursum fieri docent, potissimum autem iræ, quæ si irrationabiliter inducta sit, priuat diuina iustitia. Ideoque hanc subiungit caussam: Ira enim viri iustitiam dei non efficit. Etenim si iustitia habitus est in anima qui diuidit vnicuique iuxta suam dignitatem, ira vero (vt ait ille) perdit etiam sapientes, quo modo hæc ipsa quæ vehemēti affectione mentem adeo obtenebrat vt perdat etiam sapientes, cōstitueret eam quę diuidit vnicuique iuxta suam dignitatem. *Tardus ad iram.* Tarditatem vult bifariam in nobis exerceri, B Cato. Psal. 4. C

D puta ad loquendum & ad irascendum. Nouit enim cunctatio abstinentiam à committendo efficere.

CAPVT II.

De mansuetudine ac innocentia & actione bona quæ conducit ad beatitudinem, & de scientia ac mediocritate sermonis.



Vapropter deposita omni immunditia, & redundantia malitiæ, per mansuetudinem recipite insitum sermonem qui potest saluare animas uestras.

Immunditiæ addit etiam redundantiam malitiæ, volens

E hoc demonstrare: Quanquam frequenter incidat quispiam in aliquam immunditiam, citius ab ea discedat, nec permanendo & cunctando in illa, per consuetudinem efficiat malum firmius, ac difficilius ad abluendum: quũ nata sint quæ continue & abunde fiunt in nobis, ad reducendum in naturam id quod efficitur, siue naturæ habitũ ipsi acquirere. *Per mansuetudinem.* Siquidem per mansuetudinem & nõ per tumultum ac turbationem traditur disciplina. *Insitum sermonẽ.* Insitum nobis siue naturalem sermonem vocat eum qui discernit melius à peiori: à quo etiam rationales sumus ac dicimur.

F *Sitis autem effectores sermonis & non tantum auditores, fallentes uosmetipsos: quoniam si quis audiat sermonem nec eum factis exprimat, hic similis est uiro consideranti faciem natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enĩ seipsum & abiit, statimq; oblitus est qualis esset. At qui prospexerit in legem perfectam quæ est libertatis & permanserit, hic quum non sit auditor obliuiosus, sed effector operis, beatus facto suo erit.*

Quoniam nouit aliquos sermonem cum diligentia audientes, etiam ipso tempore quo audiunt, feruorem frequẽter extinguere, ideo nũc hæc subiungit, id in effectu præcipiens: Ne solũ in audiendo diligẽtiam ostendatis, sed multo magis in faciendo: *Fallẽtes autem uosmetipsos,* hoc est seducentes. Porrò faciem natiuitatis dicit cognoscere seipsum per legem. Ideo etiam post Faciem, subiũxit Natiuitatis. Nam per legem discentes quales facti sumus, conside-

consideramus quòd tales factos lex spiritualis perficiat nos A per lauacrum regenerationis. Deinde ne in tali consideratione per actionem permanētes, etiam gratiæ obliuiscamur ac doni. Nam qui prauis actionibus seipsum exponit, ne meminit quidem quòd à deo sit beneficio affectus. Si enim meminisset quòd in filium dei adoptatus sit & iustificat^9 ac sanctificatus, quæ dona sunt spiritualia, nequaquam seipsum traderet operibus gratiam repellētibus. *In speculo.* Ab hoc noto speculo trāsfert sermonem ad intellectuale speculum, nihil subiungens eorum quæ id quod dictum est aptarent exemplo: puta vt hoc modo diceret: Si quis audiat sermonem nec eum factis exprimat, hic similis est viro consideranti faciem natiuitatis suæ in speculo. Quemadmodū enim ille cōsiderauit seipsum & abiit, statimque oblitus est qualis esset: B ita & hic qui per Mosi legem considerauit ad quid factus esset, nempe quòd ad gloriam dei & ad imaginem dei creatoris factus fuisset, postquam considerauit, nihil eorū quæ cōsiderata erant factis expressit, sed pari modo circa considerationem dispositus est sicut prius. Non ergo sermone vsus est quomodo vti oporteret. Id autem non frustra ac temere facit Iacobus domini discipulus, sed omnia breuiter loquitur, tanquam abbreuiati verbi discipulus, simulque auditorē colligens ac continens ne hæc otiose audiret. *At qui prospexerit.* Considera quòd dixerit Qui prospexerit, & non Qui C ingressus fuerit. Spiritualis namque lex magnificum quiddā & vbique desiderabile habet, vnde etiam ex parua sui assequutione nouit attrahere & perfectum reddere: quumque perfectionem habeat & in omnibus defectu careat, eum qui assequutus est in nullo relinquit dubio circa aliquid quod in ea continetur: & eis qui vel inspexerunt persuadet vt in ea permaneant. *Legem perfectam.* Quoniam efferebantur Iudæi propter legis obseruationes, & his summam pietatis in deum se præstare putabant, hisque solis vacantes, sibi quidē perfectionem vendicabant, erga cæteros vero homines superbo & improperioso animo affecti erant: quemadmodum manifestum est ex Pharisæo, de quo in euangelio, & ab his *Luc.15.* qui aduersus Publicanum contumeliosi erant. Hunc timorē *19.5.* reprimens beatus Iacobus dicit ea quæ proponuntur. Facta namque mentione operum eius qui sermonem factis exprimit, vbi

D mit, vbi eum beatum prædicauit, statim etiam corrigit malum quod multis ex operatione adnascitur, & ait: Ne existimes quòd ex operibus legis sortiaris beatitudinem, quasi sola operatio habeat, vt etiam apud deum reddat acceptabilẽ; neque enim ita est, sed ille beatus est qui simul & facit, & erga cæteros sui generis homines non contumelioso nec inhumano animo affectus est. *Quæ est libertatis.* Vbi dixisset legem perfectam, subiunxit, Quæ est libertatis, insignem designans eius libertatem. Lex enim Christi à seruitute liberans omnium carnalium, puta sabbathorum & circuncisionis ac cultus circa cæteras purificationes, in libertate & re-
E quie ab his constituit accedentem: & propter libertatem ac suauitatem quæ à libertate procedit, etiam hunc attentum reddit, liberatque obliuione quæ bona omnia corrũpit. Nihil enim adeo persuadet adhærere alicui sicut illud, nempe quòd requiem à negotiis & libertatem dare conspicitur. Insuper hunc quoque beatum demonstrauit. *Auditor obliuiosus.* Auditioni coniunxit obliuionem, quòd auditioni opus sit operatione, nullum autem opus obliuionem sequatur: quasi superflua sit auditio quæ operis efficaciam non habet.

Si quis uidetur religiosus esse inter uos qui non fre-
F *nat linguam suam, sed fallit cor suum, huius uana est religio. Religio pura & immaculata apud deũ & patrem hæc est, uisitare pupillos ac uiduas in afflictione ipsorum: immaculatum seruare seipsum à mundo.*

θρησκεία. i. religio plus quiddam habere videtur quàm fides. Quorundam enim occultorum cognitionem promittit ipsum nomen, & eorum quæ fide conspiciuntur firmitatem. Ideo hac etiam dictione vsus est beatus Iacobus dicens, Religio, ac si dixisset: Cognoscere te existimas & exacte obseruare arcana quæ sunt in lege. Quomodo hoc fieri potest quum linguam frenare nescias, detrahendo proximo: & fastuose vitam degens, nullius egeni miserearis: quum lex ne-
Psal. 100. que detrahentem recipiat, & inimicorum quoque misereri
Exo. 23. iubeat, ac inimico occupato in subleuando suo iumẽto quod subponere cecidit, iubeat vt sis auxilio. Si ergo religiosus esse vis, ne te

vis, ne te ex legis cognitione religiosum ostendas, sed ex operatione, id autem miserendo proximi: nam misericordia erga proximum similitudo quædam est ad deum. Ait enim: Estote misericordes sicut & pater vester cœlestis misericors est. Sed & misericordia non fit cum respectu personarum: quia neque deus sua beneficia facit huic vel illi distribuendo, sed nullum discernendo omnes beneficio afficit, diuites ac pauperes, malos ac bonos. Frenans autẽ, hoc est cohibens, & non ex arrogantia quasi legem factis exprimeret, fallens suam conscientiam: nam hoc significat Cor, sicut ibi: Cor contritum & humiliatum non despicies. *Religio pura.* Fortassis dicet aliquis: Si testamenti quod statuit Christus doctor est Iacobus, quomodo non abrogat nũc quæ legis sunt, sed potius extollit, suscipiens eos qui in eius obseruãtia versantur, nec hos reprehendens aut repellens ab obseruatione legis? Ad quod illud dicimus, quòd per modum introducẽdi potius nũc cum ipsis differit, & demittit se ad eorum imbecillitatem, ne statim ab exordio legem euertens, faciat eos retrocedere, fastidientes ob dogmatum nouitatem, & ad incredulitatem declinantes. Conuenientius autem rem tractans, & se demittens ad legem, quo ad illa in quibus nouo testamento non adferebat nocumentum suis superstitionibus (quid enim nocet fidei quæ in Christum est, obseruatio sabbathorum, aut ieiunium, aut abstinentia à quibusdam cibis?) & his attentiores eos ad suum sermonem reddens, ita sensim ac paulatim discedere quidem hortatur à legis obseruationibus, tanquam laboriosis, & tamen inutilibus, & tanquam ad seruitutem non ad libertatem quæ in Christo est vocantibus. Breuibus itaque commutationibus ac alternationibus sapienter vsus, vbi iam habuit ipsos non grauiter ferentes quæ dicerentur, tunc ea quæ christianis conueniebãt proponit. *Seruare seipsum à mundo.* Mundum hic intelligere debemus popularem ac vulgarem turbam, quæ concupiscentijs sui erroris corrumpitur.

A Luc. 6. Matt. 5. Psal. 50. B C

CAPVT III.

De charitate erga unumquenque sine respectu personæ secundũ legem.

Fratres

ca. II. D Ratres mei ne cum respectu personarum habeatis fidem domini nostri Iesu Christi ex opinione. Nam si ingrediatur in cœtum uestrum uir aureum gestans anulum, ueste indutus splendida, ingrediatur autem & pauper in sordida ueste, & respexeritis ad illum, qui uestem gestat splendidam, ac dixeritis illi, Tu sede hic bene, pauperi uero dixeritis, Tu sta illic, aut sede hic subter scabellũ meum: & non diiudicastis apud uosipsos: & facti estis iudices cogitationum malarum.

E *Ne cum respectu personarum.* Nam qui cum respectu personarum aliquid facit, multa macula, multo probro seipsum replet, proximum dedecore afficiens, ac seipsum etiam ante illum. nam exhibitio erga consortem transmittit, id quod fit etiam ad seipsum. *Et non diiudicastis.* Coniunctio Et, abundat, hoc est diiudicandi vim, quæ in vobis erat corrupistis, nullam inquisitionem facientes vter sit honorandus, paupérne probus siue industrius, an diues segnis: sed ita sine iudicio & cum personarum respectu, hunc quidem propter diuitias honorastis, illum vero propter paupertatem contemptui habuistis. *Et facti estis iudices cogitationum malarum.* Hoc est iniusti iudices, malitia affecti ex personarum respectu. Hoc loco abundat coniunctio καὶ. i. &, sicut F dictum est, ex vsu veteris phrasis. † Quum enim sit hic sermonis responsio ad id quod præcessit, superflua est coniunctio. Est enim ita ordinanda sententia: Nam si ingrediatur in cœtum vestrum vir aureum gestans anulum, veste indutus splendida, ingrediatur autem & pauper in sordida veste &c. non diiudicastis in vobisipsis, & facti estis iudices cogitationum malarum: hoc est diiudicandi vim corrumpentes, elegistis malas cogitationes, illum quidem honorantes, hunc autem contẽptui habẽtes, quum tamen eadem esset in vtroque natura.

† Nõ de ūj loqui- tur quod ĩ hac ultima particula ponitur: sed quod ĩ præcedẽti, & diuersorum autorũ sũt scholia, nã istud idem in effectu di-

Audite fratres mei dilecti: nonne Deus elegit pauperes seculi huius, diuites in fide, & hæredes regni, quod

quod promisit diligentibus se? Vos autem contemptui habuistis pauperem. Nonne diuites tyrannidem exercent in uos, & iidem trahunt uos ad tribunalia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super uos? Si legem quidem expletis regiam iuxta scripturam, Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis. Sin uerò personam respicitis, peccatū committitis, coniuncti per legem quod sitis transgressores. A dicit quod prius dictū erat, ut patet si sequentia legas. Leuit. 19.

Quoniam paupertas vel auditu grauis est multis, ideo quum dixisset Pauperes mundi, statim subiunxit Diuites. In quo autem diuites? in fide, & circa fidem. Etenim ita se res habet. Nam quum pauperes non distrahantur circa res muudi, vbi accesserint ad fidem, magis strennui redduntur, ac operi magis insistentes, quàm diuites. Ideo etiam dominus tales elegit discipulos, quos etiam regni hæredes declarauit. *Blasphemant bonum nomen.* Bonum nomen est nomen nouum iuxta Prophetam dicentem: His qui mihi seruiunt, vocabitur nomen nouum, quod benedicetur super omnem faciem terræ. *Iuxta scripturam.* † Deuteronomium dicit. B Iesa, 62. Imò potius Leuit. 19.

Quisquis enim totam legem seruauerit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus. Nam qui dixit, Ne mœcheris, dixit etiam, Ne occidas. Quòd si non fueris mœchatus, occideris tamen, factus es transgressor legis. Ita loquamini & ita faciatis, ueluti per legem libertatis iudicandi. Siquidem iudicium absque misericordia erit ei, qui non præstitit misericordiā. Gloriatur autem misericordia aduersus iudicium. Exo. 20. Leuit. 19. C

Offenderit autem in uno. Hoc de dilectione dixit, propter quam etiam omnem præcedentem sermonem latius differuit demonstrationis gratia. Dixit autem, ne mœcheris, ne occidas, exempli caussa. Considera tamen quòd exempla sint ex lege, quatenus conferebat ad dilectionem. Nam qui perfecte diligit proximum, hic neque mœchabitur, neque occidet.

D occidet. hæc enim eius sunt, qui animo inimico affectus est
erga proximum. Quandoquidem nisi ita diceretur, nullus
hominum saluus fieret, quum nemo per omnia seruet præ-
ceptorum integritatem. Qui enim castitatem verbi caussa
seruauit, ira interdum superatus est: & qui eleemosyna or-
natus est, inuidia fortassis obfuscatus est. Itaque non de quo-
uis dictum est, qui in virtutibus nullum habeat defectum,
sed de dilectione, quòd non oporteat hanc cum defectu ex
personarũ respectu perficere, sed integre. Hoc autẽ de aliis
quoque virtutibus dicimus. Nam qui non perfecte mode-
stis aut iustis rebus verbi gratia adhęsit, sed cũ defectu vsus
fuerit, hic claudicãdo in tractandis virtutibus, vniuerso vir-
E tutis corpore vitiatus est. Intelligenda est igitur lex quæ de
dilectiõe agit, de qua præcipuus est ipsi scopus. Legem vero
libertatis dicit, quæ caret respectu personarum, quæ est lex
Christi. Qui enim personam respicit, non liber est, sed ser-
2.Pet.1. uus: Nam à quo quis superatus est eius, & seruus est. *Iudi-
cium absque misericordia erit ei.* Si proximis remiserimus pec-
cata quibus in nos deliquerunt, & egenos qui inter nos sunt,
eleemosynarum nostrarum participes fecerimus: in discus-
sione eorum quæ in vita peracta sunt, Dei quoque miseri-
cordia nos excipiet. Siquidẽ id præclarum est facinus, quẽ-
admodum ediuerso grauis condemnatio illis erit, qui non
fuerunt bene ac pie affecti erga suæ sortis homines. Nam
eos qui permanent nullo condolẽtiæ affectu moti erga pro-
F ximos qui in se deliquerunt, mali serui condemnatio cõple-
Matt.18. ctetur, vnà cum retributione quæ in oratione dominica de-
& 16. signatur. Ibi enim petimus à Deo vt nobis remittat, sicut &
nos remittimus eis qui in nos deliquerunt. Et eos qui duri
sunt, nulloque misericordiæ affectu mouentur erga illos, qui
corporali egent cõsolatione, iudicium quoque excipiet sine
misericordia iuxta præsentem sermonem. *Gloriatur autem
misericordia aduersus iudicium.* Siquidem misericordes miseri-
Matth.5. cordiam consequentur iuxta domini sententiam. Præterea
quoque si in idololatris misericordia erga pauperes potest
Dan.4. delere peccata, quemadmodum in Daniele didicimus, quid
non efficeret in fidelibus hominibus? Tale autem quiddam
Græce nã videtur mihi hæc misericordia efficere, †quale hoc oleum
que allusio ab arboribus manans, in athletis illitum. Dat enim istud ela-
est bi ne

bi ne ab aduerſariis teneantur : & ita etiam in vniuerſali iudicio miſericordia noſtra erga egenos dabit effugere impetus ac pericula, quæ à dæmonibus accuſatoribus noſtris imminebunt. ALIO MODO. *Iudicium abſque miſericordia.* Cauſſæ redditio eſt aduerſus eos, qui faſtum & arrogantiam magna ſæuitia demõſtrarunt erga abiectiores cum reſpectu perſonarum. Lenit itaque eorum crudelitatem ac duritiam, hac ſententia terrens, acſi diceret: Lex iubet proximum diligere ſicut ſeipſum; quemadmodum igitur nemo erga ſeipſum perſonam reſpicit, nam id inſanũ eſſet, ita neque tu perſonam reſpicias. Quòd ſi ex arrogantia & duritia ad perſonæ reſpectũ deflectis, time ne quo modo ipſe quoque ſimilia à iuſto iudice conſequaris, ac excludas à teipſo illius miſericordiam: Siquidem iudicium abſque miſericordia &c. *Gloriatur autem miſericordia aduerſus iudicium:* hoc eſt, vincit, expugnat, obtundit, vel hebetat. A *eſt inter ἔλεος .i. mia & ἔλαιον .i. oleum.* B

CAPVT IIII. *Quòd non ex ſola fide ſed etiam ex operibus, & non ex altero ſeorſim, ſed ſimul ex utriſque iuſtificatur homo.*



Væ utilitas fratres mei, ſi fidem dicat aliquis habere ſe, opera uerò non habeat? Num poteſt fides ſaluum facere illũ? Quòd ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & egentes ſint quotidiano uictu, dicat autem aliquis ueſtrum illis: abite cum pace, caleſcite & ſaturemini, non tamen dederitis eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quæ erit utilitas? Sic & fides ſi opera non habuerit, mortua eſt per ſe. Sed dicet aliquis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: oſtende mihi fidem tuam, & ego oſtendam tibi ex factis meis fidem meam. Tu credis quòd Deus unus eſt. recte facis, & dæmonia credunt, ac contremiſcunt. C

Animaduerte ſpiritualem intellectum. Neq; enim ſolum dixit, Si fidem habeas, ſed etiam, Quæ vtilitas? Ac ſi diceret: Oſtende mihi opus à quo exiſtimare poſſim hanc appellationem

D tionem tibi conuenire: id enim fidei vtilitas est. *Sic & fides*
Rom.4. *si opera non habuerit, mortua est per se.* Non aduersantur hæc beato Paulo, quum nomen fidei ad duo significata feratur:
Mar.1.c Nam & de simplici assensu fidem dicere solemus, iuxta illud
Luc.4. quòd etiam dæmones credidisse nouimus, quòd Dei filius esset Christus. Rursumque quum consequutionem ex affectu procedentem cum firmo assensu nomine fidei vocemus: Iacobus quidem simplicem assensum dicit fidem mortuam, & viuificantium operum expertem: Paulus vero dicit eam quæ est ex affectu, quæ factis nullo modo destituitur: neq; enim hæc absque honestis factis innasci posset. Siquidem hanc Abraham nequaquam consequutus est, nisi prius certamine præmisso, quo paterna cognatione expelleretur, cui certami-
E ni fides in præmium declarabatur: sed hanc operibus præposuit Paulus, nempe sabbathorum obseruationibus iuxta legem, circuncisione, cæterisque purificationibus. Siquidem duo quoque significata conspiciuntur in operibus. Nam & opera quædam fidem confirmare dicuntur, quorum expers si sit fides, mortua est. rursumque opera dicuntur quæ legis sunt, sine quibus & Abraham, & omnes qui sequuntur Christum iustificantur. Quis enim negabit verum esse quòd fides nequaquam ad impurum accederet? dico autem veram fidem, neque enim vnguětum in capsula reconderetur, quæ luto plena esset: neque in homine impuro fides immittetur à Deo. Non ergo dissoni sunt sancti Apostoli, sed in diuerso significato versantes: quisque ad sui significati vsum
F quod sibi propositum est dirigit ac perducit.

Vis autem cognoscere ô homo inanis, quòd fides absque operibus mortua sit? Abraham pater noster nōne ex operibus iustificatus est, quum obtulisset Isaac filium suum super altare? Vides quòd fides adiumento fuerit operibus illius, & ex operibus fides perfecta fuerit? Et completa est scriptura quæ dicit, Credi-
Gene.15. *dit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei uocatus est. Videtis igitur quòd ex operibus iustificetur homo, & non ex fide tantum. Si-*

militer

militer autem & Raab meretrix an non ex operibus iustificata est, quum excepisset nūtios, & alia uia emisisset? Nam quemadmodum corpus absque spiritu mortuum est, ita & fides absque operibus mortua est. E

Inanem appellauit hominem, qui de nuda fide gloriatur, quum nihil subsistentiæ ad completionem per opera nactus sit. *Abraham pater noster.* Eundem Abraham tam Paulus, quàm hic Iacobus ad exemplum sermonis de fide assumit: ille quidem vt ostendat fidem operibus eminentiorem esse: hic verò rursum opera esse fide præstantiora per eundem Abraham. Et superius quidem dictum est, quòd circa duplex fidei significatum versantes, quisque id adfert, quod ad sui propositi demonstrationem conducit. Quidam tamen patrum hoc etiam modo de hac re intellexerūt. Aiunt enim eundem Abraham variis distinctum temporibus vtriusque fidei gessisse imaginem, & eius quæ ante baptisma est, nec requirit opera, sed solam fidem & salutis confessionem, ac verbum quo iustificamur credentes in Christum, & eius quæ sequitur baptisma, & coniuncta est operibus: & ita non apparet diuersus, qui in Apostolis loquutus est spiritus: sed quòd hæc quidem fides sola confessione iustificet accedentem, si statim à mala vita discedat (huic enim non adsunt opera, sed sufficiens ipsi remedium est purificatio per baptismum) illa vero ab eo qui iam baptizatus est, requirit etiam bonorum operum exhibitionem. Cum hoc sensu Paulus quoque consentit alio in loco, ita dicens, ac docens fidem post baptisma perfectionem requirere per opera, quum ait: Neque circuncisio quicquam valet neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur: porrò dilectio longo eget exercitio vt compleatur. ALIO MODO. Abraham imago quidem fuit iustificationis, quæ ex sola fide fit, quando imputatum fuit ipsi ad iustitiam quòd crediderit: eius verò quæ est ex operibus, quando filium obtulit super altare, Siquidem non solum peragebat opus, sed etiam in fide permansit, quòd per Isaac multiplicandum esset semen suum sicut astra, existimans quòd etiam ex mortuis posset Deus suscitare. Tamen Paulus producit etiam Dauid in testem, sapienter sua confirmans. Nouerat enim ille per spiri-

Marginalia: Rom. 4. — B — C — Gal. 5. — Gen. 15. 22 — Heb. 11. — Rom. 4.

D tum eam fidẽ quę futuris tẽporibus vẽtura erat per Christũ:
Psal.31. ideo ait: Beatus vir cui nõ imputabit dominus peccatũ. *Fides absque operibus mortua est.* Fidem dicit quæ est post baptisma. nihil enim prodest fides destituta operibus, nisi quòd nos maiori adhuc peccato reddit obnoxios, qui talentũ quidem accepimus, lucrum tamen non retulimus. Vnde & dominus velut adumbrando nobis tradit, quòd post baptisma
Matth.4. necessaria nobis sint opera, quum à Iohanne baptizatus ad desertum peruenit, & certamina aduersus diabolum suscepit. Paulus quoque eos qui mysteria iam acceperant adhor-
Heb.4. tatur dicens. Studeamus ingredi in illam requiem: quasi non sufficiat fides, sed addi quoque debet vitæ puritas, & circa
E hoc magnum adhiberi studium.

Cap.III. *Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quòd maius iudicium sumpturi simus. In multis enim labimur omnes.*

Quum in superioribus dixisset ac docuisset fideles vt fidem possiderent non vacuam bonis operibus, ad aliud transiit præceptum huic germanum. Etenim quidam docere conantur, quæ nec ipsi præstant: & ait quod maius erit eorum iudicium, quandoquidem nihil lucri attulerunt. Nam qui ea docet, quæ non habet tanquam illa habens, condemnatus est, veluti sua lingua lapsus. Hoc autem abundantius confirmans dicit. Quanquam enim alio quoque mo-
F do ex negligentia prona est lingua ad labendum, in ea quo-
Prou.12. rum iudicium non effugiet, qui hanc nactus est, quemadmodum habet Solomon dicens, Propter peccatum labiorum incidit in laqueum peccator: multo magis tamen qui sciens ac aduertens peccat, lingua docendo, quæ experientia non didicit, nequaquam effugere poterit pœnam ineuitabilem.

CAPVT V. *Quòd præceps & incomposita lingua enecat eum, qui ipsam nactus est: quam uincere necesse est ad laudem & gloriam Dei: in quo etiam tractat de bona conuersatione, & sine rixa unius aduersus alium, ex gloriæ cupiditate, propter sapientiam humanam: & de diuina sapientia: & quòd ex socordia & uoluptatum amore oriantur lites ac seditiones, & inimicitia aduersus Deum.*

& de

& de resipiscentia ad salutem, ac de non iudicando proximum. A



I quis in sermone non labitur, hic perfectus est uir, qui possit freno moderari totum etiam corpus. Ecce autem in ora equorum frena immittimus ut pareant nobis, & totum corpus circumagimus. Ecce naues quoque quum tantæ sint, & à uentis sæuis agantur, à minimo gubernaculo circũaguntur quocunque impetus dirigentis uoluerit.

Quod ineuitabiliter nullus hominum vitam absque peccato transigat, ex linguæ lubricitate confirmat. Ex eadem verò etiam demonstrat nulli perfectionem cõtingere. Quis B enim est qui non errauerit per linguam suam? Quòd si quis suę linguæ lubricitatem superauit, an nõ hic idoneus est qui totum corpus circũagat? Nam is qui deuicit illud quod facillimum est ad lapsum, nequaquã superari poterit ab eo quod longe tardius est. *Ecce autem in ora equorum?* Hoc modo est literæ ordinatio: In ora equorũ immittimus frena, nisi enim ita cõponatur, inintelligibilis est sermo (videlicet si Græca verba sumas eo ordine quo sita sunt) Hæc autẽ cõfirmant id quod de lingua dictum est, & maius etiam quiddã aggreditur: nempe quòd is qui redigit in suam potestatem id quod facile est vt componatur, etiam superabit id quod difficulter tractari potest. Per hoc autem soluit obiectionẽ. Verisimile C enim erat quòd quispiam hoc subiungeret: Quis labor est adeo paruum gubernare mẽbrum? aut quòd futurũ est à minimo mẽbro nocumentũ? Et hæc ostendit à freno & gubernaculo, & à scintilla quæ minuta quidem sunt, sed magna efficiunt. ALIO MODO. Præterea quoq; ostẽdũt hæc non oportere linguam temere mouere, sed ad meliora transferre: quemadmodum equi ferocitatem freno, & nauis impetum gubernaculo. Ita igitur & linguam ad id quod expedit recto sermone transferre debemus. Nam hoc significat quod ait, Ita & lingua, quòd hoc modo debet lingua recto sermone circumagi, & non hoc facere quod facit: quum enim pusilla sit, magna facit, & magnum bustum nobis accendit, quandoquidem & ipsa ignis est. Et quænam

Linguae mala

D sunt quæ illa facit? Ornat iniquitatem per callidam rhetorum eloquentiam: contaminat corpus, persuadens mulieribus, vt sui accessum patiantur: cædes fraude operatur: periuriis aliena carpit: & super omnia rotam gehennæ inflammat: hoc est incẽdit & excitat in nos gehennam, veluti grassari faciens aduersum nos ignem. Sed & ipsa inquit incenditur à gehenna, quemadmodum manifestum est ex diuite, qui lingua cruciabatur. neque enim ob aliud lingua punitur, quàm ideo quòd prompta fuerit ad delitias & nugas. Itaque si legatur Rotam gehennæ, sicut nonnulla habent exemplaria, ita explicanda est sententia. Si verò habeat Rotam natiuitatis, talem assequitur solutionem. Rotam natiuitatis dicit vitam nostram. Inflammans ergo rotam natiuitatis contaminat vitam: & quomodo? dum temere ac petulanter mouetur, vnde † exasperatur vita nostra, siue tempus vitæ nostræ. Hoc enim & Psalmographus coronam appellauit, dicens: Benedices coronæ anni. Rota verò & corona in eo conueniunt, quòd vtraq; circularis est & orbicularis. Rota autem dicitur vita, tanquam inseipsam reuoluta. Quomodo autem contaminat vitam nostram? ita mota sicut antea diximus: propter quæ & sordidata & plena suspiriis vita nostra peragitur. Hoc modo igitur lingua recto sermone circumagatur. Etenim mundus est iniquitatis, veluti ad vilem ac popularem turbam deuoluta & respiciens Nam mundus hoc loco intelligitur multitudo. Aut mundus est, id est ornamentum, siue ornans humanam naturam: per hanc enim cõmunicamus inuicem nostras cogitationes: quãdoquidem in

Luc.16.

E (margin, beside "tis contaminat vitam")

† Habuit quidẽ græcum exemplar ἐκτραχύνεται, potius tamẽ legendum opinor ἐκταχύνεται, id est acceleratur.

F hac quoque significatione volunt nonnulli mundum accipere. Itaque dum fertur ad vilem turbam, iniuriam facit & nocet, ac totum corpus contaminat, & inflammat rotam natiuitatis, inflammaturque à gehenna. Nec tamen hanc difficile est dirigere vt recte moueatur, & eo modo quo velit is qui gubernat. Nam si omnis natura ferarum & volucrum ac serpentium & marinorum domatur, & domita est à natura humana, vtrum linguam, quòd sit incoercibile malum, quòd plena veneno mortifero, nullus hominum domare potest? nequaquam ita esse dicerem. Si enim domari non potest, nec vnquam ad id quod melius est declinat, quomodo per eam benedicimus Deo & patri, & per eam maledicimus hominibus?

bus: Ecce ad eius qui vtitur voluntatem circumagitur?Sed non oportet fratres mei hæc ita fieri. Si enim per ipsam benedicimus Deo, an nô pudor est maledicere hominibus, qui ad Dei similitudinẽ côditi sunt? an iustum est vt ex eodẽ ore egrediatur benedictio & maledictio?non oportet ita fieri. A

Ita lingua pusillum membrum est, & magna iactat. Ecce exiguus ignis quàm magnam materiam incendit. Et lingua ignis est, mundus iniquitatis. Sic lingua constituitur in membris nostris quæ maculat totũ corpus, & inflammat rotã natiuitatis: & inflammatur à gehẽna. Omnis enim natura & ferarum & uolucrum, serpentiúmque & marinorum domatur, & domita est à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest? incoercibile malum, plena ueneno mortifero. Per ipsam benedicimus Deo & patri, & per ipsam maledicimus hominibus, qui ad similitudinem Dei conditi sunt. B

Ita & lingua. Tanquam diceretur: Ad eundem modum & lingua recte moueri debet, quę etsi pusillum sit membrũ, magna tamen operatur, bona videlicet & mala: non est autẽ adeo explicitus sermo, quoniam abbreuiati verbi discipulus est is qui hoc scribit. *Mundus iniquitatis.* Mundum hoc loco volunt quidam significare multitudinem, quemadmodum etiam vbi dicitur, Mundus eum non cognouit, hoc est popularis multitudo. Mundus igitur est & lingua, id est multitudo iniquitatis, & quanta sit multitudo ibi dictũ est quum præmisit † Quàm magnam materiam. *Omnis enim natura.* Quæ sunt huius obiectionis, intelligere oportet iuxta ea quæ prius dicta sunt. Quum enim prius dixisset ac ostendisset per frenum & per gubernaculum quòd ea quæ pusilla quidem sunt, magna efficiunt dum recte mouentur, ac subiunxisset, quòd pari modo & lingua debet circumagi recto sermone: ostendit nunc subiectis exemplis, quòd impossibile non sit illi imperare: tanquam diceret: Sed dicet aliquis, quòd lingua quanquam pusillum sit membrum, attamen magna operatur, & bona & mala: neque obsequens C *Iohan. 1.* *Imò potius ad illa uerba, Ecce autẽ in ora equorum.*

D neque tractabilis est à nobis ad ea quæ volumus. Nihil hoc agit ad responsionem. Nam si feras sua natura nō domesticas domat homo, sæuas quidem aspectu at longe magis sæuas ad tractandum, nōne multo magis proprium membrum tractare posset, vt sibi facile obtéperaret? Ideo etiam quod ait, Linguam autem nullus hominum domare potest, non est affirmatiue legendum, sed per dubitationem aut interrogationem, vt hoc modo dicatur: Si feras indomitas mansuefacit homo & tractabiles reddit, an ne suam linguam domare poterit? Ita ergo legendum est hoc & intelligēdum. Nam si assertiue diceretur, nequaquam in progressu recte videretur vti exhortatione, quum ait, Non oportet fratres mei hęc ita fieri. Nam si impossibile esset ita adaptare, is qui impossi-
E bilia admonet, nō stabilem ac conuenientē facit admonitionem. Diceret aliquis: Attamen quod ait, Incoercibile malū, plena veneno mortifero, assertiue proferēdum est: hęc enim per augmētum ostēdunt linguam esse intractabilem. Verum ediuerso illud, Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio, dubitatiue est legendum: est enim sermo exhortantis auditores. Nam si iubemur omnes benedicere, Siquidē maledici regnū Dei in hæreditatē nō consequentur, an nō pudet eodem vti mēbro ad ministeriū iniquitatis & bonę operationis? Nemo prudens eodem instrumēto lutū moneret & vnguentum. Oras? Ne maledicas inimico. Nam oratio & ma-
F ledictio, magno dissident interstitio. Nisi remiseris ei qui te
Matth. 6. contristauit, neque remittetur tibi: sed maledicēdo teipsum capies, quum oras vt tibi remittātur debita, quemadmodum & tu remittis debitoribus tuis. Sed præstabit vt facilioris consequentiæ gratia totam particulam in medium proferamus ad debitum phrasis ordinem, nonnulla quæ desunt addentes: erit autem in hunc modum: Ecce in ora equorum frena immittimus vt pareant nobis, & totum corpus eorum circumagimus: ecce quoque naues quum tantę sint, & à ventis sæuis agātur, à minimo gubernaculo circumagūtur quocunque impetus dirigentis voluerit. Ita ergo & lingua recto sermone circumagatur. Neque id difficile est. Omnis enim natura & ferarū & volucrum serpētiumq; & marinorum domatur, & domita est à natura humana. Quod si hęc ita sunt, linguam nullus domare potest? id nequaquam dici potest.

Ex eodem

Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio? A
Non oportet fratres mei hæc ita fieri. Nunquid fons ex eodem foramine emittit dulcem & amaram aquam? Num potest fratres mei ficus oleas gignere, aut uitis ficus? Sic nullus fons salsam ac dulcẽ potest edere aquã. Quis sapiens & scientia præditus inter uos? Ostendat ex bona conuersatione opera sua cum mansuetudine sapientiæ. Quòd si æmulationem amaram habetis & contentionem in corde uestro, nolite gloriari & mẽdaces esse aduersus ueritatem. Non est enim ista sapiẽtia è supernis descendens, sed terrena, animalis, diabolica. B
Vbi enim æmulatio & contentio, ibi inconstãtia & omne opus prauũm. Quæ autem è supernis est sapientia, primum quidem casta est, deinde pacifica, modesta, tractabilis, plena misericordia & fructibus bonis, absq; diiudicatione, sine simulatione. Fructus autẽ iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem.

Ex eodem ore. quod huiusmodi sacrorum disciplinam acceperit, nihil amarum emittatur, nihil ingratum. *Quis sapiens inter uos?* Quum homines essent ambitiosi, & ob sapientiam huius mundi gloriarentur, ex contentione & æmulatione rectorum præceptorum prædicabant, aperte plebem ad seditionẽ solicitantes; & præterea inuidia tabescentes ac permiscentes humana diuinis, vt eorum quæ dicerentur nouitate attraherentur auditores: vnde etiam prodierunt hæreses. Expleto igitur sermone de linguæ petulantia ac intemperantia, transit deinceps ad inuidiam, quæ hominibus ex simili temeritate innascitur: & ait has doctrinas non esse constitutas ac firmas, quum neque ex diuina sint sapientia sed dæmoniaca. Hæc autem dixit bonum exhortans preceptorem, dicens vt ex mansuetudine suam ostendat sapientiam per bona opera. Quoniam autem nomen zeli, id est æmulationis, medium est & ex se indifferens ad bona & mala. (Est enim zelus siue æmulatio motus animi instigatus ad C

D aliquid cum aliqua assimilatione eius ad quod est studium, vel adfectus) propterea subiunxit Amaram, ostendens ad quid sit æmulatio. ἐρίθεια vero est vituperabilis contentio & pertinacia. *Primum quidem casta est.* id est, pura & sine sorde, nulli rei carnali adhærens. *Absque diiudicatione.* non discernens obseruationes ciborum & variarum lotionum. De his
Colo. 2 autem exacte differit Paulus in epistola ad Colossenses.

Cap. IIII. *Vnde bella ac lites inter uos? nonne hinc, nempe ex uoluptatibus uestris quæ militant in membris uestris. Concupiscitis & non habetis: occiditis & æmulamini, nec potestis adipisci, pugnatis ac bellatis, & non ac-*
E *cipitis id propter quod postulatis. Petitis & non accipitis eo quòd male petatis, ut in uoluptatibus uestris insumatis. Adulteri & adulteræ nescitis quòd amicitia mundi inimicitia est erga deum? Quicunque ergo uoluerit esse amicus mundi, inimicus dei constituitur.*

Ostendit quòd licet præceptoris sermonē effingant, toti tamen carnales sunt, & indignissima patrant, voluptates sibiipsis accersentes: hi quidem mensam delicatiorem (quod & Paulus ipsos arguendo dicit: Nam qui tales sunt, inquit,
Roma. 16. domino non seruiunt, sed suo ventri) alij vero possessionem pretiosorum agrorum, aut domorum concupiscentes: alij
F rursum familiam assumere, aut domum domui coniungere: alius autem aliud quippiam, in quibus malignus ille imponit ipsis, conando illorum deprędari animas. *Concupiscitis & non habetis, &c.* Per θέσιν & ἄφεσιν, id est, positionem & ablationem procedit: quum thesis assumitur propter absurditatem, absurditas autem propterea quòd incitamenta voluptatis postea conspiciantur latere in thesi Nam & concupiscentia in perfectione voluptatum finitur, & cędes ac æmulatio, pugnaque similiter ac bellum non sunt bona: ideo neque illa consequuntur quorū caussa hæc affectant. Animaduertendum est autem hoc loco quòd cædem & bellum dicit non corporalia: hoc enim graue esset etiam de latronib' cogitare: multo ergo minus de his qui aliquantum fideles erāt, & ad dominum accedebant. Sed vt mihi videtur, occidere dicuntur

dicuntur illi qui temerariis his conatibus suam occidunt animam, propter quod etiam bellum ipsis est aduersus pietatem. Et quemadmodum in progressu adulteros vocat & adulteras, non quòd omnino tales sint, sed quòd diuina recteq; instituta præcepta constuprent, declinando ad alia illegitima. Neque enim tolleraret quispiam scortatorem præceptorem, etiam si magis quàm porci cœnó inuolutus esset: ita ergo cædes ac bella dicit non corporalia, sed animam concernentia. *Petitis & non accipitis.* Quemadmodum Pharisæus de quo in euãgelio secundum Lucam: nam quanto plura recensebat sua bona opera, tanto magis diuinas obturabat aures, & inanis amplitudo verborum circa labia defluebat, & in spumam dissoluebatur in modum æstuantis fluctus. Sed dicet aliquis: Si domini Iesu præceptoris qui mentiri nequit vera est promissio qua ait: Omnis qui petit accipit, quomodo hæc nunc dicit præsens Apostolus? Sed dicimus quòd is qui debita via & ordine ad petendum procedit, habet etiam integram promissionem, in nullo frustratus his quę petũtur. Si vero procedẽs extra scopum traditæ petitionis petere videbitur, non petens sicut oportet, ne petit quidem, ideo non accipiet. Quęmadmodum enim verbi gratia, si præceptor grammaticus promittat se doctorum omnẽ ad se accedentẽ grammaticam, ille autem qui discere cupit indebite accedat, nec seipsum dirigat ad eorum quę promissa sunt receptionẽ, deinde similis suæ absurditati euadat, num quispiam preceptorem merito accusauerit mendacij? talis certe non prudenter faceret: Neque enim is qui disciplinam accepturus erat, accessit sicut præceptor exhortabatur. Diceret autem aliquis: Et quomodo, aut quid petere oportet? Ipsũ audi qui promissionem fecit. Petite regnum dei & iustitiam eius. Manifestum ergo quòd is qui ita petit & potissimum de talib⁹: neque aliis frustrabitur, quę accipiens nõ cadet extra ea quę sunt suæ salutis. Qui vero nociua ac damnosa petit, hunc nõ habebit ea tribuẽtem à quo omnis donatio bona. Sed etiam diuinam petens notitiam, aut spirituale aliquod donum ad voluptates petens, non accipiet: male enim petit, & malũ est ad sui perditionem: porrò deus nequaquam tribuit mala. Adulteri & adulteræ. *Nescitis quòd amicitia mundi.* Quoniã paucis reprehenderat in superioribus quosdam falso sapientes,

A — Luc. 18 — B — Mat. 7 — Luc. 11 — C — Mat. 6

D tes, qui diuinam constuprarent scripturam, & peruerso ordine ipsa vterentur ad suam voluntatem, vt hinc patrocinium haberent suæ voluptuosæ vitæ: hoc autem ex nullo alio oritur quàm ex arrogātia fastuque superbiæ, propterea quoque nunc grauius procedit & probrosis vtitur verbis, à sua leuitate maxime alienis, vocans tales adulteros & adulteras, & arguendo pudefaciens, ac talibus propemodum vtens accusationibus: Dic mihi vane: Sapientem teipsum exhibere vis? & vnde vobis quòd cum contentione & bello continue viuatis? semperque affixi sitis præsentibus, ac præsentis vitæ iucunditatem certo ac immoto animo prosequamini? id non est sapientium, sed vulgarium virorum: & qui ad mundi amicitiam declinarunt, & vos ostendit adulteros qui reconditæ

E & diuinæ ac honestæ pulchritudini vulgarem & prophanam turpemque præferatis, & inimicitiam erga deum geratis ob affectum ad præsentia. An nescitis quòd mundi amicitia alienat à diuina amicitia, aut dei reddit inimicos? mundum hoc loco nominans omnem materialem crassamque vitam, tanquam matrem corruptionis, cuius is qui particeps esse conatur, dei inimicus efficitur. Nam propter studium circa inutilia, negligenter ac fastidiose se habet ad diuina, quod circa solos illos nobis contingit quos odio habemus nostrique sunt inimici. Quum itaque duo sint circa quæ student homines, nempe deus ac mundus, & circa vtrunque horum versentur duo, amicitia & odium: circa vtrumuis horum studiosi esse deprehendamur, alterum penitus negli

F gere videmur. Studium autem parit amicitiam, negligentia vero odium. Qui ergo diuinis adhæret, dei amicus est, & dicitur: Qui vero deum negligit, & his quæ mundi sunt tenaciter adhærere deprehenditur, hic inter eos reputetur qui maxime sunt dei inimici. Quoniam vero hæc & omne huiusmodi malum ex fastu & superbia falso sapientium præceptorum ortum habuisse ostensum est, altero rursum argumento vsus est, ipsos à talium ebrietate resipiscere volens & à crapula liberare, & ait:

An putatis quod inaniter scriptura dicat ad inuidiam? Concupiscit spiritus qui habitat in uobis: maiorem autem dat gratiam?

Tale

Tale quippiam per hæc significat, per defectum vtens ser mone, & rursum per vsum abbreuiati verbi. Ait ergo: Ego quidem propriis verbis reprehendi vos circa rectum & irreprehensibilem vsum sapiētiæ vestræ, ne ex arrogantia abutentes ipsa, adulteretis ac dolose tractetis doctrinæ sermonem. Quod si & à scriptura hoc expetitis, audite: Nam hæc dicit: Dominus superbis resistit. Itaque non absurde dicebā, procedentem ex superbia contemptum diuinorum dogmatum & magnum erga mundum studium, inimicitiam ad deum constituere. Si enim superbis resistit, inimicis autem resistere solemus, vtique etiam superbi inter inimicos connumerari debent. Non enim inaniter, aut vane, vel ad inuidiam scriptura difficilia nobis & vires nostras excedentia præcepta publicat, sed quòd concupiscat siue expetat sua exhortatione inhabitantem in nobis gratiam. quam vbi per spiritualem modestiam inuenerit operantem in nobis, maiorem dat gratiam. Itaque si scripturæ obtemperatis, humiles vos reddite & abiectos coram domino, & inuenietis gratiam per exaltationem illius. ὑπερηφανία autem vitium est penitus inflans, quam elationem dicimus: & differt ab arrogantia quæ οἴησις dicitur, quoniam illa de his quæ habet extollitur: hæc autem de his quæ nullo modo sibi contingunt. Opposita vero ex diametro humilitas, siue animi modestia magnum bonum est. Et quoniam vtrunque voluntariè nobis contingit, quisquis per arrogantiam seipsum exaltat, præter hoc quòd à domino condemnatus est, insuper etiam ab ipso humiliatur: exaltato per occasionem illo qui seipsum ex animi modestia deiecerat: vtpote ea duce, certaminibus spiritualem sublimitatem conciliantibus illi qui in his sese exercuit. *An putatis quòd inaniter scriptura dicat, aut ad inuidiam?* nihil horum, sed concupiscit siue expetit gratiam in vobis per suam exhortationem inhabitantem. Est autem simile per reticentiam responsionis, sicut illud in Iob: Putas me alio fine tibi respondisse quàm vt iustus appareas? Etenim hoc loco responsio, Non, expressa non est. *Concupiscit spiritus.* Spiritum dicit bonum propositum, quemadmodum etiam Dauid dicit, Spiritu principali, hoc est domini voluntate qua immittit afflictiones: & spiritum rectum dicit voluntatem rectam.

Margin: A; 1. Pet. 5; B; C; Psal. 50

Subditi

D *Subditi ergo estote deo. Resistite diabolo & fugiet à uobis. Appropinquate deo, & appropinquabit uobis. Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo. Affligimini & lugete ac plorate. Risus uester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Deiiciamini coram domino & exaltabit uos. Ne detrahatis uobis inuicem fratres. Qui detrahit fratri, quique iudicat fratrem suum, detrahit legi & iudicat legem. Quòd si iudicas legem, non es obser*
E *uator legis, sed iudex. Vnus est legislator qui potest saluare & perdere. Tu quis es qui alium iudicas?*

Purificate corda duplices animo. Duplices animo vocat & hoc loco & in superioribus eos qui nō vno certo modo viuere volunt, sed aguntur ac feruntur in nequitia hominum. Neque enim vno modo habitant in domo sub domino. Quod autē
Iob.1. anima etiam vita dicatur, sufficienter nos in Iob docebit illud, Pellem pro pelle & omnia quæcunque habet homo dabit pro anima sua. *Ne detrahatis uobis inuicem.* Nouit fastum ac superbiā oriri ex contemptu & detractione aduersus māsuetos, quæ impellit eos qui ipsa vtuntur ad plenum horum contemptum. Ab hoc igitur ipsos abducens, per ea quæ hic subiiciuntur vult eos reddere modestos, dicens: *Detrahit legi & iudicat legem:* hoc est condemnat, despicit. Nam qui
F condemnat, ex contemptu id facit. Quam autem legem? Pri
Matt.7. mum quidem eam quæ præcipit: Ne iudicetis vt non iudi-
Psal.100. cemini. Præterea eam quæ in Psalmis est: Detrahentem clā proximo suo hunc persequebar. Et quòd hoc ex contemptu fiat, subiungit: Quòd si legem iudicas siue condemnas, non es obseruator legis. Quem enim contemnit quispiam, quomodo feret vt deinceps sub eius viuat imperio? Nō ergo inquit contemnas, & tanquam contrarium legislatorem te habeas. Neq; enim tibi licet quum solus vnus sit legislator deus, qui potest suæ legis transgressores saluare ac perdere. Nam hoc legis est ac legislatoris, suos trāsgressores supplicio obnoxios reddere, non tuum est qui ad hæc nihil aliud quàm nugari potes. Præterea in temetipsum incurris ac tibi cōtrarius es,

rius es, aduersus teipsum ferens sententiam. Quum enim eadem facias cum illo cui detrahis, eo ipso quo eum condẽnas, teipsum longe antea condemnas. *Tu quis es qui alium iudicas?* contemnendo: hoc est, quum talis sis, quomodo iudicare siue condemnare audes eum qui similiter affectus est? A

CAPVT VI.

Quòd non per hominem sed per deum gressus uiri diriguntur: in quo etiam tractatur de auaritia diuitum, & ipsorum delitiis in hoc mundo, ac de iusto dei iudicio.

AGite nunc qui dicitis, Hodie & cras proficiscamur in hanc ciuitatem, & agamus ibi annum unum, & negotiemur ac lucrum faciamus (qui ignoratis quid futurum sit postero die. Quæ est enim uita uestra? uapor enim est qui ad exiguum tempus apparet & deinde euanescit) pro eo quod dicendum uobis erat, Si dominus uoluerit, & si uixerimus, faciamus hoc aut illud. Nunc autem gloriamini in arrogantiis uestris. Omnis exultatio talis mala est. Igitur qui nouit recte facere nec facit, hic peccato tenetur. B

Qui dicitis. Hodie. Non tollit potestatem aut liberum arbitrium, sed ostendit non esse totum in manu eius: nam superna quoque opus est gratia. Licet enim & certare & currere ac negotiari, omniaque agere quæ sunt ad vitam: nô tamen hæc propriis laboribus attribuere, sed diuinę benignitati. Ait nãque Ieremias: domine non in homine est vita ipsius, & parœmiastes: Ne glorieris in crastinum, quum ignores quid pariturus sit insequens dies. *Quæ est enim uita uestra?* Hæc dicit, vanitatem ac abiectionem vitæ nostræ designãs: & pudefaciens nos, quòd circa id omne tempus vitæ nostræ consumamus, ac in temporariis malis, & in his quæ simul vt exorta sunt euanescunt, omnis labor noster expleatur. Hoc & Dauid perstringit dicens: Veruntamen in imagine pertransit homo, tamẽ frustra côturbatur: hoc est circa id quod nô est, sed in solo phantasmate subsistit: huiusmodi namque res est imago: aut circa id quod non est idem subsistens, sed C Iere.10. Pro.27. Psal.38.

quatenus

D quatenus aſſimilationem habet & coniecturam cũ vita quæ vere procedit. *Vapor enim eſt.* Vapor eſt coagulatio aerea ab ignis calore ex humore exhalans, minimam habens ſubſiſtentiam. Nam propter vehementem tenuitatem, facile circumſtanti corpori cedendo euaneſcit ac diſſoluitur, veluti modicus humor accedente aqua. Tali aſſimilauit vitam noſtram, idque ſcite admodum. Porrò ſermone tali exẽplo intercepto, rurſum ex hypoſtrophe reddit quod ipſi cõſequẽs erat. Eſt enim tota particula hoc modo ordinãda: Agite nũc qui dicitis, Hodie & cras proficiſcamur in illam ciuitatem, & agamus ibi annum vnum, & negotiemur ac lucrum faciam': pro eo quod dicendum vobis erat, Si dominus voluerit, & ſi
E vixerimus, faciamus hoc aut illud. Nunc autem gloriamini in arrogantiis veſtris. Quum ita vera conſequutio ſermonis eſſet, non hoc facit, ſed poſtquam exemplo interſecuit ſermonis conſequentiam, deinceps ſubiunxit quod deerat, per imaginem rei probans ac conuincens ſubeſſe vanitatem in eo quod nos diſtrahit circa hunc mundum. Eſt enim hoc modo intelligendum. Gloriamini in arrogantiis veſtris. Quinãã qui ignoratis quid poſtero die futurum ſit. Quę eſt enim vita veſtra &c. Per hoc autem quod ait. Quæ eſt enim vita veſtra, contemnens vitam, & per hoc viam præſtruens exem-
F plo ad fragilitatem poſito, ita ſubiungit & exemplum, reddens hoc firmiſſimum. *Gloriamini in arrogantiis ueſtris.* Arrogans & arrogantia affectus eſt de rebus nõ ſubſiſtentibus. Ideo etiam ἀλαζὼμ dicitur ὁ μετὰ ἄλης ζῶμ. i. cum mari viuens, hoc eſt cum re inſtabili nec habente ſubſiſtentiam. *Omnis exultatio talis mala eſt.* Repetit vanam gloriationem quę ex ſuperbia oriri cupit, & tanquam ſuum cõcludens ſermonem infert quòd mala ſit: quòd ſi mala, vtique etiam à maligno eſt. Non oportet autem eos qui per baptiſma domino conſecrati ſunt, vllas ſuſcipere à maligno iuſperſiones. Infert autem & hoc: Igitur qui nouit recte facere nec facit, hic peccato tenetur: rurſumque falſos doctores corripit. Num hæc
Mat. 5 audes, corripere quum nõ prius in his recte te geſſeris? Beatus enim inquit non qui docuerit, ſed qui fecerit & docuerit. Oportet enim vt opera ſermonem præcedant, quoniam iuſtus exhibitam fidem annuntiat. Nam qui ſoluerit, inquit, dominus, vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines,

mines, id est, inaniter, nempe ea in quibus nō laborauit, minimus vocabitur: magnus autem is, qui simul & fecerit & docuerit: quandoquidem & ipse deus & homo horum doctrinam tradebat quæ primū facere cœperat. Huiusmodi quoque videtur quod ait Paul⁹: Qui gloriatur, in domino glorietur: hoc est, secundum dominum, illius longe antea vtens exemplo, & ita faciens & ita docens. Quoniam & Dauid quum ait, In domino laudabitur anima mea, non aliud dicit, quàm quod gradiens iuxta domini præcepta laudetur. A Acto.1. 2 Cor.10. Psal.33.

Agite nunc diuites, plorate eiulantes super miseriis uestris quæ superuenient. Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt: uestimenta uestra tineis obnoxia facta sunt. Aurum & argentum uestrum erugine uitiatum est: & erugo eorum in testimonium uobis erit, & exedet carnes uestras sicut ignis. Pro thesauro recondidistis uobis iram in extremis diebus. Ecce merces operariorū qui messuerunt regiones uestras, quæ fraude non reddita est à uobis, clamat: & clamores eorum qui messuerant, in aures domini sabbaoth introierunt. In delitiis uixistis super terrā & lasciuistis, enutristis corda uestra tanquam in diem occisionis. Cōdemnastis & occidistis iustum, nec resistit uobis. Cap.V. 1 B

Agite nunc. Diuitum tenacitatem ac parcitatem facit lamentationem ipsorum, eiulare eos iubens, hoc est lamentari, vt qui ad interitum & perditionem suas recondant diuitias, nec ipsas insumāt in egenos: sola namque diuitiarum in hos insumptio non perit, sed insumenti integra seruatur. Propterea etiam dicit Parœmiastes: Mitte panem tuum super faciem aquæ, hoc est super apparentem quidem dissolutionem ac corruptionem (hoc enim consequi natum est panem in aquas proiectum) attamen nequaquam deperditur, sed sui corruptione refrigerium nobis conciliat, quando futurum esset vt lingua in flamma cruciata, egestate guttæ aquæ premeremur. *Diuitiæ uestræ,* siue opulentia vestra. Subaudiendum est ὃν, id est, quam opulentiam, vt sit sensus: C Eccles. 11.

Diuitiæ

† Hoc scholiũ nõ satis quadrat literæ, maximè sub hac ipsius distinctione. Sequũtur quidem in textu ea quæ adducit uerba, sed alio modo ordinata, & ad uerbum ἐθησαυρίσατε iungitur accusatiuus ὀργήν, i. irã. Noluimus tamen quicquam ab exemplari immutare.

D Diuitiæ vestræ † quas tanquam ignem pro thesauro recondidistis exedent carnes vestras. *Putrefactæ sunt, & uestimenta uestra.* Putrefactio, inquit, diuitiarum & vestimẽtorum corrosio siue exesio à tineis, & erugo auri & argenti feret aduersum vos testimonium, arguens tenacitatem vestram. Propter quod in extremis diebus (dicit autem domini aduẽtum) inuenietis diuitias vestras recõditas vobis in perditionẽ : quod etiam diuiti contigit, de quo in euangelio. *In delitiis uixistis.* Discurrebant Iudaici principes deuorãtes pauperes, & pinguescebant honoribus qui deferebantur ab omnibus, sed parabantur ad occisionem sub manibus Romanorum. Et maxime quia dominum qui solus erat iustus condemnarunt, & E occiderunt non contendentem neque vociferantem. Ideo nunc dicit: *Occidistis iustum.* Proculdubio hoc ad Christum refertur. Per illud tamen quod addit, Non resistit vobis, cõmunem efficit sermonem etiam ad alios qui similia à Iudæis passi sunt. Fortassis autem & propheticè suam designat passionem.

CAPVT VII.

De patientia ac tolerantia afflictionum, & de ueritate: in quo ponuntur speciales adhortationes cuique conuenientes cum fide : & quòd inseruiendum est saluti proximi.



Onganimes igitur estote fratres usque ad F *aduentum domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, longanimiter expectans illum, donec accipiat pluuiam matutinam & serotinam. Longanimes igitur estote & uos, & confirmate corda uestra, quoniam aduentus domini appropinquat. Nolite ingemiscere alius aduersus alium fratres, ut ne condemnemini. Ecce Iudex ante ianuam assistit. Exemplum accipite fratres mei, afflictionis ac patientiæ, prophetas qui loquuti sunt in nomine domini. Ecce beatos ducimus eos qui sustinent. Tolerantiam Iob audistis, & finem domini uidistis, quòd ualde misericors sit dominus ac commiserans.*

Postquam

Poſtquam Iudaicorum principũ delitias accuſauit,& eorũ A
ſæuitiam ac inhumanitatem erga pauperes, tranſit etiam ad fideles,& ait: Ne hæc vidẽtes offendamini fratres, neque animo deiiciamini,quaſi aut non repoſita ſit in illos vindicta, aut ſit quidem repoſita,ſed nimium tardet. Eſt enim certa vltio,eaque eueſtigio ventura. Dicit autem Romanorum inſultum,& Iudæorum ſub his captiuitatem, quam etiam aduentum domini vocat: quemadmodum & Iohãnes qui ſuper pe- Iohan.21.
ctus domini recubuit, quum de ſuo loquitur interitu, ipſum dominum inducit dicentẽ: Si eum velim manere donec veniam. Etenim huic prorogatum eſt tempus huius vitæ vſque ad captiuitatem Ieroſolymorũ, & paulo vltra illud tempus. Quodque domini aduentus & in hoc loco & in Iohanne ſit B
euerſio Ieruſalem, manifeſtum etiam eſt à propheta qui ait: Ecce dominus veniet,& quis ſuſtinebit diem ingreſſus eius? Mala.3.
vtpote domini aduẽtu ferente aduerſus impios ſupplicium. Sed & Iohannes Chryſoſtomus in quadam enarratione ſua, hoc idẽ donec veniã,explicans: Hoc dictũ,inquit,ſignificare vult omnimodam euerſionem Ieruſalem: idque confirmat ab oratione trium puerorum dicentium: Ita fiat coram Danie.3.
te hoſtia noſtra hodie, & perficiatur poſt te. Ait enim: Quid ſibi vult poſt te? Poſtquam tranſierit furor tuus. Et quando aduenit? Quando Nabugodonoſor excidit Ieroſolyma. Et hæc quidẽ de aduentu. Aiunt aũt quidã patrum ꝙ μακροθυ- C
μίαν quidem hoc loco dicat longanimitatem, quæ ad eos eſt qui inter nos ſunt: ὑπομονὴν verò, patientiã ad extraneos. Lõganimiter enĩ tolerat quis eos quos etiã vlciſci poſſet: ὑπομένει verò, quos nõ poteſt vlciſci. Propterea in deo quidem nũquam dicitur ὑπομονὴ ſed μακροθυμία, in hominibus verò ὑπομονή. *Donec accipiat pluuiam matutinã.* Pluuia matutina eſt pœnitentia peracta in iuuentute cum lachrymis, ſerotina verò quæ in ſenectute Omnia verò pendẽt ex dei benignitate, ideo dicit, donec accipiat.

Ante omnia autẽ fratres mei ne iuretis, neque per cœlũ, neque per terrã, neque aliud quodcunque iuſiurandum. Sit autẽ veſtrum Certe Certe, Non Non, ut non in condemnationem cadatis.

Sed dicet aliquis: Si quis iurare cogatur, quid faciẽdũ eſt?

D Dicimus, quòd timor dei fortior erit necessitate vim inferente. Dubitare autem posset aliquis, Quum vetus lex eum qui per nomen domini iurat laude dignum ducat, quomodo gratia hoc facere vetet? Dicimus ergo, ꝙ vetus lex abducẽs Iudæos ne per idola iurarent, præcipiebat iurare per deum: quẽadmodum etiam deo sacrificare præcipiebat, abstrahens eos ne idolis sacrificarent: vbi autem sufficienter dei cultum docuit, tunc & sacrificia tanquã inutilia repulit: non sacrificium animaliũ exquirẽs, sed animã contritam in sacrificiũ. Quæ est autem illa? Quæ per animi modestiã tota incenditur igni charitatis: qualis etiã fuit Pauli anima, qui eo ꝙ nõnulli fidelium offenderentur, mirum in modum incendebatur.
E *Sit autem uestrum Certe Certe.* Hoc est, depositio vestra firma sit & in re firma, & negatio in his quæ facto nõ respõdent. *Vt non in condemnationem cadatis.* ὑπόκρισιν dicit κατάκρισιν, id est cõdemnationẽ, quæ subsequitur eos qui incessanter & sine delectu iurant: & iurandi consuetudine ad periuriũ feruntur. Aut etiam dictio ὑπόκρισιν hoc loco proprium habet significatum (puta simulationẽ) quod aliud est & aliud apparet. Quomodo ergo in hypocrisim cadit is qui iurat? Quum iuramento creditur quidem verax esse, at subsequenti transgressione mendax pro veraci deprehenditur. Aut etiam quia ναὶ, id est certe, nõ ad confirmationem
F profertur, neque οὒ, id est non, ad id quod non respondet facto. Per deum autem iurare prohibet propter periurium: per cœlum verò & reliqua, ne & hæc ad diuinum honorem referantur. Quicunque enim iurant, per maiorem iurant.

Affligitur aliquis inter uos? oret. Aequo animo est aliquis? psallat. Infirmatur quis inter uos? accersat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini. Et obsecratio fidei saluum reddet laborantem, & eriget eum dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Cõfitemini inuicem delicta, & orate pro uobis inuicem ut sanemini. Multum ualet deprecatio iusti efficax. Elias homo erat similiter obnoxius affectionibus sicut nos, & precatione precatus

precatus est ne plueret, & non pluit super terram annos tres & menses sex. Rursumq; orauit, & cœlũ dedit pluuiam, & terra produxit fructum suum. A

Afflictionem comitatur oratio, vt ei qui affligitur leuior fiat exitus afflictionum siue tentationum deinde vbi precatione placauerit ea quæ nobis molesta sunt, & ad suũ statum ac tranquillitatem peruenerit anima, tunc psallat, vt quæ sibi commoda sunt multiplicentur, ac delectetur spirituali exultatione, hilarem ac iucundum animi statum, iuxta Magnum quoque nostrum Basilium, Hymnorum siue diuinarum laudum consolationes conferunt. Itaque qui non ita processit, neque ad huiusmodi statum peruenit, quem & Dauid sanctitatem vocat: Psallite, inquiẽs, domino sancti eius, magnas agit nugas, vanè & inaniter psallens, quemadmodum etiam prouerbio dicunt. *Vngentes oleo.* Hoc etiam domino inter homines adhuc conuersante faciebant Apostoli, vngentes ægrotos oleo & sanantes. *Deprecatio efficax.* Efficax est iusti oratio, quando is pro quo precatur, spirituali afflictione iuuerit eum qui precatur. Si enim aliis pro nobis orãtibus, nos vacemus deliciis ac dissolutionibus, vitæque plenæ trãsgressionibus, dissoluimus per hoc vehementiam orationis quæ certat pro nobis: & completur in nobis illud beati † Petri: Vnus ædificãs & vnus destrũẽs, quid prodest illis nisi labor? Epista.1. B Psal.29. Mar.6. †Verius, Eccli.34.

Fratres si quis inter uos errauerit à ueritate, & conuerterit quis eum, sciat quòd qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluam faciet animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. C

Et conuerterit quis eum, sciat. Quia inseruiendum est saluti proximi. *Qui conuerti fecerit peccatorẽ.* Hoc & Ieremias dicit: Et si separaueris pretiosum à vili, quasi os meũ eris. Dei namque os efficitur quisquis illius sermones annuntiat. Non enim vos estis, inquit, illi loquentes, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Propter quod etiam peccatorem prohibet per Dauid, ne enarret iustificationes suas, & testamentum assumat ore suo. Iere.15. Matt.10. Psal.49.

Finis, diuino fauente auxilio, epistolæ catholicæ Iacobi.

D ARGVMENTVM PRIORIS
catholicæ Petri epistolæ.

HAnc epistolam scribit Petrus Iudæis, qui effecti Christiani variis locis erāt dispersi, qua docet eos. Nam eos qui ex Iudæis crediderant cōfirmat. Et primum quidem enarrat & ostendit quòd fides in Christum à prophetis annuntiata sit, & per ipsos significata redemptio quæ per ipsius sanguinem fieret: quodque ipsis ac Gentibus annuntiata sint omnia, ad quæ desiderāt angeli prospicere. Deinde vbi suasit, vt dignè ad eum qui ipsos vocauit conuersentur, exhortatur vt etiam regibus honorē
E deferant, & mulieribus ac viris concordiam præcipit, & pauca circa mores exhortatus, significat, quòd etiam in infernum facta sit à domino prædicatio salutis ac resurrectionis: vt qui prius mortui sunt, resurgant quidem & iudicentur in corpore, sed per gratiam resurrectionis perseuerent. Et quod finis omnium deinceps immineat, debentque omnes parati esse, tanquam iudici rationē reddituri: & ita concludit epistolā.

Prior Catholica

F
PETRI EPISTOLA.

CAPVT I.

De regeneratione in Christo, & de patientia in tentationibus & afflictionibus, ac de salutari fide quæ prænuntiata est à prophetis.

Cap. I.

Etrus apostolus Iesu Christi electis aduenis sparsim incolentibus Ponti Galatiam, Cappadociā, Asiam & Bithyniā, iuxta præscientiam dei patris, in sanctificationem spiritus, in obedientiā & aspersionē sanguinis Iesu Christi, gratia uobis & pax multiplicetur.

Series

A Series & ordo hoc modo colligitur: Petrus Apostolus Iesu Christi iuxta præscientiã dei patris in sanctificationẽ spiritus in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi, reliqua verò per interpositionem collocentur: nam significant ad quos scribatur epistola. Vsus est autem ea particula Iuxta præscientiam dei, ad significandum quod in nullo sit prophetis posterior qui & ipsi missi fuerant, nisi tempore. Quòd autem missi fuerint & prophetæ, dicit Iesaias quũ ait: Ad annuntiandum pauperibus lætum nũtium misit me. Sed quanquam tempore posteriores tulerit, non tamen præsciẽtia dei, sed in hoc parem se demõstrat cũ Ieremia, qui priusquam in vtero formatus fuisset, cognitus fuerat & sanctificatus ac propheta ad gentes designatus. Et quoniam prophe ta inter cætera, Christi aduentum designauerant (ad hoc enim missi fuerant) hic necessitatem sui addit apostolatus dicens: In sanctificationem spiritus missus sum in obedientiã & aspersionem sanguinis Iesu Christi: hoc significans per ea quæ proponuntur: Hic est modus mei apostolatus, ad segregandum: Nam hoc designat per sanctificationem: sicut quũ dicitur, Et eritis mihi populus peculiaris sanctificatus, hoc est segregatus ex aliis gentibus. Modus igitur apostolatus ipsius fuit, vt separaret per dona spiritualia gentes obedientes, aspersas passione & sanguine Christi, non cinere iuuencæ, quum purgari oporteret, sumpta occasione à coinquinatione ethnicorum: sed sanguine accepto à passione Christi. Simul autem & præludio quodam tangit martyrium sanguinis propter Christum susceptum ab his qui credũt in ipsum: nam qui per obedientiam vestigia sequitur præceptoris, quũ omnino necesse fuerit, nec ipse recusabit proprium fundere sanguinem, pro eo qui suum pro toto mundo effudit. *Petrus Apostolus Iesu Christi.* Hic illis scribit qui erant ex circũcisione, sicut & beatus Iacobus, sed ille quidem indefinite omnibus Iudæis qui orbem inhabitarent, vbicunque essent: hic autem definite climatibus ponti Galatiæ, Addidit autem Ponti ad Galatiam. Est enim & alia iuxta Celtas Galatia quæ etiam vere Galatia est, à qua & hi transmigrauerant de quibus nunc agit. His ergo cæterisque gentibus quæ in præscriptione ponuntur sermonem dirigit, vniuersali siue generali hac vsus epistola. Literæ ergo series hæc est, cum

Margin: *Iesa. 61.* B *Deut. 14.* C

D additione eorum quę per defectum dicta sunt manifestatio-
nis gratia, præterea etiam cum trāſſumptione ac mutatione
figurarum ad verbum. Petrus Apostolus Iesu Christi iuxta
præſcientiam dei patris, miſſus ad ſegregandum ipſi in ſpi-
ritu,& obedientes faciendum eos qui expiatricem ſuſcepe-
runt aſperſionem ſanguinis Iesu Christi, vobis electis adue-
nis ſparſim incolentibus Ponti Galatiam, Cappadociam,A-
ſiam,ac Bithyniam,gratia & pax multiplicetur. Benedictus
deus & pater domini noſtri Iesu Christi qui per incredibi-
lem ſuam opulentiam & miſericordiam per reſurrectionem
Iesu Christi ex mortuis regenerauit nos, ſiue tranſmutauit
E & tranſpoſuit in ſpem viuam, in hæreditatem immortalem
& incontaminabilem & immarceſſibilem, repoſitam his qui
potentia cuſtodiuntur per fidem: quæ fides patefacta eſt no
bis ad ſalutem in tempore hoc extremo,in quo tempore pau
lulum (quandoquidem breuis ac modica eſt præſens vita)
modo mœrore affecti (etiam ſi oporteat vos mœrore affici
propter varias afflictiones ac tentationes) exultatis, hoc
ſcientes quòd exploramini, vt comprobatio fidei veſtræ lō-
ge pretioſior auro quod perit & probatur per ignem, re-
periatur in laudem & honorem & gloriam veſtri, tūc quum
reuelabitur Iesus Christus, quem Iesum Christum, quum
F antea corporaliter non videritis, diligitis: in hunc autem
vobis non viſum credentes, exultatis gaudio ineffabili, re-
portantes finem fidei veſtræ, & quis ille eſt? Salus animæ:
de qua ſalute etiam prophetæ ſcrutati ſunt & exquiſierunt.
Electis aduenis. Aduenis, aut propter diſperſionem dixit,
aut etiam quia omnes qui ſecundum deum viuunt aduenæ
Psal.38. ſunt in terra, quemadmodum etiam dicit Dauid: Aduena
ego ſum apud te & peregrinus ſicut omnes patres mei. Si-
gnificat autem nomen παρεπίδημος aliud quàm προσήλυ-
τος. Id enim ſignificat eum qui aliunde ſiue peregrè ad-
uenit, hoc autem παρεπίδημος plus aliquid & abiectius.
Quemadmodum enim πάρεργον, id eſt quod obiter fit, vi-
lius eſt quàm ἔργον, id eſt opus, & πάροδος, id eſt tran-
ſitus, minus eſt quàm ὁδὸς, id eſt via: Siquidem opus & via
ſunt propria,& quæ ſtudio aguntur,tranſitus autem & quod
obiter fit, veluti quæ his ſeſe ingerunt: Ita & παρεπίδημος
tanq̄ ſubſiſtentiæ ſeſe ingerens, abiectius quiddā ſignificare
videtur

videtur, quàm ἐπίδημος. *Gratia uobis & pax multiplicetur.* A
Gratia, eo quòd gratis saluemini, quum nihil ad id contuleritis. *Et pax:* hac enim opus est iis qui suum dominum offenderunt, & inimici ipsius constituti sunt.

Benedictus sit Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui iuxta copiosam misericordiam suam regenerauit nos in spem uiuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.

Benedicit Deum, hanc ipsi gratiarum actionem referens ob bona quæ tribuit. Quæ sunt autem illa quæ data sunt? Spes, non sicut promissa per Mosen habitatio in terra Chananæa, quæ spes vtpote corruptibilis, corruptibilibus promittit corruptibilia: sed viua. Et vnde vitam nacta est? A Iesu Christo, qui resurrexit ex mortuis. Per hoc enim quòd resurrexit, eandem tribuit resurrectionem, & illis qui per fidem in ipsum accedunt ad eum. Spes igitur viua quæ datur, est hęreditas incorruptibilis & incontaminabilis, nō in terra reposita, quemadmodum patribus, sed in cœlis, vnde etiã perpetuitatẽ nacta est, quod etiam maius est, quàm hæreditas quæ est in terra Et propterea conseruatio & custodia credentium: quandoquidem etiam hoc orabat dominus dicens: Serua eos pater sancte. Sed & potentia. Et quæ est potentia? Que duret vsque ad reuelationem vel manifestationem domini. Nisi enim potens esset custodia, nequaquam tãto tempore perduraret. Quoniam igitur tanta ac talia sunt quę dãtur, nihil absurdi est, quòd etiam sequatur gaudium eos qui accipiunt. Attamen quoniam promissio magistri, non gaudium, sed mœrorẽ inducit dicendo. In mundo afflictionem habebitis, ad exultationem addit Paululum. Et quia triste est, subiungit Nunc, conformiter cum suo duce loquens, qui ait: In mundo afflictionem habebitis, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Aut ergo quod ait Nunc vel Modo, propter exultationẽ additum est, quasi successura sit exultatio, quæ non paululo, sed diuturno & infinito tempore duret. Aut Paululum, ad subsequens quod contristat referendum est, vt sit hic sensus. Si opus sit, paululum nunc mœrentes per varias afflictiones. Sed quoniam afflictiones turbationẽ inducunt, propterea subiunxit causam afflictionum, quòd

[Right margin: B (beside "promittit corruptibilia"); Iohan. 17. (beside "Serua eos pater sancte"); C (beside "tur, nihil absurdi"); Iohan. 16. (beside "In mundo afflictionem habebitis")]

D per has comprobatio vestri manifestior ac pretiosior auro efficitur: quandoquidem & illud quod igne probatur, gratius est hominibus. Addit præterea: Si opus sit, quia nec omnis fidelis per afflictionem exploratur, nec omnis peccator. Sed neque horum quisque semper lętatur: sed iusti quidem affliguntur ad coronarum augmentum, peccatores vero vt pœnas luant peccatorum. Non tamen omnes iusti affliguntur, ne vitium laudi ducens, virtutem abomineris. Neque omnes peccatores affliguntur, ne de resurrectione diffidatur, quasi omnes quæ sua sunt hic recipiant.

In hæreditatem incorruptibilem & incontaminabilem atque immarcessibilem conseruatam in cœlis, ad
E *nos qui Dei potentia custodimini per fidem in salutem, quæ parata est ut manifestetur in tempore extremo. In quo exultatis paululum nunc mœrore affecti per uarias afflictiones, si opus sit: quo fidei uestræ comprobatio multo pretiosior auro quod perit, & probatur per ignem, reperiatur, in laudem & honorem & gloriam, tum quum reuelabitur* Iesus Christus *: quem quum non uideritis diligitis, in quem modo quum non uideatis, credentes tamen, exultatis gaudio ineffabili & glorificato, reportantes finem fidei uestræ salutem ani-*
F *marum.*

Si in cœlis est hæreditas, fabulosa est rerum instauratio in mille annis. In quo exultatis paululum nunc, si opus sit. Ordo est iste: Mœrore affecti nunc, si opus sit, id est, si hoc quoque oporteat (neque enim omnes sancti affliguntur) in tempore extremo exultabitis, uam præsens pro futuro acceptum est. Aut etiam per præsens, quemadmodum in sequentibus declaratum est. *In laudem & honorem.* Caussam cur affligantur iusti per hæc significat, simul & illos consolando, quòd videlicet afflictionibus manifestiores fiant: & diligentiores eos reddens per hoc quod addit, Quum reuelabitur Iesus Christus, quòd illo tempore per laborum demonstrationem magna sit addenda nobilitas his qui certauerunt. Addit autem

tem & aliud quod attrahit ad tolerãtiam afflictionum. Quidnam illud est? *Quem quum non uideritis, modo diligitis.* Si enim quum non videritis eum oculis corporeis, ex solo auditu diligitis, inquit, considerate quantam ostendetis dilectionem, quum ipsum videritis, idque dum in gloria manifestabitur: nam si passio ipsius adeo vos attraxit, quantum ergo vos afficere poterit manifestatio ipsius cum incredibili splendore, quando etiam vobis salutem animarum in præmium tribuerit? Vt ergo tali innotescatis, accepturi etiam huiusmodi gloriam, breuissimam hoc tempore ostenditur tolerantiam, & scopi propositi summam habebitis. A

De qua salute exquisierũt ac scrutati sunt prophetæ, qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt, scrutantes ad quod uel cuiusmodi tempus significaret, qui in illis erat spiritus Christi, *qui prius quàm acciderent, testabatur uenturas in* Christum *afflictiones, & quæ essent consequuturæ, glorias: quibus & illud reuelatum est quòd haud sibiipsis, imò nobis ministrarẽt hæc quæ nunc annuntiata sunt uobis per eos qui uobis prædicauerunt* Euangelium *per spiritum sanctum emissum de cœlo: in quæ desiderant angeli prospicere.* B

Quandoquidem de animæ salute mentionem fecerat: hæc autem non erat manifesta, sed noua quæ audiretur prophetas in medium producit, qui de ipsa exquisierunt ac scrutati sunt. Siquidem de futuris exquisierunt: quemadmodum Daniel, qui ob id vir desideriorum vocatus est ab angelo, qui dabat ipsi diuina responsa. Et quid inquisierint subiungit: C Dan. 9.

Ad quod uel cuiusmodi tempus significaret, qui in illis erat spiritus. Ad quod, nempe consummationis seculi: cuiusmodi verò, puta quum Iudæi per varias captiuitates ad perfectum Dei cultum declinâtes, acceptabiles ad Christi mysterium constituerentur. Animaduerte autẽ, quòd spiritus Christi apertè speculatur, ac disserit de Christo. Significabat autem hic spiritus afflictiones Christi: per Iesaiam quidem dicens: Tãquam ouis ad occisionem ductus est: per Ieremiam verò,

Iesa. 53. D Venite mittamus lignum in panem eius. Porrò resurrectionem per Osee, Tertio die resuscitabimur coram eo,& prosequemur vt cognoscamus dominum, tanquam diluculum
Iere.11.
Osee.6. paratum inueniemus ipsum. His autem reuelatum est non propter se,sed propter vos. Cæterum hæc duo facit his sermonibus, & prophetarum ostendit prouidentiam, & quòd ante conditum mundum Deo præcogniti erant, qui vocati nunc sunt ad Christi fidem. Siquidem per prophetarũ prouidentiam inducit eos, ne increduli sint his, quorum prophetis magna fuit cura ad ipsorum vtilitatem: quia nec filij prudentes paternos despiciunt labores. Etenim si hæc ipsi quæsierunt & inuenerunt, quum sibi profutura non essent, inuentaque libris mandarunt, tanquam hæreditatem ad nos
E transmittentes, nequaquam iustè ageremus, inquit, si in his negligentes essemus: quapropter neque abiectos ac tenues nos ducentes, qui hæc vobis annunciamus,inane ostendatis Euangelium nostrum. Hæc itaque ex prouidentia prophetarum.Per hoc autem quòd à Deo pręcogniti sunt,terret eos ne se indignos exhibeant diuina præscientia, aut ipsius vocatione,sed vrgeant inuicem & extimulent, vt dono Christi digni habeantur. *Per eos qui uobis prædicauerunt Euangelium.* Si & prophetæ & isti per spiritum sanctum efficaciter operati sunt:illi quidem in prophetia,isti verò in Euangelio:nihil his diuersum est à prophetis: oportet igitur idem studiũ vos adferre quod habuerunt illi qui prophetis obtemperan-
F tes fuerunt, ne eidẽ supplicio subiiciamini cum his qui prophetis fuerunt increduli. Animaduertẽdum est autem,quòd per hæc trinitatis mysterium Petrus manifestat:filium & spiritum, quum dicit Spiritus Christi, patrem verò in eo quod sequitur de cœlo. Porrò quod ait De cœlo, non secundum locum accipias,sed per excellẽtiam quæ præsertim deo conuenit. *Per spiritum sanctum emissum de cœlo.* Loquitur de eo quod in die Pentecostes factum fuerat. Illud autem, *In quæ desiderant angeli prospicere:* Hoc est quæ angeli quoque cõcupiscunt, propter quod etiam dum huiusmodi fierent, ex
Luc.2. abundanti gaudio cecinerunt: Gloria in altissimis Deo.

CAPVT II. *De spe & sanctificatione firmáque conuersione, quæ necessaria est præter adoptionem.*

Quapropter



Vapropter succincti lumbis mentis uestræ, sobrij, perfectè sperate in eam, quæ ad uos defertur gratiam, dum uobis manifestatur Iesus Christus, tanquã filij obediẽtes nõ accõmodantes uos pristinis concupiscẽtiis, quibus dũ adhuc ignoraretis Christum, agebamini: sed quemadmodum is qui uos uocauit sanctus est, ita ipsi quoque sancti in omni conuersatione reddamini: propterea quòd scriptum sit: Sancti estote, nam ego sanctus sum. A Leui. 11.

Per caussam infertur exhortatio ex his quæ prius in honore fuerant. Quum enim dixisset, Prophetæ subministrauerunt vobis, quæ vestram concernunt salutem, & hęc adeò admiranda erant, vt angelis quoque amabilia efficerentur: & quòd ipsis quoque hæc essent amabilia, demonstrarunt in eo quod ex abundanti gaudio in natiuitate Christi dulciter cecinerunt, Gloria in altissimis Deo. His ergo dictis, ex ipsorum caussa subiungit, dicens: Quoniam igitur vobis omnibus hæc administrata sunt, & amabilia, & maximè desiderabilia, non hominibus solum, sed & angelis, propterea neque vos negligenter ad hæc afficiamini, sed vosipsos dirigentes, ac viriliter disponentes. Nam hoc lumborum succinctione significat: quod ipsi etiam Iob à Deo iubetur. Quales autem lumbos significauerit, dicit quòd eos qui mentis sunt. Ita ergo præparati, inquit, sobrij perfectè sperate in eam, quæ ad vos defertur gratiam. Porrò hæc est quam ait etiam paulò ante, circa secundum domini aduentum. Considera verò quòd non simpliciter dixerit Sobrij, sed addidit perfectè, quasi lex tenuem, ac introductoriam sobrietatem præbuerit. συσχηματίζειν autem dicit conformare, & accommodare se præsentibus. Hoc autem est quod nunc quoque dicunt nonnulli insipientes: Rebus ac negotiis te accommoda. Talibus igitur vanitatibus renuntiare iubet: siue antea scientes ac prudentes, siue ignorantes his adhæserint. Sed nunc, inquit, ei qui vos vocauit, & verè sanctus est, configurantes vos, ac similes præstantes, ipsi quoque sancti estote. B Iob. 38. & 40. C

Et si pa-

D *Et si patrem inuocatis iudicantem citra personarum delectum iuxta cuiusque opus, in timore conuersantes, incolatus uestri tempus transigatis: quum sciatis quòd non caducis rebus, uelut argento aut auro redempti sitis à uana uestra conuersatione, quam ex patrum traditiõe acceperatis, sed pretioso sanguine, nẽpe agni immaculati & incontaminati Christi.*

Collecta ex multis exhortatione, primum ex angelis qui desideranti animo ad hęc afficiuntur: deinde ex descriptione eius quod æquum est: rursum ab eo quod necessariu est. Quoniam enim deum inuocant patrem, necesse est vt qui a-
E doptionem concupiscunt, quæ patre digna sunt faciant: & quarto quoniam innumera acceperunt bona, per constitutũ pro ipsis pretium: id autem est Christi sanguis, qui in pretiũ datus est pro his, qui seipsos maligno vendiderant per peccatum. Post hęc iubet tota vita continuum habere timorem: non initialem illum, nam hic subsequentem habet pœnam, sed perfectum. Timor enim perfectos sanctos semper comitatur, ne quid ipsis desit eorum quæ decet habere perfectos.
Iohan.5 Considera verò quomodo quum dictum sit à Christo, Pater neminem iudicat, sed iudicium tradidit filio, nunç dicit Petrus iudicare patrem, Ad quod dicimus, quòd non potest filius facere quicquam, nisi quod viderit facere patrem: quãdoquidem & hoc dixit Christus. Porrò hoc sanctæ trinitati
F connaturale esse ostendit: quodque non sint diuisæ operationes diuinæ potestatis personis quas in illa conspicimus: sed ibi est omnimoda identitas, & pacifica ac seditione carens concordia. Dixit ergo sine discrimine patrem iudicare: tanquam id & verè sit & existimetur omnibus esse commune, quicquid aliquis dixerit ab vna trium diuino modo perfici. Præterea quum etiam dominus frequenter Apostolos vo-
Iohan.13 cet filios: & ad paralyticum dixerit, Fili, remissa sunt tibi pec-
Matth.9 cata tua: & ad eam quæ sanguinis profluuio laborabat, Filia, fides tua te saluam fecit, nihil obscurum est aut absurdum, si hunc quoque patrem natorum vocauerit, quos sanctitatis cõmunicatione generauit. *In timore conuersantes.* Iuxta hunc perfectionis timorem dictum quoque est à beato Dauid: Time-

mete

mete dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt ti- Pſal.33
mentibus eum. A

Qui præcognitus quidē fuerat ante quam conditus eſſet mundus, ſed manifeſtatus fuit extremis temporibus, propter uos qui per illum creditis in deum, qui ipſum ſuſcitauit à mortuis: & gloriam ei dedit, ut uos fidem ac ſpem haberetis erga deum: quum animas ueſtras purificaueritis obediētes ueritati per ſpiritum. ad charitatem fraternam ab omni ſimulatione alienā, ex mundo corde uos inuicem diligite impenſe, renati non ex ſemine mortali, ſed ex immortali per ſermonem dei uiuentis ac permanētem inæternum: propterea quòd omnis caro ueluti gramen ſit, & omnis gloria hominis quaſi flos graminis. B *Exaruit gramen, & flos decidit: at uerbum domini manet inæternum.* Ieſa.40 *Hoc autem eſt uerbum quod annuntiatum eſt ad uos.*

Morti Chriſti cōiunxit & reſurrectionem. Veretur enim facilem nouitiorum in fide mutationem ad incredulitatem, propter obprobrium afflictionum Chriſti, ſed dicit non eſſe recens myſterium de Chriſto: quandoquidem hoc etiā conturbat inſipientes: ſed ſuperioribus temporibus & ante conditum mundum, & diuina prouidentia reconditum fuerat C ad tempus opportunum, manifeſtatū quidem eſt & prophetis, qui de his exquiſierunt, vt paulò antea dixerat, nunc autem manifeſtius, inquit, quia quod ante conditum mundum fuerat præcognitum, nempe deo, nunc manifeſtatum eſt, ſiue completum aut perfectum, & addit propter quos perfectum ſit, puta propter vos. Nam propter vos, inquit, excitauit eum à mortuis. Quare autem propter vos? Vt quum voſipſos purificaueritis obedientes veritati per ſpiritum, fidem veſtram ac ſpem habeatis in deum. Et quomodo purificati eritis? Quia credētes ei qui vobis auſpicatus eſt reſurrectionem ex mortuis ad incorruptibilem vitam, debitores & ipſi eſtis ei qui quum ſit incorruptibilis vocauit vos, vt in nouitate vitæ ambuletis. Quòd ſi & iſte & Paulus dicunt patrem

D excitasse dominum ex mortuis, ne turberis: nunc enim introductoria doctrina vtentes hæc dicunt. Nam audi Christum dicentem quòd seipsum excitauerit, quum ait: Soluite templum hoc, & in tribus diebus erigam ipsum. Sed & Lucas: Quibus etiam exhibuit seipsum viuentem, postquã passus fuerat. Et rursum ipse Christus: Potestatem habeo ponẽdi animam meam, & potestatem habeo rursum sumẽdi eam. Quadam igitur dispensatione filij resurrectionem interdum referunt ad patrem, vt vnam ostendant patris ac filij operationem. Literæ series talis est: Qui præcognitus quidem fuit ante conditum mundum, sed manifestatus est extremis temporib⁹, propter vos qui creditis in deum, qui excitauit eum à mortuis, & dedit ipsi gloriam: vt quum purificaueritis animas vestras, (Siquidem ὥστε capitur pro Vt) per obedientiam veritatis fidem vestram ac spem habeatis in deum. Accipitur nanque εἶναι pro habere, propter Vt præcedens. Si enim ὥστε vt positum est in suo significato relinquatur, barbara & inintelligibilis erit sententia. *Ad charitatem fraternam.* Integrè hoc modo dicendum est: Vt fidem vestram ac spem habeatis in deum, quum animas vestras purificaueritis per obedientiam veritatis, hoc est quum vosipsos composueritis ad obediendum veritati per spiritum. Est enim & obedientia in malis ac mendacibus, quæ non est per spiritũ, id est, non est spiritualis. Quoniam autem purificatio ad obedientiam siue præparatio, exercitium, cura, multos etiam alios cupit adiutores attrahere, si modo spiritualis sit & inuidia carens: id autem fraterni amoris opus est, proximum efficere participem bonorum quæ nactus est quispiam: propterea subiungit, Ad charitatem fraternam simulatione carentem. Subiungit autem hoc per defectum: nam id beatis Apostolis familiare est, quemadmodum etiam apud beatum Iacobum habetur, Quis sapiens inter vos & scientia præditus? Et rursum: Agite nunc qui dicitis, Hodie & cras, multaque alia huiusmodi. Quòd autem spirituales debeãt vicissim alios omni studio bonorum acquisitorum facere participes, discere licet ex his quæ alio loco dicit: Considero quidem mutuos esse ad prouocationem charitatis, hoc est, ad exacuendum & excitandum illam: *Propterea quòd omnis caro gramen fit.* Quum dixisset, Renati non semine mortali, sed im-

Margin notes: Ioh. 2. — Acto. 1 — Iohā. 10 — E — F — Iacobi. 3 & 4

sed immortali, per sermonem dei viuentis ac permanētis in æternum, addit etiam deiiciendo ac contemnendo humanæ gloriæ facilem corruptionem, & vt ita dicatur, non subsistētiam, hac auditores alliciens, vt his adhæreant quæ à se proposita sunt, vt quæ subsistentiam habent ac perpetuitatem. Eorum autem quæ ad corruptionem perueniunt subsistētia, dicitur hic gramen & flos graminis. Porrò debilitas subsistentiæ graminis ad maiorem sermonis fidē adducitur: quibus & Dauid nostram comparat vitam. Vbi verò adeo vilem ostendit gloriam nostram, repetit rursum ac docet apertius quid sit quod ipsos regenerauit per sermonem dei viuentis, ac permanentem in æternum, & ait: Hoc autem est verbum quod annuntiatum est ad vos. Quòd autem permaneat in æternum, confirmat pari modo cum domino. Nam & ipse ait: Cœlum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt. Scire autem oportet quòd illud, Ad charitatem fraternam ab omni simulatione alienam, ita proferri debet: Ex mundo corde vos inuicem diligite impense ad charitatē fraternam ab omni simulatione alienam. Siquidem tales rerum exitus consequi solent qualia sunt illa quæ propter ipsas tractantur ac peraguntur. Quoniam igitur ad impensam dilectionem mutuam ex mundo corde, cōsequitur fraterna charitas simulationis nescia, rectè fit vt præcedat, Ex mundo corde, & sequatur, Ad charitatem fraternam. Animaduertendum autem quòd prepositionem εἰς, id est ad, transmittit in διὰ, id est propter, vt sit sensus: Propter charitatem fraternam.

A Psal. 36 B Mat. 24 C

CAPVT III.

Quòd dignè uiuendum sit iuxta adoptionem per Christum, ad utilitatem quoque eorum qui extranei sunt, ad gloriam dei.



PRoinde deposita omni malitia & omni dolo ac simulationibus & inuidentiis, omnibúsque obtrectationibus, ut modo nati infantes, lac illud rationis quod dolum nescit appetite, ut per illud subolescatis. Siquidem gustastis quòd benignus sit dominus: ad quem accedentes qui lapis est uiuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Cap. II

deum

D *deum uerò electus ac pretiosus, ipsi quoque ueluti uiui lapides ædificemini domus spiritualis, sacerdotium san ctum, ad offerendas spirituales hostias acceptabiles deo per Iesum Christum. Quapropter etiam continet scriptura: Ecce pono in Sion lapidem angularem electum ac pretiosum. & qui crediderit in illo, non pudefiet.*

Vbi spiritualis renascentiæ præstantiam supra natiuitatẽ secundum carnem ostendit, ac mortalis gloriæ abiectionem demonstrauit: quoniam natiuitas quidem corruptibilis est E ac sordida, gloria verò nihil ab his differens quæ verno tẽpore germinant: ostendit nequaquam idem in domini sermone contingere. Nam omnis humana opinio breui cessat, at nõ ita dei verbum, sed hoc perpetuam habet durationem verasque promissiones. Nam id sibi vult additio illa, Quod annuntiatum est ad vos. Hæc quum in superioribus prætexuisset, sumpto deinceps à singulis quod vtile est & ad necessarium tendit vsum, morali sermoni doctrinam accommodat, & ait: Proinde deposita omni malitia, his paucis tot ac tanta designans. Eos nanque qui incorruptibili vitæ renati sunt, indignum est malitiæ capi laqueis, atque præponere id quod non est, ei quod verè est. Malitia nanque non est substantia, sed versatur circa vitium genitæ substantiæ. Magnũ F est autem discrimen inter vitam subsistentem & eam quæ solum adhærentiam habet ad id quod subsistit. Hi autem digni sunt, inquit, vt ostendantur immunes esse à dolo ac simulatione & inuidentia omnique obtrectatione. Siquidem dolus ac simulatio longe absunt à veritate & sermone qui annuntiatus est vobis, vtpote dolo cedente in perditionem eorum qui seducuntur, simulatione verò procedente in variatione ac mutatione rei quæ est: aduersus quæ procedere videtur salutaris sermo, qui vos instruxit. Inuidentia autem & obtrectatio quem habebunt locum in vobis, qui solido fraternæ charitatis vinculo constricti, à nullo dissidium concitante nocumentum suscipere potestis? Porrò quòd inuidentia & obtrectatio dissidij ac odij fraterni causſa sint, ignorat Gene.4 ille, qui & Cain & tragœdiam quæ circa illum fuit nescit, qui pro-

qui propter inuidiam & à fraterna distractus est côiunctio- A.
ne, & dolum concepit & simulationem ac cædem. Sed neq;
ab obtrectatione purus est is qui inuidet, si modo fratres Io-
seph idonei habeantur qui sermonem confirment, qui de re- Gene.37.
bus innumeris hunc apud patrem deferebant. Propterea ait:
Ab his omnibus vos purificantes, tanquam nuper nati infan Luc.18
tes accedite (talium enim esse & regnum dominus demon-
strauit) & sermone doli nescio aliti, adolescatis vsque ad mē
suram ætatis plenitudinis Christi. Quum enim gustaueri- Ephe.4
tis, hoc est, per exercitium sacrorum præceptorum iam pro-
cesseritis iuxta euangelium, sensu cognouistis doctrinæ sua-
uitatem: nam sensus omni sermone efficacior est ad cogni-
tionem, quoniam id quod ad experiētiam quoque peruenit,
omni sermone gratius est Quum igitur gustaueritis domini B
benignitatem, & ipsi suauitatis bonitatem apud alios osten-
dite, & vosipsos ad eum tanquam ad viuum lapidem angu-
larem applicate, qui ab hominibus quidem reprobatus est,
apud deum verò pretiosus & electus, qui per prophetas quo-
que annuntiatus est: constricti erga vosipsos & charitate v-
niti, simulque aptati ad spiritualis domus completionem, nul
lam habentes curam de contemptu apud homines: quia ne-
que illam habuit Christus lapis angularis, qui ab his repro-
batus est· & constructi ac in domum spiritualem à vobisipsis
perfecti, sanctumque sacerdotium demonstrātes, offerte ho
stias spirituales, quæ Deo longè gratiores sunt hostiis ratio-
ne carentibus. Ne putetis enim, non habentes coniunctionē
erga vos inuicem dilectione firmatam, immaculatas deo of- C
ferre hostias. ait enim: Eleuantes pias manus absque ira & di 1.Tim.2
sceptationibus. Quomodo nanque is qui per orationem sese
nititur deo vnire, id assequetur, dum per iram & prauas di-
sceptationes seipsum à fratre separat.

Vobis igitur qui creditis, honor est. Cæterum iis qui non credunt, lapis quem reprobauerunt ædificātes, hic factus est caput anguli, & lapis in quem impingant, & petra ad quam offendant: nempe iis qui impingunt in uerbum: non credentes in id, ad quod etiam cōstituti fuerāt. Vos autem genus electum, regale sacerdo-

D *tium, gens ſancta, populus qui in lucrũ acceſſit, ut uirtutes annuntietis illius qui uos uocauit ex tenebris in admirabilem ſuam lucem: qui quondam eratis non populus, nunc populus dei: qui quondam non conſequuti miſericordiam, nunc eſtis miſericordiam cõſequuti. Dilecti, obſecro uos tanquã aduenas & peregrinos, abſtinere à carnalibus concupiſcentiis quæ militant aduerſus animam: conuerſationem ueſtram habete honeſtam inter gẽtes, ut in hoc quod obtrectant uobis quaſi maleficis, ex bonis operibus æſtimantes uos, glorificẽt*
E *deum in die uiſitationis.*

Vobis igitur qui creditis, honor eſt. A deo videlicet qui dixit Pono, honor diſtribuitur: aduerſus incredulos verò, hoc etiam nunc dicit deus: Pono vobis in Sion lapidem in quem impingitur, qui & petra eſt ad quam offendant, & lapis in quem impingant increduli: qui videlicet increduli manentes ſermoni, impingunt in illũ: ad quod videlicet etiã cõſtituti fuerant. Erit ergo tota particula hoc modo ordinanda: Ecce pono in Sion lapidem angularem electum & pretioſum, & qui crediderit in illo nõ pudefiet: pretioſum vobis qui creditis, incredulis verò lapidem in quem impingant: quem lapidem reprobauerunt quidem ædificantes, hic autem factus eſt caput anguli, coniungens credentes in vnum: lapis verò
F in quẽ impingitur eſt iis qui impingunt, ſermoni videlicet euangelij non credentes: ad quod etiam conſtituti ſunt: non quaſi ad hoc ſint ſegregati à deo id dictũ eſt: nulla enim perditionis cauſa ab eo qui vult omnes homines ſaluos fieri miniſtratur: ſed eos qui ſeipſos vaſa iræ effecerunt, & incredulitas ſequuta eſt, & in eo ordine conſtituti ſunt ad quem ſeſe præparauerãt. Si enim liberi arbitrij homo factus eſt, nec poteſt cogi liberum arbitrium: nequaquã decẽti ſermone quiſpiam eum accuſauerit, qui talem ipſi ſortem decreuit, quam ſuis operibus is qui ea operatus eſt, ſibiipſi aſciuit. Porrò lapis angularis dictus eſt Chriſtus, tanquam duos parietes paternam domum perficientes, ſiue eos qui ex gentibus erant & Iudæis ſuo contactu coniungens, & in vnam adaptans

conuenientiam : inutiles quidem hostias è medio tollens, A
dęmoniacam verò superstitionem ad verum transferens dei
cultum. *Vos autem genus electum.* Postquam incredulo-
rum reprehendit improbitatem morum,& quòd ipsi sibi ip-
sis causa effecti fuissent incredulitatis, transit nunc ad lau-
dem eorum qui egregia præstiterant, & ait: Vos estis genus
electum, regale sacerdotium, ac si diceret: Illi quidem sua
duritia & inobedientia impegerunt in lapidem angularem,
sed non coædificati sunt: vos autem non ita, sed per obedi-
entiam extructi estis in regale sacerdotium: tanquam genus
electum, tanquam gens sancta. Ne tamen nimia laude dis-
soluat ipsos: & præterea ne hæreditario quodam iure ha-
bere viderentur, vt gens sancta essent ac cætera quæ sequũ-
tur: & quòd ideo tali honore digni habiti fuissent quia ge- B
nus Abraham essent,nec vnquam impegissent,subiungit cō-
primens illorum fastum & ait: Ne ob genus extollamini:
non enim propter Abraham electi estis in regale sacerdo-
tium: nam qui ab ipso processerant, sacerdotalem tribum à
regia distinctam habebant: Non ergo propter Abraham
gens ac genus electum estis,ac segregati in regale sacerdo- *Psal.109*
tium: nihil enim horum de Abraham dictũ est: sed propter *Zach.9*
Christum, qui & sacerdos iuxta ordinem Melchisedec di-
ctus est,& rex mansuetus,iustus, & saluum faciens: qui etiã
super asinæ pullũ ascendit. Ab eo igitur qui vtrunq; habuit,
per sacri baptismatis renascentiam meritò & genus electum
appellamini & regale sacerdotium.Hoc autem habetis illius C
misericordia qui de tenebris vos vocauit in admirabilem
suam lucem: Ideo per opera vestra in luce facta cæteris ho-
minibus annunciate virtutes ipsius. Hoc itaque ex illius,in-
quit benignitate habetis: quandoquidem quod ad vos at-
tinet,populus estis,qui quondam eratis non populus: & mi-
sericordiam consequuti, qui quondam non eratis miseri-
cordiam consequuti. Efficiens autem, vt sermo magis odio *Osee.2*
careat, ex Osee confirmat obprobrij sermonem. Annun-
tiate igitur per bonam operationem virtutes ipsius. Quo- *Mat.5*
modo autem annunciant? Ipse dominus docet quum ait: Sic
luceat lux vestra coram hominibus, vt videant bona ope-
ra vestra & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Po-
pulus verò qui in lucrum accessit, hoc est in possessionem

D siue hæreditatem. Siquidem omnes sunt dei creatura, possessio verò soli hi qui sua operatione hoc beneficio digni sunt habiti. *Vt uirtutes annuntietis.* Propterea, inquit, electi estis, vt per obedientiam dicamini præcones virtutis eius qui vocauit vos. *Dilecti obsecro.* Series hoc modo sumenda est: Dilecti obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos mũdi huius, vt abstineatis à carnalibus concupiscentiis, quæ militant aduersus animam vestram. Moris est nanque præceptoribus post doctrinæ sermonem inducere eum, qui ad mores pertinet: quod nunc etiam facit beatus hic, appellans ipsos ἀγαπητοὺς, id est, dilectos siue potius diligibiles & amicos, & non ἠγαπημένους, id est, vtcunque dilectos: propter omnia nanque sunt desiderabiles: qui enim ob v-
E num aliquid desiderabiles sunt, ἀγαπώμενοι dicuntur non ἀγαπητοί. Carnales verò concupiscentias militare dicit aduersus animam. quandoquidem iuxta beatum quoque Paulum, caro concupiscit aduersus spiritum. Carnis nanque cõcupiscentiæ circa sensibilium fruitionem versantes, rationem confundunt, animamque seruilem efficiunt. Obsecro autem, inquit, & hoc, vt conuersationem vestram habeatis honestam inter gentes. Transsumptum est autem ἔχειν, id est habere, pro ἔχοντες, id est habentes. Obtrectatores autem nobis inducit Ethnicos. Quòd si quis velit hoc discere, ex his quæ scripta sunt ab Ireneo Lugdunensis Galliæ episcopo de Sancto & Blandina martyribus licebit exactè cognoscere. Vt autem in medium breuibus proponantur, hæc sunt: Quum enim Græci seruos horum Christianorum in diuinis mysteriis edoctorum apprehendissent, deinde vim inferrent, vt videlicet, arcanum quippiam ab his de Christianis discerẽt: quum hi serui nõ haberent quomodo vim inferentibus ad delectationem & gratiam loquerentur, præterquam quòd à dominis audierant diuinam participationẽ esse sanguinem & corpus Christi, existimãtes ipsi quòd verè sanguis & caro esset, hoc responderunt inquirentibus. Illi verò id sumentes, tanquã reipsa hoc perageretur à Christianis, id aliis quoque manifestabant Græcis: & martyres Sanctum ac Blandinam tormentis id fateri cogebant. Quibus liberè ac scitè Blandina loquuta est, dicens: Quomodo hæc ferrent, qui ob diuinum studium ac meditationem ne concessis quidem

Gal. 5.

De Sancto & Blãdina habet Eusebi⁹ li. 5. eccle. histo. ca. 1. nihil tamẽ agit de corpore & sãguine domini, sed de cœnis Thyesteis, & quòd dicerentur


dem carnibus vescuntur? Porrò diem visitationis vocat inquisitionem mundanorum. Quum enim fit ab eis inquisitio de vita nostra, vbi res contrario modo se habere reperiuntur quàm fuerit eorum suspitio, non solum pudefiunt, sed & ipsi corriguntur, & deus glorificatur.

A *humanas & insantũ carnes edere: cæterũ reliqua s. tis sũt his cõformia.*

CAPVT IIII.

De subiectione erga præfectos, & fraterno amore ac diuino cultu: in quo agit de seruorum subiectione & toleranti patientia propter Christum. De obedientia mulierum & concordia erga uiros, ac salute quæ est in spiritu, in figuram Saræ: de uirorum erga mulieres comportatione. De mansueta erga omnes clementia, cuius typus fuit dei benignitas in Noe, in nobis autem Christi per baptismum condolentia.

B



Roinde subiecti estote cuiuis humanæ creaturæ propter dominum: siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur ad uindictam quidem nocentium, laudem uerò rectè agentium. Quoniam sic est uoluntas dei, ut benefaciendo obturetis os hominibus stultis & ignorantibus. Tanquam liberi, & non ueluti prætextum habentes malitiæ libertatem, sed tanquam serui dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite. C *Deum timete, regem honorate.*

Humanam creaturam dicit præsides qui designati sunt à regibus, aut ipsos etiam reges, eò quòd & ipsi ab hominibus constituti ac positi sunt. Nouit enim scriptura constitutionem vocare creationem, veluti quum ait: Vt duos crearet in semetipso in vnum nouum hominem, hoc est poneret siue constitueret. Ait ergo: Subiecti estote humanis principibus: subiecti autem estote propter dominum. Propter dominum verò, id est, quemadmodum dominus iussit. Quid autẽ præcepit dominus? Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo. Itaque in eo quod iusserint extra deum, id est, quod præter siue contra dei constitutionem est, non est ipsis obtemperandum. Hoc autem omnino præcipit & dominus & ipsius discipulus, ne possent Græci dicere quòd vitæ ac

Ephe.2

Matth.22

 politiæ

D politiæ ſubuerſionem adferat Chriſtianiſmus, & inordinationis ac confuſionis cauſſa ſit. Addit autem, Propter dominum, etiam ob fideles. Veriſimile enim erat quoſdam ipſorū dicere: Quum regno cœlorum nos dignos iudices, magnáque ex eo dignitatem nobis addas, quare rurſum nos deiicis, mundanis principibus nos ſubiiciens? Si quis igitur hoc dixerit, ſciat, inquit, non meū eſſe huiuſmodi præcepti ſermonem, ſed domini. Oſtēdit autem & Petrus quibus & qualib⁹ principibus ſubiici oporteat, nimirum iis qui tuentur quod iuſtum eſt. Subiungit autem & cauſſam, quoniam & dei voluntas & noſtræ probitatis ſpecimen eſt in ſubiectione ad principes, quódque amplius eſt, incredulos pudefacit. Quū enim oblequuntur de nobis, tanquam de arrogantibus &
E contumacibus ac inobedientibus, videndo nos & humiles & obſequentes in quibus oportet, illorúm ora magis obturantur ac pudefiunt. *Tanquam liberi.* Ordo talis eſt: Subiecti eſtote tanquam liberi, & non veluti prætextum habentes malitiæ libertatem, ſed etiam tanquam ſerui dei. Nec ſolum principes, ſed & omnes honorate: fraternitatem quidem diligentes, deum verò timentes, regemque honorantes. Illud autem, Tanquam liberi, Ioannes Chryſoſtomus ità explicauit, dicens: Ne dicant, Liberati ſumus à mundo, cœleſtes ciues facti ſumus, & tu nos rurſum ſubiicis principib⁹, & obedire iubes? propterea dicit: Ita obedite quaſi liberi, hoc eſt tanquam obtemperantes ei qui liberauit; & hoc facere præcepit. Ita enim non videbimini in mente habere ma
F litiæ, hoc eſt inobedientiæ ac imperſuaſibilitatis prætextum ipſam libertatem, propter quam obedire recuſatis. Poteſt autem & iuxta aliam conſiderationem dici quippiam de ea re. Liber ſecundum dominum eſt, qui nulli abſurdæ rei obtemperat. Quoniam ergo in ſimulatione vitam tranſigere non liberi eſt, ſed eius qui affectibus ſubiectus eſt, ſiue aſſentationis ſiue cuiuſuis alterius turpis voluptatis: propter quæ etiam ſimulationem prætendit quiſpiam, ne id appareat quod eſt, & quibus ſeruire ſuſtinuit: (hoc autem extraneum eſt, & à dei famulis alienum) præcipit nunc ſubiectionē principibus, veris & non fictis moribus exhiberi. ne nos hoſtiliter erga illos habentes, quaſi coactam exhibeamus ſubiectionem: quumque talis lateat in nobis malitia, quod certè

ſyncerum

syncerum est ac simplex, faciamus prætextum ac velamentum morum, apparentem subiectionem exhibentes, & non eam quæ ex affectu procedit. *Deũ timere.* Considera diligẽtiam quomodo deo timorem dicit distribui, regi verò honorem, vt si timor deo reddẽdus sit qui potest animam & corpus perdere, nequaquam regibus obtemperemus, quum nos ad aliquid absurdum exhortantur. Dei namque timor vincere nouit etiam honorem qui regibus exhibetur: magis autem ipsos honore priuabit qui ab ipsis ad mala cogitur, iuxta sanctum qui dixit: Contemnitur coram ipso is qui malignè agit. A Matt.10.

Famuli, subditi sitis cum omni timore dominis, non solum bonis ac benignis, uerumetiam prauis. Nam hæc est gratia, si quis propter conscientiam dei, suffert molestias præter meritum affectus malis. Quæ enim est laus, si quum peccantes alapis cædimini, sufferatis? At si quum benefacitis & tamen malis afficimini, sufferatis, hæc est gratia apud deum. Siquidem in hoc uocati estis: quoniam & Christus afflictus est pro uobis, relinquẽs uobis exemplum, ut sequeremini uestigia eius, qui peccatum non fecerat, nec inuentus fuerat dolus in ore ipsius: qui quum maledictis incesseretur, non regessit maledicta: quum malis afficeretur, non minabatur: sed tradebat uindictam ei qui iuste iudicat: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, iustitiæ uiuamus, cuius eiusdem uibice sanati estis. Nam eratis uelut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & curatorem animarum uestrarum. B C

Famuli, subditi. Subaudiendum est ἦτε, id est sitis, sicut & quum dicit Vxores. *Cum omni timore.* Quũ timor multis modis dicatur: dicitur nãque timor & qui est cum scientia, quẽ nunc per Conscientiam intelligit, qui etiam εὐλάβεια vocatur, id

D tur, id est, reuerentia cum metu. Dicitur & timor afflictiuus, hoc est quibusdam contingens experimento supplicij, quo & feræ timent. Dicitur rursum & timor initialis qui consequitur accedentes ad dominum, eo quòd sibi de multis cōscij sint quæ ad supplicium prouocent: quo etiam meretrix
Luc. 7. de qua in euangelio, timens, accessit ad Christū. Sed & perfectus iterum dicitur timor, qui omnibus sanctis semper adest timentibus, ne quid illis desit eorum quæ decet illos habere qui ad perfectam dilectionem assumpti sunt. Quum igitur tot modis timor dicatur, vtrum iustum sit seruos per hos omnes exhiberi suis dominis, nequaquam negaret is qui nūc seruos adhortatur vt cum omni timore dominis subijciatur: quandoquidem & initialis & perfectus si adesset, rectè illos
E adficeret: ille quidem vt vereretur ne quid sibi propter delicta contingeret quod non ferret remedium, hic verò ne quid vel cogitarent, quod si perageretur, ingratum esset suo domino. Nunc itaque timorem dicit qui est propter conscientiam, hoc est qui contingit cum conscientia rectæ rationis: quum mali videlicet domini seruos suos nihil commeritos affligunt. Hunc ergo timorem iudicans laude dignum, iubet vt cum patientia suscipiatur. Quandoquidem qui propter peccata, siue ea quæ perpetrauit, aut etiam quæ non obseruarunt vt facerent, timorem habent, tolerantes si quid propter illa patiantur, boni quidem & hi sunt serui, & ad correctionem declinantes: at nondum tanta mentis
F sapientia præditi, quanta essent si grato animo afflictionem tolerarent, etiam quum nullius mali sibi conscij essent. Hoc magnum est, hoc etiam à paucis completur: id apud deum quoque commendatur, tanquam respondens Christi afflictionibus: quandoquidem & ipse, inquit, non propter sua passus est peccata: nam peccatum non fecit, sed pro nobis nostrísque delictis passus est. Ab iniquitatibus populi mei,
Iesa. 53. siue propter iniquitates populi ductus est ad mortem, ait propheta. Hunc itaque commendandum ponit timorem. Verum aliis quoque timoribus seruos vult retineri: quod manifestum est ex eo quod dicit, Cum omni timore. Rectissimè autem & scitè ceteris timoribus præposuit timorem qui est propter conscientiam, & solum hunc esse laude dignū verissimo sermone demonstrauit, quòd illi quidem caussam

habeant

habeant dominorum aduersus se iram, hic verò nihil vnquã tale. *Sed tradebat uindictam ei qui iustè iudicat,* nempe deo qui reddit vnicuique iuxta opera sua: hoc autem iustum est. Sed dicet fortasse aliquis. Quomodo nunc ait Petrus dominum quum maledictis incesseretur nõ regessisse maledicta, quũq; malis afficeretur non fuisse minatum? Atqui videmus eum & quosdam Iudæos vocasse canes, & cæcos Pharisæos, ac Iudæ comminantem quum diceret, Bonum esset ei si natus nõ fuisset homo ille. & : Tolerabilius erit Sodomis quàm ciuitati illi. & : Vbi vermis eorum non moritur, aliaque innumera. Dicemus ergo, quòd non dicit dominum non fuisse loquutum maledicta, aut non fuisse minatum : sed, quum maledictis incesseretur, inquit, non regerebat maledicta, quũq; malis afficeretur nõ minabatur. Sed licet aliquod proferret maledictum, non erat opponendo se maledicẽtibus, sed obiurgans ac carpens eos qui non conuertebantur. Quum autem opprobriis affectus esset & audisset, Dæmonium habes. &, Per principem dæmoniorum eiicis dæmonia. &, Ecce hominem voracem ac vini potorem, vtrum maledicta in illos regessit, dicens quippiam aduersus illos probrosum? nequaquam, sed illis quidẽ dixit: Si ego per Beelzebul eiicio dæmonia, filij vestri per quem eiiciunt? Illi verò, Homo vorax ac vini potor, opposuit parabolam puerulorum in foro, indignantium aduersus eos quibus colludunt, quòd quum tibiis cecinissent, non saltauerant: quum lamentabilia cecinissent, non plorauerant. Crucifixus autem & male affectus pœnis, orabat potius, at non minabatur. Iudæ verò, priusquã proderet & malo aliquo affectus esset, minabatur : reprimens eum à malo conatu. Similiter & illis qui discipulos non essent recepturi, peius quiddam passuros demonstrabat quàm Sodomitas: partim quidem exhortans illos ad hospitalitatem, partim verò per timorem aperiens euangelio locum prædicationis. Itaque non hæc minabatur dum malis afficeretur : & verissimus est de domini clementia Petri sermo, dicens quod nulli regerebat calumniam, dum calumniari tentabant. *Vt peccatis mortui.* Nam ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι, capitur pro ἀποθανόντες, id est, mortui. *Cuius eiusdem uibice.* Nam flagellatus à Pilato vibices quoque ferebat in corpore.

Margin: A — Mat. 8.15. 26.10. — Mar. 9. — B — Ioan. 7.8. — Mat. 12.11 — C

Similiter

Cap. III. *Similiter uxores subditæ sint suis uiris, ut etiã qui*
D *sermoni non obtemperant, per mulierum conuersatio-*
nem sine sermone lucrifiant, dum considerant cum ti-
more coniunctam castam conuersationem uestrã: qua-
rum ornatus sit non externus, qui situs est in plicatu-
ra capillorum & additione auri, aut in palliorum a-
mictu: uerum occultus qui est in corde homo, si is ca-
reat omni corruptela, ita ut spiritus placidus sit ac
quietus: qui spiritus in oculis domini magnifica ac sũ-
ptuosa res est. Nam ad eum modum olim & sanctæ il-
E *læ mulieres sperantes in deo ornabant sese, subditæ ui-*
ris suis: quemadmodum Sara obediuit Abraham, do-
minum illum appellans: cuius factæ estis filiæ dum be-
nefacitis, & non terremini ullo pauore. Viri similiter
in cognitione cohabitent, uelut infirmiori uasi mulie-
bri impartientes honorem, tanquam etiam cohæredes
gratiæ uitæ, ne interrumpantur preces uestræ.

Per hæc omnia concludens sermonem de moribus: nempe per reges, per præsides, per dominos, per seruos: quum etiam statuisset subditis vt regibus ac prę sidibus subiicerentur quibus oportet & in quibus oportet, ac per hoc ostendisset
F quòd ipsi quoque principes qui leges habent tãquam incitamentum quoddam iustitiæ, ex his quæ secundum illas fecerint non condemnabuntur: in quibus autem contra ipsas iniquè & sine iudicio ac tyrannicè operati fuerint, per hæc etiam peribunt. Siquidem lex ipsis data fuit ad vtilitatem gentium, quemadmodum etiam Paulus clamat. Sed & principes similiter vt & leges, ad vtilitatem dati fuerunt, & non vt quidam malè volunt, nempe potestatem eorum quæ
Luc. 4. sunt in terra esse à Diabolo: qui in hoc Diabolo patrocinantur dicenti ad dominum: Omnia hæc mihi data sunt, & cuicunque volo do ipsa. Neque enim huius iussu reges constituũtur, qui ad correctionem malorum dati sunt, quum Diabolus nihil tale inducat vt inter homines administretur.

Nam

Nam datæ sunt potestates ac principes à deo, partim quidē ad iustitiæ conseruationem & correctionem ac vtilitatē subiectorum, partim vero propter timorem ad vltionē & correptionem delinquentium; partim quoque ad puniendum condigna pœna lasciuientes. Hoc igitur ostēnso & quod bonum sit subiici, malum vero inobedientes esse, Vbi quoque pari modo statuisset vt serui dominis iuxta carnem obtemperent, & quod ij qui sine causa à malis dominis affliguntur ac tolerant, maximam laudem referunt: vbi his quodammodo ad modestiam dominos quoque reuocasset, per calūniam malorum dominorum: transit deinceps etiam ad cœtum mulierum, & ait: Hæc duo curent mulieres siue vxores, subiici propriis viris, & ab omni ornatu & cultu seipsas ostendere alienas, imitantes sanctas mulieres, quoniam & illæ, inquit, solum hunc cultum nouerant, nempe obedientiā erga suos viros. Et quod lucrum sequetur ex his? Bona æmulatio eorum qui alieni sunt à fide, quæ etiam ex nostri subiectione erga principes generatur, & dei laudatio propter nos ab ipsis profecta: quod etiam in magnam cedit laudem Christianorum, nempe ꝙ propter nos non malè audiat, sed benedicatur nomen dei. Vbi autem indefinitè dixit Sanctæ mulieres, subiungit etiam definitè Saram: & exhortatorio quodam modo procedens, vocat ipsas filias huius Saræ, siue iuxta fidem, siue etiam iuxta genus. Necesse enim est filias imitari suas matres. Cum honesto verò & Christianas decēte cultu, admonet quoque ipsas vt misericordes sint, nihil ex eo veritæ suorum virorum calculationem Nam hoc indicat illud. Non timentes vllo pauore. Verisimile enim erat ꝙ viri interdum repetebant rationem sumptuū. Hoc modo subleuato sermone, vbi muliebris sexus parcitatem ac pusillanimitatem exhortatus est, vt liberalius se habeant erga domesticos: comprimit etiam virorum austeritatem erga suas cōiuges, & ait: Viri in cognitione cohabitantes, hoc est experimento discentes fœmineam leuitatem & vecordiam in omnibus ac lubricitatem in pusillanimitate, patientes estote erga illas, non exactè rationem repetentes eorum quæ circa familiā tradita illis erant in custodiam. Hoc aūt, vt diximus, quo liberalius perseuerent in largiēdo erga pauperes, admonet viros ne sint exacti disquisitores. Mihi tamē profundius aliquid

A B C

D aliquid videt per hoc inducere,& venuſtius ac caſtius quàm
1.Cor.7. Paulus innuere de actu coniugali. Siquidem Paulus apertè clamat: Ne fraudetis inuicem, niſi ſi quid ex cõſenſu &c. hic autem magis pudice, vt diximus, cognitionem dicens,& per hoc rem ipſam deſignans, admonet, quum magis ad hoc lubricus ſit ſexus muliebris, ne per obiurgationem cum aſperitate ab ipſis diſcedant, ſed primum quidem clementer eis vtantur tanquam imbecillioribus, deinde ſuadeant vt cum aliqua parcitate abſtinentiam à talibus ſuſcipiant: nam hoc ſignificare vult (parcitatem inquam, ſiue abſtinentiã) per hoc quod ait, Impartientes honorem, nam honor niſi quis ad aliquid reſpiciat, ne parcè quidem ſubſequitur. Itaque tanquam imbecillioribus, aut etiam tanquam cohæredibus
E gratiæ vitæ, ita ipſis vti oportet in talium conſuetudine. Et quòd non malè hac intelligentia vſi ſimus, id quod ſubſequitur manifeſtat, quum ait: Ne interrumpantur preces veſtræ. Quam enim precum interruptionem adfert viri erga vxorem auſteritas? At huius negligẽtia magnam adfert in tempore orationis attentionem ac ſtudium Mihi itaque de hoc ita videtur dicendum. Porrò ſi ab aliquo melius iudicatum fuerit, non ſanè inuideo. *Sine ſermone*. ſiue ceſſante omni ſermone omniq; reſponſatione, ſiue quòd efficacior ſit demõſtratio per opera, quàm ſedulitas anxia, quę eſt in verbis: mutum enim opus præſtantius eſt ſermone operibus deſtituto. *Verum occultus qui eſt in corde homo.* Omnis
F namque gloria filiæ regis ab interiori procedit. Nouit enim
Pſal.44. & hic iuxta beatum Dauid ac Paulum alium eſſe interiorem
Ephe.3. hominem ab exteriore. *Ornabant ſeſe.* Vides quòd cultum ſiue ornatum dicat hic ſubiectionem?

In ſumma omnes ſitis unanimes, compatientes, fraterna præditi charitate, miſericordes, affabiles, non retaliantes malum malo, aut conuitium conuitio, ſed contrà benedicentes: ſcientes quòd ad hoc uocati ſitis, ut benedictionem hæreditate poßideatis. Nam qui uult uitam diligere & uidere dies bonos, coerceat linguã
Pſal.33. *ſuam à malo, & labia ſua ne loquantur dolum, decli-*

net

net à malo, & faciat bonum: quærat pacem, & perse- A
quatur eam. Quoniam oculi domini super iustos, & au
res eius ad deprecationem eorum: aspectus autem do-
mini super eos qui faciunt mala. Et quis est qui sit af-
flicturus uos, si bonitatis æmulatores fueritis? Imò si
quid etiam acciderit incommodi propter iustitiam, bea
ti eritis, Cæterum terrore illorum ne terreamini ne-
que turbemini, sed dominum Deum sanctificate in cor-
dibus uestris. Sitis autem parati semper ad responden-
dum cuilibet petenti à uobis rationem de ea quæ in uo- B
bis est spe cum mansuetudine & timore: conscientiam
habentes bonam, ut in hoc quòd uobis detrahunt tan-
quam scelerosis, pudefiant hi qui incessunt uestram bo-
nam in Christo conuersationem.

Absolutus ab ordinationibus, quæ tum viros, tum mulieres concernerēt, ponit deinceps communem exhortationē ad omnes viros, mulieres, senes, iuuenes, pubescentes, reges, præsides, subditos, & eos qui gubernantur, peregrinos, ciues, diuites, pauperes. Ideo subiungit: *In summa.* hoc est, Quid opus est particulatim differere? omnibus simpliciter dico. Nam hoc significat τέλος: & ad hoc respicit salutis scopus omnibus propositus, & hæc est lex dilectionis omnibus constituta, vnde virtus omnis procedit, nempe animi modestia, cōpassio, misericordia, cæteræque similiter virtutes quas enumerauit, quorum Vnanimitas quidem est consensus sine discrimine circa aliquid cum propenso animo: Cōpassio verò est miseratio erga eos, qui affliguntur tāquam ad seipsos: Fraternitas autem debitus erga propinquos affectus tāquam ad fratres, rursum Misericordia est motus ab anima procedens ad bene merendum de iis qui eiusdem sunt conditionis. Affabilitas verò siue beneuolentia est benignitas ac comitas erga omnes, quæ etiam erga illos fit qui similium sunt morum & erga amicos. † Humilitas vero siue animi modestia est alium contumeliosum ferre, peccatum agnoscere & accusationes sustinere, quòd etiā animi benignitas esse posset.

(C beside "dico. Nam hoc significat" line)

† *Quāquā nō additū sit in textu*

ταπεινοὶ .i. humiles, aut aliud quippiā simile, hic tamen autor id additū legisse uidetur, quātū ex his colligere licet scholiis: similiter & is qui uulgatā dedit editionem.

**ὁ γὰρ ὑπὸ πάντων εὐλογούμενος, καὶ ζηλωτὸς δήπου,*

D set. Conuitium verò est cōtētio ex praua consuetudine orta, quæ sita est in vituperatione aliorum. His, inquit, prædictis ornati virtutibus, insuper quoque malitia non facile capiamini: præterea æmulatores etiam sitis diuino viuēdi modo directi. * Nam qui ab omnibus benedicitur, vtiq; etiam æmulator esse debet. Et horum testem inducit Dauid dicētem: Quis est qui cupit videre vitam? vitam inquam non qua etiam irrationalia, sed qua homo secundum Deum viuit, & dies non malos sed bonos. Nam dies huius seculi iuxta patriarcham Iaacob pauci sunt & mali. Vbi autem propheticum conclusit oraculum, quoniam in eo positum erat, Oculi domini super iustos, & aspectus ipsius super facientes mala: subiungit his: Si ita vitam peregeritis. Deum habebitis benignum ac obsequentem. Quo facto, quis, illo à vobis stante,
E infestè irruet in vos? Siquidē omnia sunt in manu eius, mors enim & vita in manu domini. Attamē quoniam afflictiones illatæ propter fidem videbantur quibusdam mala, hæc corrigens beatus Petrus ait: Ne hæc mala existimetis, sed digna potius beatificatione. Timor namque impendens ab hominibus nihili ducendus est, sed breuissimo tempore durat, vtpote ab his illatus, qui ipsi velocissimè transeunt. Nam si oculi domini super iustos, & aures eius ad deprecationem illorum, aspectus autem ipsius super eos qui faciunt mala, perditionem comminando malis: vtique si hæc mala essent, certè dispensator bonorum nequaquam vos sibi dilectos malis
F afficeret: mala namque ad malos remittit. Non sunt itaque *Eccli.11.* mala, afflictiones propter pietatem illatæ. Porro sanctificare *Iesa.8.* Deum in cordibus cum Iesaia præcipit: hoc est, ne ob ea quæ apparent gloriemini, sed in occulto cordis vestri promptuario, domini sanctificationem operantes, quæ in separatione gentium à fœditatibus siue prauis moribus consistit, ita ipsum sanctificate. Sanctificatis autem, dum alij homines ex bona vestra conuersatione ipsum glorificant, quem- *Mat.5.* admodum & ipse Deus ac homo præcipit, quum ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus & cætera. Quod autem dicitur Parati, superiori particulæ coniungitur, puta Omnes sitis vnanimes. Verbum enim Sitis, à communi sub intellectum etiam huic tribuitur. vt sit sensus: Sitis semper parati. Vult autem præcipere, vt fidelis homo semper paratus sit

circa

circa sermonem fidei, vt quocunque tempore expetita fuerit à nobis ratio circa ipsam, facile respondeamus. Porrò respondentes, cum mansuetudine hoc faciamus, tanquam ipso quoque Deo præsente. Nullus autem frugi seruus suo præsente domino esset arrogans. Subiũgit quoque lucrum quod hinc subsequitur, nempe infideliũ explorationẽ ac animi benignitatem erga nos. Animaduertendum autem, non esse hæc contraria his quæ à domiuo dicta sunt, dum ille quidem iubet ne solliciti simus quid respondeamus, quum ante præsides ac potestates producemur. Petrus verò ad hoc nunc præparari præcipit. Siquidem domini verba de martyrio dicta sunt, quum etiam dandam ait virtutem ac sermonem validiorem quauis humana sapientia, & qui contemnat circumstantes timores: Petri autem sententia de doctrina loquitur. Nam sine intellectu & indagatione videri sibi aliquid scire, dignum est reprehensione. Sciẽtia enim insensatorum inexpensi sermones. Præterea etiam quoniam de variis nefandis rebus nos accusabant, sed & spem nostram inanem esse ostendebant, dicit vt de his meditatas responsiones feramus, habentes simul etiam vitam probatam, quod sanè conscientiam vocat. *Scientes quòd ad hoc uocati sitis.* Ordo est cum prædicta structura. In summa, siue vt absolutissimè dicam, Omnes sitis vnanimes & cætera, scientes quòd ad hoc vocati sitis vt benedicatis, id est, ad benedicendum omnibus. Ait enim & Paulus: Benedicite persequentibus vos. Hoc autem facientes hæreditario iure possidebitis nomen, vt ab omnibus audiatis Benedicentes. Neque enim iustum est illum qui æternæ vitæ adhæret, lingua cuiquam inferre conuitium. Propterea quoque Dauid admonet linguam habere puram à conuitio eum qui amanti animo affectus sit ad veram vitam & cætera. Ita namque præparati, habebitis omnipotentem, & omnium inspectorem obsequentem, benignéque inspectantem, non toruo aut irato animo, quemadmodum intuetur eos qui mala operantur. Quod si ita sit, quis poterit vos malis afficere? Quòd si etiam afflictio inferatur vobis dum bonitatis operatores & imitatores estis, ne sitis pusillo animo, sed gaudete: primũ quidẽ, quòd hæc nõ mala sunt, deinde etiam, quòd propter ista beati sitis, & non miseri. Ideo Deum in cordibus vestris

A

Mat. 10.

B

Eccli. 21.

Roma. 12.

C

D vestris sanctificantes, ne terreamini humano timore, neque turbemini. Sitis autem & parati ad respondendum semper cuilibet interroganti vos, vt reddatis rationem de spe, quæ apud vos est. Reddatis autem vnà cum exhibitione bonæ actionis. Id enim mansuetè & cum benignitate facietes, cõfirmabitis tunc bene vobisipsis esse conscios,& eos qui prauas de vobis habent suspitiones pudefacietis. *Conscientiam habentes bonam.* Hoc est,dum bene vobisipsis conscij estis & non malè,quemadmodum illi qui vos calumniantur. *Hi qui incessunt.* Hoc est, qui verbis negotium facessunt acerbè indagantes.

E *Præstat enim ut benefacientes, si uelit Dei uoluntas,malis afficiamini quàm malefaciētes. Quandoquidem & Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne,sed uiuificatus spiritu.*

Hæc est caussæ redditio non ad ea quæ immediatè dicta sunt,sed ad ea quę paulo superius,puta Si quid patiamini ꝓpter iustitiam beati estis:præstat enim vt benefacientes malis afficiamini, quàm malefacientes. Aut si quis velit ad immediatè præcedens causæ redditionem referre: quod dicitur Benefacientes,non oportet accipere,vt sit de alio benemerendo, sed absolutè, hoc est bona operantes. Similiter &

F Malefacientes. Addit autem: *Si uelit Dei uoluntas.* ostendens quòd nihil absq; Dei nutu circa nos contingit,sed vel ad peccatorum alleuiationē,vel ad præconium & gloriā nostrā:aut etiam ad aliorū salutem. Hoc autē dupliciter contingit. Aut enim affligitur quispiam iustus ad castigationē aliorū peccatorum: quemadmodū dictum est: Si iustus vix saluus effici-

Infra.4. tur,peccator vbi apparebit? Et hoc quoque duplicē exhibet vtilitatem: iusto quidē qui affligitur, iustitiæ augmētū propter patientiā: peccatori autē qui intuetur,cōuersionē:vt diximus. Aut igitur propter hæc patitur iust⁹:aut ꝓpter aliorum salutē,quemadmodū & Christus. Et ob id Petrus etiam nunc addit Christi exemplū: quoniam & Christus quę passus est,nō ꝓ suis delictis passus est,sed ꝓ nostris. Ideo quoq;

Supra.2. subiungit, Iustus pro iniustis. Nam ipse sicut antea per prophetam

phetam ostendit, peccatum non fecerat. Ostendens autem A
eius qui passus fuit efficaciam ac virtutem, subiungit, Semel.
Tanta inquit fuit virtus, qui pro hominibus passus fuit, vt
quanquam multa horum peccata offenderit, vnica domini
passio sufficiens fuerit ad obtundēdam omnem vim nostrorum peccatorum. Quoniam igitur passus est Christus, vt nos
ad deū & patrem suum adduceret, ostēdit omnino quòd nō
omnes qui patiuntur, propter peccata patiuntur. Et quia duplici modo consideratur Christus, nempe deus & homo, passus quoque duplicem nobis gratiam contulit. Mortuus enim
tanquam homo liberauit nos à morte & corruptione, innouando nobis resurrectionem, & dando per suum exemplum,
ne deinceps sine spe resurrectionis morientes subeant mortem. Viuificatus autem, hoc est resurgens ex mortuis virtute diuinitatis (surrexit enim ex mortuis non tanquam homo B
sed tanquam deus) simul vitæ restituit omnes qui in inferno erant, vnà resuscitans secum. Multa namque corpora sanctorum qui dormierant, excitata sunt iuxta sanctum Euangelistam, & visa sunt à multis. Sed vbi hactenus sermone Matt.27.
processit, & hæc ostendit, deinceps proponit quomodo mortuus iis profuerit qui antea dormierant. Simul etiam quum
multa esset quæstio, Si ob salutem omnium hominum facta
est domini incarnatio, qualem sortiti sint salutem, qui antea
mortui sunt: vtrumque vno modo dissoluit, & ait, quod mors
domini vtrumque horum operata est, spem videlicet resurrectionis per hoc quod ipse resurrexit, & rursum eorum salutem qui priores dormierant. Nam qui bonis operibus vi- C
tam suam adornarāt tempore quo vixerant, quemadmodum
si tunc aduenisset Christus, nequaquam destituti fuissent
prędicatione ipsos viuificante, ita & tunc per domini ad inferos descensum salutem consequuti sunt, quemadmodum
etiam videtur diuo Gregorio. Ait enim ipse. An simpliciter
saluos facit omnes Christus qui apparuit? videlicet in inferno: an & ibi eos qui crediderint? Per hoc enim quod ait Eos
qui crediderint, significat quòd seipsos ita præparauerant,
quod si etiam tunc aduenisset, credidissent. Neque id reiiciendum puto, Non enim hæreditariè habetur salus, quandoquidem licet ad viuentes omnes venit, non tamen omnes saluat, sed eos tantum qui crediderunt. Etenim erat

D etiam opus liberæ voluntatis singulorum, vt quum rationales essent non insensibiliter se haberent ad magnificentiam eius qui tale donum præstiterat, sed se dignos præberent dantis bonitate. Posuit autem inobedientes fuerant, quandam soluens obiectionem. Verisimile enim erat aliquem dicturum: Et quo alio ante Christum prædicante, postmodum de inobedientia iudicati, aut condemnatione digni fuerant, qui Christum præcesserant? Quumque hoc posset euincere, quemadmodum & Paulus, à disseminatis in nobis rationalibus viribus, quòd, quum datum ipsis esset, vt possent inter bonum & malum discernere, nec postea bonum operati essent, tales digni essent morte: non hoc facit, nam id altioris est considerationis, ac philosophiæ
E profundioris, quàm vt ferre posset mens Iudæorum: sed à scriptura confirmat inobedientiam: neque id à temporibus prophetarum, sed ab ipso propemodum mundi ortu: ex quo demonstrat quòd ab initio prædicabatur hominibus salus, sed despiciebatur ob declinationem ipsorum ad vana ac voluptuosa. Quum enim illo quoque tempore innumerabiles essent homines, soli octo, credentes his quæ per arcæ præparationem prædicabantur, seruati fuerunt. Quoniam autem in aqua fuerat salus, confestim hoc ad sacrum transfert baptisma, & ait quòd aqua illa designabat nostrum baptisma, quoniam illud quoque suffocat, ac de-
F mergit incredulos dæmones, seruatque fideles ad ecclesiæ arcam accedentes. Simul autem dicit: Quemadmodum aqua diluit sordes, sic & baptisma. Verùm non ablationem sordium carnis operatur, sed per symbolum demonstrat macularum animæ ablutionem. Est autem veluti etiam arrabo quidam & pignus bonæ erga deum conscientiæ. Qui enim bene sibi conscij sunt, hoc est, qui inculpatam amplectuntur vitam, & illam penitus exquirunt, ac veluti interrogant (nam hoc comitari solet eos qui aliquid quærunt, nempe interrogare) hi etiam ad sacrum accurrunt baptisma. Et quis inquit, hoc præbet vt exquiratur, ac rogetur diuinum baptisma? Christi resurrectio. Siquidem ante ipsius resurre-
Iohan.3. ctionem ac passionem hoc ostenditur, Nisi quis natus fue-
Matt.28. rit ex aqua & spiritu: post resurrectionem verò, Baptizantes omnes gentes accedentes in nomine pâtris & filij & spiritus

ritus sancti. Postquam autem dispensationis sermonem conclusit: dico autem descensum domini ad infernum, & quam ob causam eò etiam accesserit, puta quòd propter illorum quoque salutem qui in inferno erant: aliam rursum sumit à morte domini occasionem ad virtutis exhortationem, & ait: Si Christus carne mortuus est pro nobis (neque enim immortali sua & diuina natura mori potuit) vtique & vos vicem ei rependentes, moriendo peccato propter ipsum, non amplius humanis concupiscentiis capiemini, sed soli dei voluntati reliquo tempore in carne viuetis. *Mortificatus quidem carne.* Id est, natura carnis, hoc est humana, sed resurgens potentia diuinitatis. Etenim spiritus est deus, quēadmodum ipse theologiæ fons, ac sapientia nos docuit. A Iohan. 4.

B *In quo etiam abiit, & spiritibus qui erant in carcere prædicauit, qui inobedientes fuerant quondam. Quum semel expectabatur dei longanimitas in diebus Noe, quum apparabatur arca, in qua paucæ, hoc est, octo animæ seruatæ fuerunt per aquam. Cuius figuræ nunc respondens baptisma: nos quoque saluat, quo non carnis sordes abiiciuntur, sed quo fit ut bonæ conscientiæ responsio sit apud deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est ad dexteram dei profectus in cœlum, subiectis sibi angelis & potestatibus ac uirtutibus.*

In quo etiam. Hoc ἐν ᾧ causaliter sumitur pro Ideo. Quum enim dixisset quòd pro nobis iniustis mortuus sit, & ex hoc demonstrasset, quòd pro salute omnium hominum mortem sustinuerit, dicit nunc quòd ideo quoque his prędicauit, qui in inferno detenti erant. ὁ ἀντίτυπον &c. (Obscurus est hic Græcorum verborum contextus, atque ideo pluribus vocibus Latinè redditus: attamen Græcas dictiones ad verbum reddendo, ita ordinabuntur) Quod figuræ respondens † vos quoque saluat nunc baptisma, quod non reiectio est sordium carnis, sed ἐπερώτημα conscientiæ bonæ, quæ ad deum est, siue secundum deum. Porrò ἐπερώτημα, hoc est arrabo, pignus demonstratio. *Subiectis sibi angelis.* vnito homini videlicet. C

† In textu quidē habebat nostrū exemplar cum aliis pluribus ἡμᾶς .i. nos primā personā. Attamen scholiastes hic legisse uidetur ὑμᾶς .i. uos secunda persona, quēadmodum & is qui uulgatam dedit editionē.

D CAPVT V. *De reiectione prauarum actionum, & repetitione fructuum in spiritu iuxta donorum diuersitatem.*

Cap. IIII. *Vum igitur Christus passus sit pro uobis carne, & uos iuxta eandem cogitationem armemini: quòd qui passus est in carne, destitit à peccato: in hoc ut iam non concupiscentiis hominum, sed uoluntati Dei quod superest in carne tẽpus uiuat. Sat enim nobis quòd anteacto tempore uitæ uoluntatem gentium patrauerimus, quum uersaremur in lasciuiis, concupiscentiis, uinolentiis, comessationibus, compotationibus, & nefariis simulacro-*
E *rum cultibus. Vnde nouum uidetur illis calumniantibus quòd non accuratis unà cum ipsis in eandem luxus refusionem. Qui reddituri sunt rationem, ei qui paratus est ad iudicandum uiuos ac mortuos.*

Ordo talis est: Quum igitur Christus passus sit carne. Vos quoque iuxta eandem cogitationem ordinemini: nam mortui estis & vos, mundo videlicet: Porrò qui mortuus est, cessauit à peccato &c. *Sat enim nobis.* siue abunde in vita anteacta voluntatem gentium operati sumus: hoc est gentiliter viximus, incedentes gentium more. Ideo gentes nunc hæc demirantur, *Eandem cogitationem.* Hoc est iuxta
F eandem intentionem, idemque propositum. Nam per defectum propositionis κατὰ.i.iuxta dictum est. *Qui passus est in carne:* hoc est mortuus est, similia dicẽs cum Paulo: Si mor-
Rom. 6. tui sumus cum Christo, etiã viuemus cum eo. & mortui quidem erimus peccato, sed viuemus Deo. *Sat enim nobis.* Tãquam diceret. Quid autem? an non abunde vobis est, quòd tanto vitæ tempore simul indulseritis voluptatibus? an non similiter vt & gentes lasciue vixistis? & quæ fuerint lasciuiæ ac obscœnitates, in specie subiungit, confundens ipsos. *Vinolentiis.* intemperantibus vini appetitionibus. *Vnde nouum uidetur illis.* ξενίζονται ponitur pro θαυμάζουσι .i. admirantur. Id autem est quod dicit: Quum semel renuntiaueritis gentium studiis, in quibus quondam viuebatis, adhæretis vitæ honestæ

tæ honestæ quam assumpsistis. Ita enim ipsi quoque gentiles admirantur vos, quòd non cõcurratis cum eis in similem impietatis refusionẽ siue confusionem. Ideoque non solum admirantur, & stupent ob mutationem vestram, non solum pudesiunt, verumetiam calũniantur, hoc est irrident vos. Abominatio est enim peccatori diuinus cultus. Hi autem neque impune ferent huiusmodi calumniam, sed reddent rationem vniuersorum iudici, qui ad hoc ipsum immutabiliter ac firmiter sedet: Nam id significat hoc loco Paratum esse: sicut quum dicitur: Parans montes in virtute tua. &, Parata sedes tua. Ei ergo qui immutabiliter ac firmiter iudicat viuos ac mortuos, reddent rationem qui vos subsannant. Quomodo autẽ viuẽtiũ sit iudex ac mortuorũ, cõsequẽter manifestabit. A Psal. 54. & .92

Nam in hoc mortuis quoque prædicatum est Euangelium: *ut iudicentur quidem secundum homines carne, uiuant autem iuxta* Deum *spiritu.* B

Ordo talis est: Hi qui vos calumniantur, reddẽt rationem ei qui omnes iudicat viuos ac mortuos: nam iudicanẽ & mortui, quod manifestum est ex aduentu domini ad inferos. Quum enim eo quoque venisset, videlicet per mortem suam in cruce, prædicauit, sicut & iis qui in terra viuebant. Prædicauit autem nõ sermone, sed opere. Et quemadmodum in mundum adueniens, iis qui parati erant vt ipsum cognoscerent, ad iustificationem venit: ignorare autem cupiẽtibus, ad condemnationem: ita & his qui apud inferos erant. Nam his qui secundum carnem humano more vixerant, ad iudicium aduenit, illis verò qui secundum spiritum vixerunt, hoc est iuxta spiritualem ac honestam vitam, ad gloriam & salutem. Itaque & viuorum & mortuorum iudex merito dici potest. C

ALIO MODO. Veteres quidem patres illud, Nam in hoc mortuis quoque prædicatum est euangelium, tanquam resecatam particulam interpretati sunt, nihil curæ habentes de continuatione ad superiora, neque quòd per modum caussæ dictum oporteat ad præcedentia referri, nam illud oportet secundum caussam dictum habere: sed sicut diximus tanquam intersectionem interpretati sunt hoc modo. Mortuos enim duobus modis appellare dixerunt sacram scripturam: aut eos qui peccatis immortui sunt, qui neq; vitam vnquam

D videre possunt: aut eos qui morti Christi conformes effecti sunt,& mundo quidem mortui sunt,hoc est mūdanis concu-
Gal. 2. piscētiis,viuunt autē soli Christo,sicut & Paulus dicit. Quod autem nunc viuo in carne,in fide viuo filij dei. Dicunt ergo quòd qui ita mortui sunt Christo,seipsos carne condemnant ob negligentē ac segnem vitam priorem. hoc autem est viuere ipsos spiritu,siue vita secūdum Christū: nam priorū cōdēnatio promptiores ipsos reddit circa præsentia,& ea præ manibus esse facit. Et illi quidē hoc modo. Et quāquam hæc recte se habere quis dixerit: necdū tamē quod dictū est omnino hæret. Quum autem in superiorib' dictum esset de his qui apud inferos erant,quòd illis quoq; spiritibus prædicatū fuit,æquum est ad id referre præsentem,qui per caussam inducitur sermonem, & non solum considerare,sicut nunc di-
E ctum est. Vnde dicim', quòd quia immediate antea dixerat, Qui paratus est ad iudicādum viuos & mortuos: his autem per exceptionē obiici poterat: Et vbi viuentes,aut vbi mortui iudicantur? subiungit sermoni fidem,ab his quæ prius dixerat, quòd his etiam qui in carcere erant spiritibus prædicatum fuit. & hæc prædicatio ipsis ad iudicium facta est sicue ad condēnationem: his quidem qui de bona vita sibi cōscij erant,protinus adhęrētibus benignitati illius qui ibi apparuerat: malis vero inde pudore repletis,suamque condem nationem expectantibus. Hoc itaque dominum esse iudicem mortuorum confirmat. Viuorum autem,nam quum in mun-
F dum venisset iuxta vitam mortalē,huius pręsentiam habuerunt homines pro condemnatione,dum boni quidem ad ipsum accurrerunt ac instructi sunt, scelesti vero repulerunt,
Iohan. 9. & sponte abominati sunt veritatem: quod ipsum etiam fuit horum condemnatio. Ideo quoque dicit dominus: In iudicium ego veni in mundum, hoc est in condemnationem. Ita ergo & viuorum iudex est dominus & mortuorum: & caussæ redditio ob integrum sermonem, & non propter partem ordinabitur. Itaq; quod dicitur, vt iudicentur carne,ita accipiēdum est,quòd quum accessisset dominus ad eos qui apud inferos erant,illi quidem qui in mundo carnaliter vixerant, condēnati sunt: qui vero spiritualiter,vixerūt: aut reuiuiscēdo vnà cum domino (multa enim corpora sanctorū qui dor-
Matt. 27 mierant excitata sunt) aut per bonam spem. Porrò Iudicentur

centur ac Viuant, dictum est sumendo tempus pro tempore, A
nempe futurum pro præterito, quod frequens est in sacra
scriptura. *Omnium*, inquit, *finis imminet*: hoc est, & eorum,
qui in vita iustificati sunt, & eorum qui apud inferos. nam in
secundo aduentu quod cuique repositum est consummabi-
tur. Quod si quis spernat prædicationem domini apud in-
feros, dicens mortuis nihil posse prodesse, eò quòd iuxta
prophetam Dauid, in inferno nullus confiteatur: hic & prę- *Psal. 6*
dicationem apud inferos crasse intelligit, & confessionem
non laudem dei, sed manifestationem existimat: ignorans il
lud quod dicitur: Non mortui laudabunt te domine. Est au *Psal. 113*
tem illud, In inferno quis confitebitur tibi. sic intelligēdum
quòd confessio est gratiarum actio ad deum, dum quis li-
beratus est à grauibus molestiis. Quoniam igitur cuncta B
quæ tractantur in præsenti vita, vbi peracta sunt, finiuntur.
nam mortuis omnia sunt otiosa: merito dum nullus quic-
quam operatur pro quibus liberatus gratias acturus esset, di
ctum est, In inferno quis confitebitur tibi?

Porrò rerum omnium finis imminet. Sitis igitur sobrij & uigilantes ad orandum. Ante omnia autem charitatem inter uos extensam habētes. Nam charitas operiet multitudinem peccatorum. Hospitales estote erga uos inuicem sine murmuratione. Vt quisque accepit donum, ita aliud in alium illud administrantes, ut boni dispensatores uariæ gratiæ dei. Si quis loquitur, loquatur tanquam eloquia dei: si quis ministrat, ministret tanquam ex potentia quam suppeditat deus, ut in omnibus glorificetur deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen. C

Finis, hoc est completio, consummatio: aut finem omni-
um prophetarum imminere dicit: ille autem vero sermone
Christus est, ipse enim omnium perfectio est. Et non quem-
admodum Græci delirant, quorum hi quidem voluptatem
dicunt esse finem, veluti Epicurus: alij vero sapientiam si-
ue contemplationem aut virtutem. Quandoquidem igitur

D perfectio omnium Christus aduenit: ipsi quoque, inquit, huic perfectioni conformes effecti, vosipsos in omnibus absque defectu exhibete in sobrietate, in vigilia ad precationes (sobriorum enim est precatio siue vigilantium, & non eorum qui crapula detinentur ex ebrietate rerum mundanarum) in charitate erga vos inuicem. Hanc autem Paulus

Rom.13 dicit esse legis consummationem: hic vero quòd peccata possit operire. Nam misericordia erga proximum, deum reddit nobis misericordem. Quæ misericordia nunquam ad id quod æquum est procederet, nisi ex multa dilectione siue charitate. Vbi autem charitatem dixit, subiungit, & ea quæ charitatem comitantur, nempe hospitalitatem, quam sine murmurationibus exhiberi iubet: nam hoc veræ cha-

E ritatis est. Sed & de his quæ cuique suppetunt donis, vt fratri non habenti communicentur: puta vt is qui sermonem habet doctrinæ (nam id significare vult per eloquia dei) largiatur ei qui hoc eget. Is qui nactus est suppeditationem alimentorum, non habenti tribuat: non pusillo animo, sed sicut potestas sumptus dati à deo permittit. Porrò hæc, inquit, exhortor, vt in omnibus, siue gentibus, siue etiam operibus vestris, glorificetur deus. Quum autem de his ita disseruisset, quoniam videbat nonnullos propter inductas in se afflictiones offendi, tanquam posita fuerit in lege promissio vitæ ab omni molestia alienæ his qui domino seruirent: etiam superius quidem quum de seruis statueret, breuibus verbis de his fecit exhortationem: nunc vero fusiori

F sermone vsus est, & ait: Charissimi, protinus ipso nomine significans hæc non iis qui odio habentur, sed qui vehemẽter amantur contingere. μὴ ξενίζεσθε autem, hoc est ne admiremini, ne extraneum ab amicis dei ducite. Deinde vbi etiam afflictiones dixit esse explorationem per ignem, ostendit quòd hę tanquam propter probationem in eos inducuntur. probatio vero desiderabilem reddit eum qui probatur, quemadmodum & aurum ac argentum. Ad hæc autem, subiungendo quod his omnibus beatius est, nempe eos qui hæc

τὸ πᾶν ἑαυτῷ κατηνύσατο † κόσμον patiuntur magistro Christo conformari: & nunc cum ipso ignominia affici, vt vnà cum eo glorificentur in futuro seculo, † quum vniuersum sibi subiecerit mundum. *Charitatem extensam:* hoc est, perseuerantem ac durantem & in longum

gum

gum protensam. *Vt quisque accepit donum.* Quæcunque enim in nobis sita sunt, & quorum domini sumus vt faciamus, in omnibus his de iniustitia accusatio esse potest. Neque enim in sola pecuniarum possessione, verumetiam in abundãtia aliorum naturalium, debitor est quisque vt tribuat non habenti: quoniam & ipse, quum non haberet, à deo accepit, vt tribueret indigentibus. A

CAP. VI.

Quòd ex consortio ad Christum necesse sit naturales uincere aduersitates, & ex spe ad ipsum ferre damna ab aliis illata.



Charissimi ne miremini dum per ignem exploramini, quæ res ad experimentum uobis contingit, perinde quasi nouum aliquid uobis obtingat: imò in hoc quòd consortes estis afflictionum Christi, gaudete, ut in reuelatione quoque gloriæ: eiusdem gaudeatis exultantes. Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis: quoniam gloria & spiritus dei super uos requiescit: Iuxta ipsos quidem blasphematur, iuxta uos autem glorificatur. Ne quis enim uestrum affligatur, ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut tanquam alienorum inspector. Porrò si ut Christianus, ne pudeat: imò glorificet deum in hoc nomine. Quandoquidem & tempus est, ut incipiat iudicium à domo dei: quòd si primum incipit à nobis, quis erit finis eorũ, qui non credunt dei euangelio? Et si iustus uix saluus efficitur, impius & peccator ubi comparebit? Proinde qui affliguntur iuxta uoluntatem dei, tanquam apud fidelem cõditorem deponant animas suas benefaciendo. B C

Dum per ignem exploramini: hoc est, probamini. *In nomine Christi.* Propterea quòd Christiani dicimini. *Iuxta ipsos quidem blasphematur.* Subaudiendum est Qui, vt sit sensus:

D sus: Qui spiritus dei apud impios quidem videtur blasphemari, apud vos autem glorificatur. Quomodo? Quia dum illi falso vos accusant, in illos quidem refunditur confusio, vobis autem gloria. *Alienorum inspector.* Qui aliena curiose rimatur, vt calumniæ occasionem habeat. Hoc autem scelesti animi est, & veteratoris ac dolosi, facilisque & prompti animi ad omne malum. *Quandoquidem tempus est, ut incipiat iudicium à domo dei.* Solicitos eos reddit ac terret, à desidia ipsos repellens & vita remissa, ideo quoque subiungit: Quòd si primum à nobis qui sumus domus dei incipit rerum in vita peractarum indagatio, quem existimare oportet finem eorum, qui non crediderunt? Iudicium nunc non in-
E telligimus condemnationem, sed indagationem, scrutationem, discussionem ad eligendum quod melius est. Incipit autem primum à domo dei, quoniam iuxta nostrum Magnũ Basilium, naturaliter his qui nobis familiarissimi sunt magis indignamur, quum in nos peccauerint: deo autem non alij familiariores sunt, quàm fideles qui complẽt domum dei si-
Matth. 25 ue ecclesiam. Ideo quoque dicebat saluator: Dicet primum his qui à dextris erunt. Iudicium autem hoc loco dicit examinationem, nempe afflictiones quæ ab impiis infliguntur fidelibus: quarum etiam inductionem prænunciabat domi-
Mat. 10 nus quum diceret: Tradẽt vos ad cõcilia, &c. Deinde quasi consolando eos subiungit: Si ergo nobis qui adeo familiares
F ipsi sumus non parcit, cõsiderate quis futurus sit finis impiis.
Prouer. 11 Et confirmat hoc à scriptura quæ dicit: Si iustus vix saluus efficitur, impius & peccator vbi cõparebit? Huiusmodi autẽ est quod à scriptura significare vult: Si iustus per laborem & afflictionem consequitur salutem (violente enim capitur re-
Matth. 11 gnum cœlorum, & per multas afflictiones quispiam ipsum
Act. 14 consequitur) qui vitam dissolutam ac voluptuosam degunt quid consequentur? Intelligendũ est autem in futuro seculo quantum ad id quod impios concernit. Proinde si hoc ita est inquit, propter hoc & nos afflicti iuxta voluntatem dei, ne segnes efficiamur, sed tanquam apud fidelem conditorẽ deponamus animas nostras benefaciendo. Dixit autem: Iuxta voluntatem dei; aut significans quòd non sine diuina prouidentia sint nostræ afflictiones, sed tanquam exploratio ab illo nobis dispensantur: aut quòd tanquam voluntate dei af-


flicti,

flicti, ipsi tribuamus & euentum. Hic nanque fidelis est, hoc est securus, & qui in suis promissionibus non mentitur: neq; permittet nos affligi supra id quod possumus. Quo autē modo oportet seipsum apud deum deponere? Benefaciendo, inquit. Quid autem illud est? Per animi modestiam seipsum illi cōmittere, non se extollendo ob ea quę quispiam patitur, sed quanto maiora pati videtur, tanto firmius illi hæreat, vt seipsum existimet inutilem & dicat illud, Iustus es in omnibus quæ fecisti nobis. Porrò impius & peccator hac parte differunt. Siquidem impius est penitus à deo alienus, peccator vero deo quidem aliquantum hæret, sed tanquam contemnens eiusq; leges transgrediens. Potest tamē idem & impius esse & peccator: nam qui iniquitatē operatur, vtique impie agit, in eo quòd peccat, deum non esse existimans.

A 1.Cor.10 Danie.9 B

CAPVT VII.

Admonitio presbyterorum de cura & uisitatione gregis: in quo etiam agit de communi omnium modestia erga singulos, ad uictoriam aduersus diabolum.



PResbyteros qui sunt inter uos exhortor, qui sum & ipse presbyter ac testis afflictionum Christi, atque idem consors gloriæ quæ reuelabitur: pascite quātum in uobis est gregem Christi, curam illius agentes non coactè, sed uolentes: non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo: neque ceu dominium exercentes aduersus cleros: sed sic ut sitis exemplaria gregis. Et quum apparuerit pastorum princeps, reportabitis immarcessibilē gloriæ coronam. Similiter iuniores subditi estote senioribus, sic ut omnes alius alij uicissim subiiciamini. Humilitatē animi uobis induite, propterea quòd deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliemini igitur sub potenti manu dei.

Cap.V. C

Quum de animi modestia differere proponat, quā etiam obiter tetigit dum diceret, Benefaciendo: nunc seipsum vocat sympresbyterum, id est simul & vnà presbyterum. Per hoc

D hoc autem ipse vel ætatem designat, vel episcopi honorem.
Acto.20. Quòd enim & episcopi dicantur presbyteri, nouit & Actorum liber. Deinde volens sui eminentiam demõstrare. Et ꝙ modestiæ caussa seipsum vocet sympresbyterum, subiungit suam dignitatẽ. *Testis afflictionum Christi:* hoc per ista significare volens: Si ego qui talium visionũ vobis interpres sum, non dedignor meipsum appellare sympresbyterum, neque vos qui iusti estis extollamini aduersus eos qui vobis inferiores sunt. Propterea autem Christus huius præceptor mo-
Iohan.13. destiam docendo ita pronuntiat: Si ergo ego laui vestros pedes dominus ac magister. Addit autem, *Consors gloriæ quæ*
E *reuelabitur,* vt demonstret modestiæ animi excellentiã: quẽ-
Col.3. admodum & Paulus dicit: Quum Christus manifestatus fuerit, tunc & nos manifestabimur. Porrò hic nequaquam coacte pascet, qui suis subditis proponens seipsum exemplar bonæ operationis, discipulos habet se mutuo incitantes ad æmulationem præceptoris: Neque turpiter lucrum affectando, qui non arroganter incedens, neque sese aduersus subiectos erigens, sed humiliter conuersans, assiduam habet frugalitatem, quæ nullo indiget sumptu aut vestium pretiosarũ aut mensæ sybariticæ, quæ fastum cum plausu excipiunt, & sumptum à turpi lucro expetunt. Clerum autem vocat sacrũ cœtum, sicut nos etiam nunc. Addens vero, *Sic ut sitis exem-*
F *plaria gregis,* instruit ne velut coacte gregem pascant. Porrò quum dicitur, *Et quum apparuerit princeps pastorum,* coniunctio Et causaliter ponitur pro Vt, hoc est: Vt quum apparuerit princeps pastorum, reportetis immarcessibilem gloriæ coronam. Quemadmodum etiam Psalmo. 89. quum dicitur, Et † respice in seruos tuos & in opera tua. Nam ibi ponitur Et, loco Propter quod. ἐγκομβώσασθε vero, hoc est, vobis circundate, amplectamini.

Ita legitur iuxta editionem Septuaginta.

Vt uos exaltet in tempore, omni solicitudine uestra coniecta in illum, nam ipsi cura est de uobis. Sobrij estote, uigilate, quoniam aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Cui resistite solidi fide: sciẽtes easdem afflictiones uestræ quæ in mundo est fraternitati consummari.

Additur,

Additur, *In tempore.* Transmittit enim ad exaltationem A in futuro seculo, quæ etiam sola est exaltatio, tãquam immutabilis & perpetua, quum præsens exaltatio neque secura sit neque firma, sed potius conferat ad perpetuam humiliationem, vt velocius humilietur quàm fuerit exaltata. Porrò ꝙ humiliatio exaltationem cõciliet, ipse dominus idoneus est qui fidem faciat, ait enim: Omnis qui sese exaltat humiliabitur, & qui sese humiliat exaltabitur. &: Qui vult inter vos pri mus esse, sit omnium postremus. Dicens autem In tempore, designauit, vt diximus, etiam in futuro promitti exaltationẽ quę ab humiliatione proueniat. tempus namque rerum immutabilium in futuro & incorruptibili seculo erit. Incorruptibile enim nihil habet mortale aut caducum. Deĩde timorem auferẽs qui ab humiliatione procederet (fortassis enim videbat quosdam vereri, ne sese humiliantes in præsenti vita, mali quippiam paterentur) ait: Ne metuas, omni solicitudine tua in dominum reiecta, quum teipsum apud eum deposueris qui caute sedulam tui geret curam. *Nam ipsi cura est,* siue solicitudo apud eum reponitur de his omnibus. *Sobrii estote, uigilate.* In eos qui spiritualiter dormire solent (hoc autem est ad vana inhiare) & ex hoc vigiliam aggrauant animorum, mala ac sæuissima desperationis fera solet insilire. Muniẽs itaque nos Christi discipulus, exhortatur vt semper vigilemus, ac obseruemus eum qui zizania seminat, ne quo modo nobis dormientibus, siue negligenter ac segniter viuentibus, prauas cogitationes clam superseminet, & à vera vita repellat. Neque enim cessat, inquit, tanquam leo rugiẽs obambulare, quærens quem deuoret, cui vos quoque firmo animi robore resistite. De huiusmodi vero acribus insidiis & accuratà ipsius fraude aduersum nos, sanctus quoque Iustinus martyr caussam adferens dicit, ꝙ diabolus ante domini aduentum non adeo aperte nouerat vim sui supplicij, quum diuini Prophetæ hanc ænigmatice denuntiassent: quemadmodum Iesaias, sub persona Assyrij omnem de diabolo repręsentationem tragice narrans. Quum autem dominus aduenisset & aperte diabolo eiusque angelis ignem æternum repositum ac paratum esse dixisset, hoc ille audito non cessat fidelibus insidiari, multos habere volens suæ defectionis consortes, ne solus huic adhærens pudefiat, frigida hac & inuida

Lu.14.18. Mat.20. Mar.10. B Mat.13. C Iesa.14. Mat.25.

D inuida consolatione sibi plaudens. *Scientes easdem afflictiones.* Quemadmodũ verisimile est, hi ad quos scribit Petrus multis propter Christum afflictionibus premebantur: ideo & in præcedentibus & in sequentibus adfert ad hoc consolationem: ibi quidem per hoc ꝙ patientes, efficiantur ipsi consortes afflictionum Christi, & eius quæ reuelatur gloriæ hæredes: hic autem per hoc ꝙ non soli patiantur, sed & omnes fideles qui in mundo sunt: porrò grauitatem alleuiat societas consortum.

CAPVT VIII.

Precatio pro perfectione credentium.

E *Deus autem omnis gratiæ qui uocauit nos ad æternam suam gloriã per Christum Iesum, parumper afflictos idem instauret uos, fulciat, roboret, stabiliat. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Per Siluanum uobis fidelem fratrem ut arbitror, paucis scripsi: adhortans ac testificans hanc esse ueram gratiam dei in qua statis. Salutat uos ea quæ est in Babylone, uestræ consors electionis ecclesia, & Marcus filius meus. Salutate uos mutuo charitatis osculo. Pax uobis omnibus qui estis in Christo Iesu, Amen.*

F Et inchoãdo epistolam patrem dixit misereri per filium, & nunc finiens, eundem patrem vocare docet per filium: nã id est ipsis scopus vt prædicent mysterium, quanquam hoc faciant cum exhortatione. *Per Siluanum.* Valde fidelis erat hic Siluanus, & circa prædicationem alacriter certãs. Siquidem & Paulus eius meminit, eumque adiutorem vnà cũ Ti-
1. Thes. 1. motheo in epistolis suis assumit dicens, Paulus & Siluan⁹ &
2. Thes. 1. Timotheus. Babylonem autem vocat Romam, eo ꝙ adeo insignis ac præclara esset, quod & Babylon multo tempore habuit. Marcum vero filium appellat iuxta spiritum, & non iuxta carnem. Huic autem commisit vt etiam euangeliũ scriberet. Quidam nihilominus ausi fuerunt asserere Marcum fuisse diui Petri filium iuxta carnem, argumento vtentes ei⁹
Acto. 12. quod in Actis Apostolorum dictũ est à Luca. Ait enim hunc

Petrum per angelum dei mirabiliter de carcere eductum in A
quo concluserat eum Herodes, dimissum ab angelico colloquio, venisse ad domum matris Iohannis qui cognominabatur Marcus, tanquam ad suam ipsius domum venerit & ad legitimā vxorem. Quum autem Paulus scribat vt se mutuo salutent osculo sancto, hic dicit Osculo charitatis, idem dicens cum illo. Nouit enim & Paulus charitatem quæ secundum Christum est & omnibus virtutibus maior est, ipso quoque 1.Cor.13.
martyrio propter Christum suscepto. Ille itaque sanctum osculum dicit segregatum ac definitum in deo, hic autem similiter charitatis osculum quæ vera dilectio est, quam Paulus laudibus extulit. Ideo etiam subiungit: *Pax vobis omnibus* B
qui estis in Christo Iesu: non vulgarem dicens pacem quæ est apud homines, quæ hominibus cordi est propter affectionē gloriæ vanæ & fruitionis voluptatum, quibus tradunt seipsos hi qui à bello vacant: sed precatur vt pacem consequantur, quā & præceptor Christus ad passionem procedens ipsos dignatus est dicens, Pacem meam relinquo vobis: & dif- Iohan.14.
ferentiam subiungens, Non quemadmodum inquit mundus dat. Non enim propter affectionem pax quærenda est, sed vt colligati simus charitate, ad excipiendos hoc modo ictus aduersariorum. Vbique autem tanquam sigillum addentes discipuli domini, precationem in fine adferunt, tanquam genuinum suæ sanctitatis signum.

Finis. Scripta est ab vrbe Roma. C

ARGVMENTVM POSTERIORIS catholicæ Petri epistolæ.

HAnc rursum scribit Petrus iam credētibus. Est autem epistola priorum memoratiua. Quum enim sciret breui futuram sui corporis dissolutionē, studebat omnes admonere doctrinæ qua instructi fuerant. Et primum quidem de fide exponit, ostendens ipsam a Prophetis annuntiatam fuisse: quodq; prophetiæ quæ de Saluatore loquuntur non sint humanæ, sed à deo prolatæ sint. Deinde præcipit ne animum aduertant seductorib⁹, dicens futuram esse ipsorum perditionem, quemadmodum etiam facta fuit transgressorum angelorum. Prænuntiat autem in

D tem in epiſtola fore dies quibus obambulabunt illuſores volentes aliquos ſeducere, dicendo vane dici à nobis futurum domini aduentum, eo ꝙ ſemper dicatur & nondum aduenerit. Ab his igitur maxime ſeparari præcipit, docens non eſſe negligenter tranſigenda tempora: quum omne tempus nihil ſit coram deo: eo ꝙ vnus dies ſit tãquam mille anni, & mille anni tanquam dies vnus. Confirmat autem & oſtendit breui futurum eſſe diem domini, præcipitque vt omnes ad ipſum parati ſint per bona opera, & vt amplectantur ea quæ ab Apoſtolo Paulo ſcripta ſunt, nec his attendant qui illa calumniantur, eo ꝙ omnes quoque diuinas ſcripturas calum-
E niẽtur. Vbi igitur ſuggeſſit ac docuit omnes vt in rebus prouideant, exhortatur ne à fidei propoſito excidant, & ita concludit epiſtolam.

Poſterior catholica petri epistola.

CAPVT I.

F *De uocatione per fidem confirmata operibus quæ ſunt in uirtute ac ſpe futurorum bonorum.*

Cap. I.



Imon Petrus ſeruus & Apoſtolus Ieſu Chriſti, iis qui æque honorificam nobiſcum ſortiti ſunt fidem, per iuſtitiam dei noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti. Gratia uobis & pax multiplicetur, in cognitione dei ac Ieſu domini noſtri.

Simon. Scribitur & Simeon, nam à Simeon diminutio eſt Simon: quemadmodum à Metrodorus Metras, à Menodor⁹ Menas & à Theodoſius Theudas. Statim autem ab exordio attollit mentes & animas credentium, ad æquale ſtudiũ eos excitans

excitans circa prædicationem cum apostolis. Non enim iustum est vt qui æque honorificum sortiti sunt donum, in aliquo sint his posteriores, quibus declarati sunt esse æquales. Vbique autem pace eos excipit, at non eius quæ mundi est, sed quæ in dei cognitione sita est. Nam sola hęc dicitur pax, vt quæ nos liberet ab offensione, & inimicitia ad deum. Ideo quoque Christus hanc nobis tribuit discedens ad patrem, & quum à mortuis resurrexisset clamans, Pax vobis, Et in ecclesiis angelum pacis nobis dari precamur: ac sacerdos ab altari frequenter hanc populo tribuit: nos etiam in mutuis alloquutionibus hac vtimur, quòd hæc mater sit omnium bonorum, ac substantia gaudij nostri. Ideoque Christus discipulis suis in domos ingredientibus hanc primum offerre diuinitus edixit. *Gratia uobis & pax.* Ordo talis est. Gratia vobis & pax multiplicetur, sicut omnia quę ad vitam ac pietatem faciunt, in cognitione dei ac domini Iesu, quum per diuinam ipsius virtutē hæc gratia vobis largita sit ipsius cognitionem, gloriam ac virtutem: per quæ promissiones maximæ donatæ sunt: vt deuitata corruptione mundana quæ ex concupiscentia prouenit, consortes efficiamini diuinæ naturæ. *In cognitione dei.* Ordo. Vobis qui in cognitione dei & Iesu domini nostri æquè honorificam nobiscum sortiti estis fidem per iustitiam dei nostri, gratia & pax multiplicetur. Aut hoc modo est ordo: In cognitione dei ac Iesu domini nostri, quæ cognitio per diuinam ipsius virtutem omnia quæ ad vitam ac pietatem faciunt largita est, ipsamque illius cognitionem qui vocauit nos per gloriam & virtutem, per quam gloriam & virtutem pretiosæ maximæque promissiones donatæ sunt, vt sitis diuinæ consortes naturæ, effugiendo mundanæ concupiscentiæ corruptionem. Sed & hoc ipsum siue ad hoc ipsum adhibito omni studio, subministrate in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia temperantiam, & in hac patientiam, in patiētia autem pietatem, in hac autem fraternam charitatem, in fraterna charitate dilectionem.

A

Io. 14. 20.

B

C

Sicut omnia uobis diuina ipsius uirtute, quæ ad uitam ac pietatem faciunt, largiente, per cognitionem eius qui uocauit nos per gloriam & uirtutē, per quæ

D *pretiosa uobis ac maxima promissa donata sunt, ut per hæc efficiamini cõsortes diuinæ naturæ, deuitata corruptione quæ in mundo est per concupiscentiam. Sed & in hoc ipsum adhibito omni studio subministrate in fide uestra uirtutem, in uirtute autem scientiam, in scientia uerò temperantiam, in temperantia autem patientiam: rursum in patientia pietatem, in pietate uerò fraternam charitatem, in fraterna autem charitate dilectionem. Hæc enim quum uobis adsunt & exuberant haud ociosos nec in irritum laborantes efficiunt ad domini nostri Iesu Christi cognitionem.* E *Nam cui non adsunt hæc, is cæcus est & manu uiam tentans, oblitus sese à ueteribus suis peccatis fuisse purgatum.*

Longo quidem tractu reddita est series, porrò hæc est intelligentia. Tanquam innumeris acceptis bonis per Christi apparitionem, per quæ possumus diuinæ naturæ consortes effici, & ad vitam ac pietatem reduci: ita conuersari debemus, vt fide subministremus virtutem, & per hanc viam gradiamur ad promotionem in pietate, donec ad bonorũ perfectionem quæ est dilectio veniamus. F Diuinæ autem naturæ consortes facti sumus per domini ac dei aduentum, qui nostræ naturæ primitias in seipso assumpsit & assumendo sanctificauit. (Roma. 11.) Quòd si primitiæ sanctæ, sancta est & massa. Porrò massa primitiarum non alia est quàm illi ex quibus sunt primitiæ. Corruptionem verò quæ est à mundana concupiscentia dicit, tanquam ex corruptibilibus & circa corruptibilia consistentem. Gradus autem tradit ad promotionem: primum quidem fidem, quæ fundamentum est ac basis seu principium bonorum: Deinde secundo gradu virtutem siue opera, nam sine his fides mortua est, quemadmodum dicit Iacobus. (Iacob. 2.) Post hæc vero scientia. Quæ autem est hæc? cognitio secretorum dei mysteriorum, quæ non cuiuis contingit, sed exercitato in habitu meliorum operum. Post hæc est temperantia. Nam & hac opus est ei qui ad mensuram

peruenit,

peruenit, ne doni magnitudine lasciuiat. Quoniam autem non contingit eum qui modico tempore vtitur temperantia, firmiter donum possidere (semper enim cupiunt affectiones eam quæ à præfocatione liberat, ad id quod peius est perducere (subingressa tolerantia rem omnem peragit, & pietatem cōciliat, perfectiorem in deum confidentiam efficiens: ideo quoq; ex pietate quæsita est charitas fraterna, quæ nequaquam accedit nisi benignitas ad omnia tribuerit aditum pietatis. Et super omnia bonorum omnium complementū est dilectio, quemadmodum & Paulo & veritati videtur. Nā hæc & dei filium & huius patrem euicit: hunc quidem vt sibi dilectum filium daret, filium verò vt sanguinem suum pro nobis effunderet. *Hæc enim quum uobis adsunt.* Quænam? fides, virtus, scientia, temperantia, patientia, pietas, charitas fraterna, dilectio, quæ non adesse tantum oportet, verumetiam exuberare. Nam si præsentia prodest, † multo magis abundantia siue opulentia. Quæ autem sequitur ex his vtilitas? Securitatem habere ad secundum domini aduentum. Eū namque cui non adsunt hæc, in gloria iudicis aduenientis, & in modum solis resplendentis, cæcitas subsequitur. Vbi etiam si aspectu valeat, ne ita quidem potest sine læsione per affectum intueri id quod splendidissimum est, quum sua luce semper mirum in modum splendente natum sit eos obtenebrare, qui ad illud debilibus oculis innitūtur. μυωπάζειν vero dictum est pro cæcutire ἀπὸ τῶν μύων, id est à bufonibus sub terra degentibus, qui ad omnia cæci perseuerant. *Oblitus sese à ueteribus suis peccatis.* Hoc simile est illi quod à beato Iacobo dictum est: Si quis audiat sermonem nec eum factis exprimat, hic similis est viro consideranti faciem natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim seipsum & abiit, statimque oblitus est qualis esset. Nam & hic quum seipsum cognouisset sacro baptismate purgatum fuisse: quia à peccatorum multitudine ablutus fuerat, scire debuisset ꝙ purgatum & sanctitatem consequutum vigilare oportuit, vt sanctitatem semper seruaret, sine qua nemo videbit deum: ille vero oblitus est.

A | Roma. 13. | Colos. 3. | B | † *Allusio est in uoce* παρουσία *&* περιουσία *i. præsentia & opulentia.* | C | Iacob. 1. | Heb. 12.

CAPVT II.

Adhortatio ad doctrinæ admonitionem, reuocando eam in memoriam: & quo modo in monte Thabor audiuerit dei uocem de Christo.

D  *Vapropter fratres potius operam date, ut uocationem & electionem uestram firmam efficiatis. Hæc enim si feceritis, non labemini unquam. Siquidem ad hūc modum abūde subministrabitur uobis introitus ad æternum regnū domini nostri & saluatoris Iesu Christi. Quapropter haud negligam uos semper commonere de his, tametsi sciatis & confirmati sitis in præsenti ueritate. Attamen iustum arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo,*
E *excitare uos per commonitionem: quum sciam breui futurum ut deponam hoc tabernaculum meum: quemadmodum & dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam & semper habere uos post meum exitum ut horum mentio fiat.*

Quapropter, inquit, fratres mei quum ille oblitus sit, date vos potius operam, vt permanentem atque immutabilem ostendatis vestram vocationem & electionem, hoc est sermonem instructionis vestræ, quem ad electionem ac vocationē vestram audistis, vt irreprehensibiles sitis: ne quasi muneris
F dei obliti iudicemini, sed persistite firmam habentes vocationem vestram. *Hæc enim si feceritis.* Quænam? Quæ prædicta sunt, nempe virtutem, scientiam, temperantiam & cætera quæ sequuntur. Animaduerte autem quomodo ordinato prius ab his quæ formidabilia erant iudicis tribunali, nūc etiam per bona dirigit introitum ad æternum domini regnum. *Tametsi sciatis.* Ne de eisdem continue videantur admoneri, tanquam redarguti quòd in otio vitam degant, & ita contristentur, huius gratia subiungit: Tametsi sciatis & confirmati sitis in præsenti veritate. Caussam autem reddēs continuæ admonitionis, subiunxit quòd sciret breui futurā esse absolutionem ab hoc suo corpore. Quod autem subinfertur, puta: *Dabo autem operam & semper.* Nonnulli per hyperbaton intelligunt hoc modo: Dabo autem operam & post meum exitum, vos habere semper siue indies & continue horum memoriam: volentes ex hoc ostendere quòd etiam

etiam post mortem sancti eorum meminerunt quæ hic pro viuentibus perfecerunt. Alij vero simpliciter tractantes illud dictum, ita intelligunt. Dabo autem operam & semper habere vos post meum exitum vt horum mētio fiat: hoc est: ne miremini, neque grauem ducatis assiduam de his fieri vobis mentionem. Non enim condemnans ruditatem vestrā hoc facio, sed per continuam de his doctrinam, perseuerans & immobile vobis exhibeo horum subsidium, vt his confirmati, habeatis etiam post meum obitum viuam ac indelebilem de his doctrinam. A

Non enim arte compositas fabulas sequuti, notam uobis fecimus domini nostri Iesu Christi uirtutem & aduentum, sed qui oculis nostris aspeximus illius maiestatem. Accepit enim à deo patre honorem & gloriā, uoce ad ipsum huiuscemodi delata à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacitū est. Et hanc uocem nos audiuimus è cœlo delatam, quum essemus unà cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui dum attenditis ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, rectè facitis: donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus uestris. Si illud prius noueritis quòd omnis prophetica scriptura non sit propriæ interpretationis: Non enim uoluntate hominis allata fuit unquam prophetia: sed à spiritu sancto impulsi, loquuti sunt sancti dei homines. B Matt. 17. C

Quum dixisset quòd studiose se habere debeant, ad ea videlicet quæ à se fuerant ipsis annuntiata, & de his longum explicuisset sermonem, idque frequenter: quanquam & scirent & variis modis audissent, eorum nunc confirmationem subiungit, & ait: Non vanam circa hæc adhibeo diligētiam, sed quum certam ac indubitatam esse sciam ipsorum veritatem, adeo illis immoror. Et quidnam hoc est? Non humana sapientia ad vos vsi ornatisque sermonibus, veluti præstigiis fallentes auditum vestrum, notam vobis fecimus domini

D virtutem & aduentum, quod Græci faciunt & hæretici: Græci quidem compta dictione vtentes ac decipientes: Hæretici vero fictis sermonibus: quemadmodum Valētiniani profunditates ac silentium prodigiose fingentes. Verisimile enim est quòd iam incipiebant suboriri. Nihil itaque huiusmodi deprehendere est in nobis, sed simplici ac humili sermone tradidimus vobis doctrinam: quod etiam Paulus dicit ad Corinthios: & ea quæ ex oculorum nostrorum aspectu habemus, qui vnà cum ipso in montem sanctum ascendimus. Dicit autem ostensam ipsis in monte sancto super vnigenitum gloriam, & vocem quam à patre de cœlo allatam propter dominum audierunt. Quoniam autem rebus ipsis & experientia cognouimus quæ fuerunt à Prophetis prænuntiata, firmiorem, inquit, per hæc iudicamus prophetiam ipsorum: nam res ipsæ consequutæ sunt sermones ac oracula. Idcirco & vos recte facitis attendentes prophetiæ, siue his quæ à Prophetis prædicta sunt: quanquam tūc obscure ab ipsis dicta fuerunt, & in similitudinem lucernæ ardentis in caliginoso loco. Huiusmodi enim est squalens locus solis ardore subexustus ac humore aerem informāte priuatus. Vnde necesse est vt aer qui solari radio subseruit, quū periclitetur ne suam amittat proprietatem, sese ministrum illegitimum soli præbeat, ac radius tanquam per illegitimum vehiculum delatus, obscurum sui splendorem exhibeat. Attendentes autem his quæ ita obscure à Prophetis dicta sunt, non fraudabimini spe vestra, rebus inquit suo tempore succedentibus: quas etiam diem appellauit, scitè admodum in tropo permanens. Dixit enim lucernam & locum obscurum siue caliginosum ac tenebrosum, quod & nox est. Cuique autem nocti succedit dies. Die itaque accedente (rerum dico præsentiam) habebitis Luciferum in cordibus vestris exoriētem: hoc est Christi cognitionem, siue ipsius præsentiam ac aduentū à Prophetis prænuntiatum, & tanquā veram lucem corda vestra illustrantem. Deinde enarrando subiungit quare prophetæ sua dicta non fuerint interpretati: simul autem discernit quoque veram prophetiam à dæmoniaca & ficta, quæ in hæreticis operari deprehenditur, & ait: Omnis prophetica scriptura propriæ siue priuatæ non est interpretationis hoc est, prophetiam quidē à deo accipiunt Prophetæ, at non

Vide Irenæū ca. 1. li. 1. aduersus hæreses

1. Cor. 2.

Mat. 17.

Mar 9.

Luc. 9.

E

F

at non vt illi volunt,sed sicut diuinus spiritus ipsos mouendo A
operatur: & nouerunt sanè, ac intellexerunt demissum ad ipsos propheticum sermonem,attamen ipsius interpretationem non faciebant. Quod autem prophetæ diuino acti spiritu nouerunt quomodo à deo demissus sit ad eos spiritus,ex eo manifestum est,quòd vltronei subministrabant,& loquebantur quod volebant,quod autem nolebant tacebant: quẽadmodum Ionas propheta recusans prędicare in Niniue: & Ionæ.1.
Balaam ea loqui iussus, quę sibi suggererent. Verum id non Nume.22.
habebant pseudoprophetæ, aut Græcorum vaticinia: neque enim cognoscebant dum agitarentur, sed insania vecordes effecti, ignorabant quid sibi accideret, tanquam ebrij. Sancti itaque prophetæ, veteres dico quanquam intelligerent, non tamen interpretari debuerunt quæ prædixerant, sed B
hæc aliis ministrabant, puta nobis. Simul quoque vt lateret domini aduentus, nec pararentur illi insidiæ ab impiis. Siquidem etiam insidiis appetitus poterat quidem insuperabili dei potẽtia effugere: sed verisimile est quòd euasione interdum miris modis contingẽte, tanquam prodigiosè facta apparuisset incarnatio. Et quòd hoc verum sit ex prophetis apparet, qui in nouo fuere testamento, qui etiam interpretabantur seipsos dum prophetarent, quanquam non in omnibus: quemadmodum diuus Paulus priore ad Corinthios epi- 1.Cor.14.
stola dicit. Non enim huiusmodi aliqua suspitio erat in nouo testamento. Præterea quòd non rapti extra se prophetæ vaticinarentur, ex eo quoque manifestum est. Nam quum vno spiritu ꝓphetarẽt, qui in veteri testamẽto erãt, & qui in C
nouo, dicit Paulus: Si autem alij sedenti reuelatum fuerit, prior taceat. Ex eo enim manifestũ est, quòd in sua naturali cõsistentia permanẽtes ꝓphetæ, & intelligentes sponte prophetabant. Ideo etiam alio surgente cui inspiratum est, qui prior loquebatur tacere præcipitur, quod in furiosis vatibus inuenire nemo posset. Quomodo enim tacebit is qui ne nouit quidem quid operetur? Sancti quoque spiritus energiam esse in prophetis ipse Paulus dicit, ita loquens: Huic quidem datur sermo sapientiæ, alij vero sermo prophetiæ. prçterea & hic per ea quæ modo proponuntur. *Accepit enim à deo patre.* Hoc participium λαβὼν aut loco verbi indicatiui positum est pro ἔλαβεν.i. accepit: quandoquidem iuxta

D participij consequẽtiam non respondet postmodum sermo. Aut si hoc non placet, sed vult quispiam accipere λαβὼν tanquam propriè participium, ad inordinationem necessario decidet sermo: si vero participium pro indicatiuo verbo sumatur, cosentaneum erit quod subiungetur, puta Accepit enim à deo patre gloriam: Et habemus ex hoc firmius quicquid à prophetis antea de hoc annũciatũ est: Non quòd de voce supernè à patre delata sit aliqua prophetia, sed quòd à superna patris voce quæ ipsum esse filium testata est, confirmati simus quòd omnis prophetarum vaticinatio indubitatũ ferat

Mat.3.17 à patre testimonium. *Hic est filius meus.* Trina vice filio da-

Iohan.12. tum est à patre testimoniũ in baptismo, in passione quum dixit, Et glorificaui & rursum glorificabo, & in monte. *Si il-*

E *lud prius noueritis &c.* Nouerant & prophetæ ea quæ sibi à prophetico spiritu inspirabãtur, & de quibus, nõ tamen exactè, & quomodo singula perficerentur. Ideo quoque intelli-

Luc.10. gentes desiderabant videre horum euentum, quemadmodum & dominus dicit.

CAPVT III. *Vaticinium de fraudulenta insurrectione hæreticorum, impietatisq; ipsorum ac futuri supplicii.*

Cap. II. *Verũt autẽ & pseudoprophetæ in populo, quemadmodum & inter uos erunt pseudodidascali (id est falsi doctores) qui clam inducent sectas perniciosas, etiam dominũ qui illos mercatus est abnegantes, accersentes sibiipsis celerem interitum: & plerique sequentur illorum exitia:*

F *propter quos uia ueritatis conuitiis afficietur: & per auaritiam fictis sermonibus de uobis negotiabuntur. Quibus iudicum iam olim non tardat, & perditio illorum non dormitat.*

Quum prophetiæ nomẽ cõmune sit, quod & ad prophetas & ad pseudoprophetas refertur. confirmat nunc pseudo-

1.Cor.12. prophetis non esse attendẽdũ. Et ab hoc paululũ differt Paulus dum docet, quòd nemo dicit dominũ Iesum, nisi per spiritum sanctũ. Hinc autẽ auspicatur heresi obuiam ire aduersus Nicolaitas, duplicem dicẽs ipsorum malitiam. Sunt enim

dogmate

dogmate quidē impiissimi, quod sua in Christum dominum blasphemia demōstrarūt: vita autē maxime obscœni. Et hoc nunc quidem per turpe lucrum designat: paululum autē ꝓgressus apertius proferet. Nūc enim πλεονεξίαν, id est auaritiam dicens, turpe lucrum significauit. Nam πλεονεξία interdū quidē iniustitiam significat, quandoq; verò lucrū simpliciter. Vnde particularius se loqui ostēdēs, addidit Negotiabuntur. Penitus autē alienās ipsos à diuina doctrina, dixit eos fictis vti sermonib⁹. Sed habebunt, inquit, impietatis stipēdia, nēpe mortem. Porrò iam olim, præscientiæ dei significatiuū est. Quemadmodum enim per præscientiam bonis præparauit bona, ita & malis congruum ipsis locum. *Qui clam &c.* Ordo. Qui accersentes sibiipsis celerem interitum, clam inducent sectas perniciosas: & dominum qui illos mercatus est abnegantes, & per auaritiam fictis sermonibus de vobis negotiantes. *Non dormitat.* Non cessat, siue non erit otiosa, segnis aut inefficax. A B

Nam si deus angelis qui peccauerant non pepercit, sed catenis caliginis in tartarum præcipitatos tradidit, seruatos in iudicium: & prisco mundo non pepercit: sed octauum iustitiæ præconem Noe *seruauit, diluuio in mundum impiorum inducto. & ciuitates Sodomorum, ac Gomorræ in cineres redactas subuersione condemnauit, eásque fecit exemplum his, qui impie forent acturi.* Et *iustum* Lot *qui opprimebatur à nefariis per libidinosam conuersationem, eripuit. Is enim oculis & auribus iustus, quum habitaret inter illos, quotidie animam iustam iniquis illorum factis excruciabat.* C

Nam si deus nec angelis qui peccauerant, nec prisco mūdo pepercit, sed & ciuitates Sodomorum, ac Gomorræ condemnauit, subuersione redigens in cineres, & in exemplum posuit omnium, qui post ipsos impie acturi essent. Noe vero iustitiæ præconem, diluuio in mundum impiorum inducto, seruauit.

D seruauit. Sed & Lot qui ab impiis opprimebatur, quando videlicet Sodomitæ angelos hospitio exceptos quærebant, & quotidie admonebatur ad æmulationē impiarum actionum ipsorum, deindę suam cruciabat animā per tēperātiam, & ab illis abstinendo, eripuit: an non multo magis hoc etiam tempore, & istos tradet exitio, quemadmodum trāsgressores angelos, & eos qui tempore diluuij erant, ac præterea Sodomitas? vos autem qui pariter cum his in mundo habitatis, an nō seruabit, quēadmodū Noe & Lot, qui tunc inter impios habitabant? nemo ambigit quin omnino ita facturus sit. Nouit enim pios de tentationibus & afflictionibus eripere, iniustos autem in die iudicij puniendos seruare. Animaduerte autem quòd quum superius exemplum de facinorosis præposuisset, nunc illud quod de iustis est præordinat: per hoc etiam

E

Matth.25 iustorum æmulatores consolando, quòd præstantiores impiis habeātur. Propterea etiam Christus præmium dat prius iustis agnis qui à dextris sunt, deinde hœdis qui sunt à sinistris supplicia: quādoquidē & delectabilia tristibus præferūtur. *Angelis qui peccauerant non pepercit.* Ab his qui primum resecati sunt aggreditur, & ait: Si angeli qui propter substantiæ immortalitatem in honore erant apud deum, quum excusso iugo peccassent, non sunt veniam consequuti: multo minus hominibus suæ plasmationi hærentibus parcet si peccauerint. *Sed catenis caliginis.* Condemnationis ineuitabilitatem significat. huiuscemodi enim catenis certo à nobis condemnatos punimus. Sed dicet aliquis: Vnde manifesta

F

est talis condemnatio dæmonum? ab ipsis videlicet dæmo-

Luc.8. nibus. Siquidem in Euangelio deprecantur, ne in abyssum remittantur, tanquam alij quoque omnes hoc patiantur. Sciendum tamen est, quòd veluti per modum suppositionis productum est argumentum, non tamen vere ita est, neque enim aliud habet quod postea respondeat, sed in speciem solum ita propositum est: in veritate autem simplex est exemplaris persuasio, & quam ob caussam, dicetur: Nam si esset quod præ se ferre videtur, ita procederet: Si angelis quum peccassent nō pepercit, si nec prisco mūdo, nec Sodomis & Gomorræ, nunquid his parcet? nequaquam aut etiam hoc modo. His omnino non parcet. Non autem temere à præstantioribus aggreditur, sed ostendere volens, quòd hi dum

dum peccant magis obnoxij sint supplicio. Quoniam ergo A & isti honoratiorem gradum habent, vtpote vocati, ad apostolatum, quum à diuina via exciderint, maiorem etiam habent cõdemnationem. Ex hypothesi autem mota exemplari persuasione, non reddidit quòd figuræ respondebat. Confudit enim exemplum assumptione iustorum : & quum deberet ei quod ab initio propositum erat sermone respondere, puta his qui peccauerant, propter quos etiam assumptum fuit exemplum, & dicere. Si his non pepercit, nunquid præsentibus parcet improbis ac lasciuis? aut per affirmationem, multo magis neque his parcet: nõ hoc facit. Quare? Quoniã quum duo proponantur exempla, bonorum videlicet ac malorum, inueniebatur hæc sermonis responsio solum ad malum respondere non ad bonum: bonis enim non redduntur B mala. Quum ergo non sufficeret vna sermonis responsione propositum explere, alio modo in phrasi permansit, & per epiphonema perfecit quod oportuit. Quare autem malis admiscuerit exempla bonorum, conuenienti loco dicetur. *Sed octauum &c.* Quemadmodum præmittendo diximus, non iuxta id quod ex sermone apparet, subsequitur etiam eorum intelligentia quæ proponuntur. Non enim subiungitur sermonis responsio, quæ huiusmodi ordinationes sequi solet, sed simplex est exemplaris persuasio, & de his qui propter peccata puniuntur, & de illis qui propter iustitiam honorantur : tanquam diceret: Nouit dominus peccatores ineuitabiliter punire non parcens eis, sicuti angelos qui peccauerant, veluti & illos qui tempore diluuij erant, sicut & Sodomorum & Gomorræ ciuitates: Rursum iustitiam operantes honorare, quemadmodum Noe, quemadmodum Lot. Et est ordinatio huiuscemodi. Quum dixisset puniendos esse falsos præceptores propter suas blasphemias, & propter lasciuam vitam suam, subiungit & exempla. Deus enim angelis qui peccauerant non pepercit, neque prisco mundo, neque Sodomorum & Gomorræ ciuitates effugerunt interitum, sed in cineres redactæ subiacent ad impiorum castigationẽ. Rursum iustitiam exercentes nouit deus honorare, quemadmodum Noe, quemadmodum Lot: & ob quam cuiusque iustitiam, enarrat : quòd & Noe & Lot propter temperantiam ac pudicitiam seruauerit ab exitio hominum, qui tempore

D pore ipsorum viuebant. Noe enim non fuit abductus eorum
impietate qui fuerunt ante diluuium. Lot quoque in nullo
æmulatus est lasciuias eorũ qui habitabant Sodomis, sed ve-
luti stimulatus quotidie aspectu eorum qui impudicè age-
bant,& ad eadem impudica prouocatus, in nullo obsequu-
tus est. nam id sibi vult. Oculis & aurib⁹, quòd multa habue-
rit quæ ipsum ad impudicitiam prouocarent, aspectum, au-
ditum, conuersationem inter prauos: sed neque exceptos ab
ipso angelos hospitio in habitu hominũ, eis qui propter im-
pudicitiam illos expetebant, tradidit, quanquam modis in-
numeris vim ab ipsis passus. Hoc enim designauit, dicens, ꝙ
opprimebatur. Et his tanquam epiphonema subiungit: No-
uit dominus pios,&c. Quum autem de iustis nihil prædixis-
E set, sed de solis impiis eorumque supplicio, intermiscuit hoc
loco etiam iustorum exempla: primum quidem eò quòd e-
tiam historia simul mentionem faciat & exitij impiorum &
salutis iustorum. Deinde vero ex horum etiam comparatio-
ne malitiam auget eorum qui peccauerunt, & clarum reddit
bonum opus eorum, qui præclarè se gesserũt. Præterea quo-
que auditoribus persuadet, vt illorum quidem oderint impu-
dicitiam propter supplicia, horum vero præclarum opus sibi
asciscant propter salutem. Vnde etiam in epiphonemate v-
trorumque meminit & piorum & impiorum,& salutis & sup
plicij. Porrò quid hinc sibi velit iam dictũ est, nempe quòd
cupiat, vt illorum quidem abominentur malitiam, horum au
tem æmulentur salutem. *Is enim oculis & auribus iustus.* Quũ
F multa haberet quæ ad impudicitiam inflammarent & exti-
mularent ac inuitarent, oculos, aures, conuersationem inter
malos, nullo, inquit, inductus est ad ipsorum æmulationem.

Nouit dominus pios è tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij puniendos seruare: maxime uerò illos, qui carnem sequentes in concupiscentia pollutionis ambulant, ac dominationem contemnunt: audaces, præfracti, qui splendores non uerentur conuitiis incessere: quum angeli qui sunt potentia ac uirtute maiores, nõ ferant aduersus ipsos apud dominum maledicum iudicium. At isti ueluti bruta irrationalia natura

genita

genita in capturam & in corruptionem, in his quæ nõ intelligunt blasphemantes, in perditione sua peribunt reportantes mercedem iniustitiæ, pro uoluptate ducentes si in diem delitiis fruantur. A

Maxime uero illos qui carnem sequentes. Hinc scitè admodũ à prædictis exemplis venit ad præsens argumentum. Dicit autem de impuris Nicolaitis siue Gnosticis aut Naasenis vel Cerdonianis: varia enim nomina sortita est eorum iniquitas: & quemadmodum sceleratis factis, ita & nominibus cõfusa esse deprehenditur. Nam hi sicut diximus suscepta profunditate ac silentio, prima subsistẽtiæ mundi opera & quasdam matres ac secula prodigiosè narrantes, quẽadmodum & Marcion qui praua sumpsit ab his semina: deinde per hæc B repulsa dominatione institutionis ac inspectionis siue gubernationis mundi, ad omnem carnalem impudicitiam intrepidè peruenerunt. Quòd si quispiam de his discere velit, sumpto in manus libro à beato viro Ireneo Gallo composito quẽ Lib. 1. c. 1. 8. 9. aduersus falso dictam sapientiam inscripsit, inueniet horum immunditias, potissimum propter Marcum virum obscœnissimum, & eos qui ab ipso seducti fuerunt, ac corruptas miseras mulieres. *Audaces, præfracti.* Subaudiendum est, Qui sunt. Reiecto igitur mundi inspectore siue gubernatore ac creatore, nil mirum est quòd huiusmodi audaces sint ac præfracti, hoc est insequentes sibi placentia. Sed & conuitiatores dicit. Nam qui ex contemptu dominationem nõ timent, quid mirum si etiam aduersus omnem splendorem intrepidè persistant? Apertius autem de his dicit beatus Iudas apo- C stolus, vbi & de Mosi corpore facit mentionẽ. Nam hic nunc obiter tantum insinuauit tangens solum ac sedans de hac re sermonem. Ex illo igitur occasione sumpta etiam de his quę proponũtur, dicimus quòd splendores nõ verentur, hoc est, contemptim omnem gloria præcellentem maledictis incessunt. Et compescere volens ipsorum circa talia audaciam, ait. Quum angeli qui sunt potentia ac virtute maiores non ferant aduersus ipsos apud dominum maledicum iudicium, idem dicens, cum beato Iuda, vt diximus: quandoquidem & ille quorundam linguæ petulantiam ac nugas coercens, ab eodem exemplo facit admonitionem, idque latius quum

D ita dicit: Michael archangelus,&c.non ausus est maledicum iudicium impingere. Tale igitur est quod etiam Petrus vult nunc dicere,quod hi cacodæmones nihil parcant maledicta ingerendo in splendores. Atqui ne illi quidem qui potentia ac virtute maiores sunt,videlicet istis impuris,non ferunt siue proferunt aduersus ipsos,puta splendores,maledicum iudicium apud dominum.Et huius testis est Michael archan-
Iob.40. gelus. Siquidem quia & diabolus aliquam participat gloriã, eo quòd initium sit creationis domini, nõ protulit aduersum ipsum calumniæ sermonem. Est etiam ab his efficacior argumentatio hoc modo. Si enim diabolus qui dignior est in quem iaciantur conuitia,tamen quia splendorem participat, non est hoc consequutus à Michaele coram domino,nequa-
E quam prudentes essent,qui temere omnem splendorem siue splendore præditos conuitiis incesserent,quum angelis multo posteriores sint in honore. δόξας autem dicit, siue diuinas virtutes siue etiã ecclesiasticos principatus, quos contra obscœnissimi isti etiam maledictis incessere non cessãt. Et angeli quidem hoc modo. *At isti ueluti bruta irrationalia:* Hoc est solo sensu viuentia, non item mente & vita intellectuali: propter quod etiam facile capiuntur corruptibilibus,id est, circumactione in vita corrupta:animi excandescentia & cõcupiscentia acti & tracti,in his quæ ignorant siue in spontanea sua ignorantia ingerẽtes maledicta, digna sibi perditio-
F ne peribunt,referẽtes mercedem iniustitiæ quam cupiebãt, id est, id quod sibi conciliarunt. *Pro uoluptate ducentes si in diem delitiis fruantur.* Id re vera concupiscunt, veram ac desiderabilem lætitiam ac voluptatem ponentes in quotidiana gutturis fruitione.Sciendũ itaque quòd sacra scriptura quãdo aliquid reprehendit, ea quæ naturaliter contingunt hominibus,hoc est quæ ipsis tanquam animalibus accidũt,bru-
Psal.48. tis ipsis assimilat,dicens. Homo quum in honore esset nõ in-
& 37 tellexit,comparatus est iumentis insensatis,&: Ne sitis tan-
Iere.5 quam equus & mulus,&:Equi insanientes in fœmellas facti
Matth.10 sunt,&:Estote prudentes sicut serpẽtes,& simplices sicut columbæ: non quòd hæc dicens immutet naturas, nam id impossibile est,sed inuitat,vt has quidem naturales ipsorum inclinationes deuitent, illas verò naturaliter amplectentur. Quando verò salutare aliquid præcipit,similitudinẽ ad me-

liora

liora transmittit: sicut quum dicit: Estote misericordes sicut A
& pater vester cœlestis, ne hic quidem naturam trāsmutans, Luc.6
sed quantum virtus suggerit hoc facere præcipiens.

Labes ac maculæ conuiuantes in erroribus suis insultant uobis, oculos habentes plenos adulteræ, & qui à peccato cessare nesciant, inescātes animas instabiles, cor habentes exercitatū rapinis, execrabiles filij, qui relicta recta uia aberrarunt, sequuti uiam Balaam filij Bosor, qui mercedem iniquitatis dilexit, sed redargutus fuit de sua iniquitate: animal subiugale mutum humana uoce loquēs prohibuit prophetæ insipientiā. Num.22

Labes ac maculæ. Ordo ita sumitur: Labes ac maculæ cor B
habentes exercitatum rapinis, hoc est per rapinas exercitatum, execrabiles filij, insultantes vobis, oculos habentes plenos adulteræ, & qui à peccato cessare nesciant: inescant animas instabiles, quas & Paulus dixit mulierculas oneratas peccatis. Porrò hi ipsi relicta recta via, aberrarunt per viam Balaam filij Bosor & cætera. Isti autem sunt fontes aqua carētes, nebulæ quæ à procella feruntur, &c. Et quam ob causam caligo ipsis reposita est in futuro seculo? propter immēsam eorum vanitatem, per quam inescant eos qui prius in errore conuersati fuerant, & hunc verè aufugerant: vt per impudicitias & concupiscētias carnis, in modum canis ad suum vomitum conuertantur. Quæ autem in medio ponuntur, horū
vanitatem enunciant ac confirmant. *Labes ac maculæ,* Ni- C
hil habentes, inquit, quod in puritate fixum sit, sed tanquam labes in vestimento mundo, diuturna conuersatione inhærentes & omnia commaculātes: quum aliquos auocauerint, & potuerint impudicos efficere eos, qui vnà versantur viros ac mulieres, id factum delitias arbitrantur, suam explentes lasciuiam: sed & conuiuantes, inquit, vnà vobiscum, non ex dilectione, aut quòd sale (vt aiunt) participent, hoc faciunt: sed vt tempus hoc aptum inueniant deceptioni apud mulieres. Hi enim quum oculos habeant, nihil aliud intuentur quàm adulteras, & in hoc incessanter peccantes, tanquam filij execrationis siue execrabiles, animas instabiles inescant. Cor nanque ipsorum ad nihil aliud quàm ad cupiditatem exercitatum

tatum

D tatum est, siue impudicitiæ siue etiam possessionum, propter quæ ambo derelinquentes viam, quæ eos ad salutem dirigeret, ab hac aberrauerunt: idemque illis contigit quod Balaam filio Bosor, quoniam & ille ob munerum largitionem dilexit mercedem iniquitatis, sed redargutionem habuit de sua iniquitate, nempe animal subiugale mutum, quod humana voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam. Et hinc ergo dicimus quòd Balaam propter suæ cupiditatis affectum, quem insana sua vaticinatione alebat, semel à deo prohibitus, rursum ad Balac pertinaciter proficisci properabat: sed dei pauore præpeditus ac terroribus, qui in via contigerunt, verbum benedictionis non immutauit: quod diuinationis non erat (diximus enim diuinationē

E proferri furente animo, & quæ dicantur ignorante) sed prophetiæ. Siquidem prophetæ loquuntur scientes quæ loquātur. Vnde & prophetam ipsum vocauit, tanquam scientem quæ diceret. Nequaquam enim meliora elegit ignorans quę diceret: nō ergo diuinatiōis fuit benedictio, sed virtutis dei.

Isti sunt fontes aquæ carentes, nebulæ quæ à procella feruntur, quibus caligo tenebrarum in seculum seruata est. Siquidem ubi fastuosa uanitatis uerba sonuerint, inescant per cōcupiscentias carnis in lasciuiis, eos qui uerè aufugerant, qui in errore conuersabantur, dum illis libertatem pollicentur, quum ipsi serui

F *sint corruptionis. Siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in seruitutem est addictus.* Nam *si posteaquā refugerant ab inquinamentis mundi per cognitionem domini & saluatoris* Iesu *Christi, his tamen rursum inuoluti superantur, facta sunt illis postrema peiora primis. Satius enim fuisset illis non cognouisse uiam iustitiæ, quàm ubi cognouerunt conuerti ab eo, quod illis traditum fuit, sancto præcepto. Sed accidit illis quod uero prouerbio dici solet: Canis reuersus ad suum ipsius uomitum, & sus lota ad uolutabrum cœni.*

Interim

Interim dum multa dixisset inter quæ etiam exemplum Balaam adduxit, rursum sermonem de impuris Gnosticis resumpsit, & comparat ipsos fontibus aqua carentibus, vt qui aquam vitæ perdiderunt, hoc est prædicationis puritatem aquamque potabilem : quam quum haberet domin⁹, promittebat se multos accedentes illa satiaturum. Sed & nubibus ipsos comparat quæ à spiritu feruntur, contrario videlicet: ideo quoque ipsum spiritũ vocauit procellam, tanquã couertentem ac conturbantem id quod agitatur: hoc enim facere solet procella. Non sunt ergo nubes pellucidæ quemadmodum sancti, sed nebulæ plenæ caligine. Quibus caligo in seculum (dicit autem æternum iudicium) seruata est. & quam ob rem, caussam subiunxit, quòd fastuosa ex vanitate loquẽdo, inescant per carnalem concupiscentiam in lasciuiis, eos qui vere effugerant, & qui semel antea in errore conuersabãtur. Itaque impudicitiis & arrogantiis ac impietatibus obnoxij sunt, qui hæc perpetrant. Sed & serui, inquit, quum sint prædictæ immunditiæ, quam etiam corruptionẽ meritò appellat, libertatem his qui decipiuntur promittunt, non quidem veræ vitæ, sed eius quæ est secundum indulgentiã. ideo rationem quoq; subiungit cur serui sint peccati, admirabile quiddã dicens, ꝙ à quacunque affectione quispiam deuictus est, huic etiam in seruitutẽ est addictus. Deinde rursum hoc alio exemplo confirmat, quo modo is qui ab aliquo superatus est, huic etiam seruiat, & ex præsuppositione facit argumentum. *Nam si posteaquam refugerant.* Præsenti sermone duo efficere nititur, & quòd necesse sit eũ qui superatur seruire ei à quo superatur: & quòd hi qui pòst agnitionem veritatis rursum priora amplectuntur, in peiora incidũt, quàm fuerint priora mala. his autem & prouerbium subiungit in subsidium. Est ergo totus sermo hoc modo ordinãdus. Nam si posteaquam per cognitionẽ domini & saluatoris Iesu Christi refugerant ab inquinamentis mundi, his rursum inuoluti superãtur ab ipsis, vtique etiam eis seruiunt, & in horum seruitute peiora sibi contingunt quàm ante cognitionem, plurimum annitente insidiatore nostro Satana vt ad peiora deuoluantur † in repensionem diuturnæ cessationis à prauis operibus. Ideo quoque dicit Apostolus quòd quandoquidem hoc illis contingit, vt malorum canant palinodiam, melius

Iohan. 7.

Iesa. 60.

ὡς ἀπολογίαν τῆς ὅσον δὴ τῶν πονηρῶν ἔργων ἀργίας.

A

B

C

D sibi fuisset ne cognouisse quidem veritatem, quàm vbi cognouerant peioribus capi. Quãdoquidem & canis ad suumipsius vomitum conuersus abominabilior est. Nam quæ natura oderat, & ita eum abiicere coegerat, hæc rursum in delitiis habens, & tanquam ea quæ corrumpunt edens, ac veluti per naturæ aborsū eiecta, abominabilior est. Et sus rursum quærens reuolui, si hoc in luto faciat, sordidior apparebit quàm fuerint priores sordes.

CAP. IIII.

Repetitio de malitia hominum hæreticorum: in quo etiam agitur quo pacto repente uēturus sit Christus in cõsummatione huius seculi: itaque dicit oportere omni uirtute adornari.

Cap. III E



Ecce iam alteras charissimi uobis scribo literas, in quibus extimulo uestram in commonitione synceram mentem: ut memores sitis uerborum quæ prædicta sunt à sanctis prophetis, & præcepti nostri qui sumus Apostoli, domini & saluatoris Iesu: illud primum scientes uēturos in extremis diebus illusores, qui iuxta proprias cõcupiscentias ambulent & dicant, Vbi est pollicitatio aduentus eius? Siquidem ex quo die patres obdormierūt, omnia sic permanent ab initio creationis.

Ex his duas esse discimus vniuersas Petri epistolas. Porrò F quod ait, *In quibus extimulo uestram in commonitione synceram mentem,* per hyperbaton intelligendum est hoc modo. In quibus epistolis, id est per quas epistolas extimulo synceram quæ in vobis est mentem. Syncerae enim ac puræ mentis est eorum quæ audita sunt aut salutariū quæ deposita sunt meminisci & extimulari omni virtute animique promptitudine, ad repetendam horum operationem. Deposita sunt autem per propheticos sermones & apostolicas prædicationes.

Ephe. 2 Propter quod & Paulus dicit: Superstructi super fundamētum Apostolorum & Prophetarum: Omnes enim illi domini aduentum annuntiauerunt & primum & secundum, nec oportet diffidere tantis ac talibus testibus. Et quid dico, inquit, prophetas & Apostolos, quòd annuntiauerint & primū

& secundum

& secundum domini aduentum? Et est hoc modo sumenda ordinatio: Memores sitis verborum quæ prædicta sunt à sanctis prophetis, & à præcepto nostro qui sumus Apostoli & à præcepto domini & Saluatoris. Ex communi enim sumitur præpositio ὑπὸ, id est à. Et quare hanc memoriam excitari iubeat, subiungit. quoniam hi qui affectionibus addicti viuunt iuxta proprias concupiscentias, videntes quosdam dei aduentum formidantes, quem vnà cum aliis diuinitus inspiratis ipse quoque dominus prænunciauit, & propterea suam inhonestam vitam paruipendentes: deinde etiam videntes quòd sermones non statim sortirentur effectum, sed propter multorum salutem differrentur, fideles adoriuntur tanquam illusores, & dicunt: Vbi est promissio aduentus eius? Nam ob hunc vnum, qui dispensatione quadam nondum completus est, cætera quoque salutaria domini præcepta deprauant, ne fides ipsis habeatur. Hæc autem illis temporibus nugabantur Gnostici aut Naazeni qui & ipsi Lampetiani & Euchitæ erant. Qui omnes, inquiunt, volentes nesciunt. vltro enim oculos claudunt ad veritatem, sicut etiam antea diximus.

A Genitiuū apud Græcos regūt tāuerbū μνησθῆναι q̄ præpositio ὑπό. i. à hic à præpositione ὑπὸ regē mauult genitiuū ἐντολῆς. i. præceptinos autē ī redditione sensus literæ cū uerbo μνησθῆναι. i. meminiscē coniunximus.

B

Nam illud uolentes nesciunt quòd cœli iam olim fuerint, & terra ex aqua & per aquam consistens dei sermone: per quæ is qui tunc erat mundus, aqua inundatus periit. At qui nunc sunt cœli ac terra, eiusdem sermone repositi sunt, seruati igni in diem iudicij & perditionis impiorum hominum. Vnum autem hoc ne lateat uos dilecti quòd unus dies apud dominum perinde est, ut mille anni, & mille anni, ut dies unus. Non tardat dominus qui promisit, quemadmodum nonnulli tarditatem existimant, sed longanimis est erga nos, dum non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam accedere.

C

Et quid est quòd nesciunt? quòd quemadmodum in diluuio erant cœli ex aqua iuxta mundi creationem à Mose narratam (ipse enim deum ait præcepisse, vt fieret firmamentum in medio aquæ, hoc est firmior aquarum substan- *Gene. 1.*

D tia) ita & terra ex aquis apparuit iussu conditoris, quæ etiam in illis primum demersa erat. Et quemadmodũ cœlo ac terra ex aqua constitutis diluuium inopinatò superuenit, ita & nunc statutum est, vt per ignem fiat vniuersi corruptio, cum quo impij quoque peribunt. Quum enim duo hæc elementa aqua & ignis condita sint vnà cum vniuerso, à quibus & alia duo elementa esse accipiunt: aer quidem euaporatis aquis, terra vero ipsis compactis: nempe veluti facta ex igne euaporatione & compactione, nullo qui mentem habeat reclamãte (nam hanc virtutem à deo conditore ignis natura sortita est) quum hæc duo, inquam, ita semper substiterint, & prius per aquam factum fuerit impiorum exitium, necesse est, vt per ignem rursum fiat interitus eorum qui impie a-

E guut. Porrò quòd huius vniuersi fiat corruptio, non solum Christianis verumetiam Græcorum sapientibus videtur: quemadmodum Heraclito Ephesio & Empedocli Aethnæo. Sed dicet aliquis: Et quæ fuit ratio vt conderetur, si rursum oportebat ad nihilum redigi mundum? Et dicemus quòd nõ penitus ad corruptionẽ tendet mundus, sed ad re-

Psal.103 nouationem. propterea propheta quoque dicit: Et renouabis faciem terræ. Quemadmodum enim à deo subsistens ab initio creatura bona erat, & non vtcunque aut forte fortũna bona: hominis vero transgressione, & ipsa creatura vanitati obnoxia facta est, hoc est non habens firmum esse, sed quod est in fluxu ac refluxu. Deinde in diluuio quum pauci homines perstitissent in diuino cultu, mundus rursum ve-

F luti sumpsit compactionis initium per Noe, & eos qui in arca vnà cum animalibus seruati fuerant ad seminum constitutionem: attamen ne tunc quidem in prioribus perstitit humana natura, sed ad peiora defluxit quàm fuerant priora: à quibus nec lex à Mose data eos auertit, nec domini præsentia, nisi quòd ad paucos deflexerunt ea quæ salutaria erant. (Quantus est enim cumulus eorũ qui salui fiunt si ad pereuntium multitudinem conferas, qui quotidie generantur? propter quod mihi videtur consummationis tempus differri, vt compleatur numerus saluandorum.) Quoniam ergo variis modis facta est ad salutem vocatio, ac multiplex ab incredulitate perditio: propterea necessarius est ignis cataclysmus, interitus quidem, licet non omnino perfectus: non

sane

ſane animarum, ſed neque corporum. Omnes enim nos ma- A
nifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, non animis cor- 2.Cor.5
poribus nudatis, ſed vnà cum corporibus, ipſiſque incorru-
ptibilibus. Quomodo enim nuda anima referret ea quę per
corpus peracta ſunt? Siquidem non eſt iuſti iudicis, quum
duo in eodem peccauerunt, vnum dimittere, totumque cri-
men in alterum transferre. Præterea quoque ſi igne rurſum
fundere ſolemus res quaſdam corporeas, non vt abſolutum
interitum eis tribuamus, ſed vt puritatem ac ſynceritatē eis
præſtemus: nemo ſit qui non credat deum quoque qui per
ignem promiſit conſummationem, aut non facturum corru-
ptionem, aut facturum quidem ſic, vt vnius corruptione fa-
ciat aliud. Sed & ſi corrumperet, quidnam corrumperet? ſu- B
perflua & præſenti vitæ cognata: & quæ ſunt illa? Iumen-
ta, herbæ, plantæ. herba quidem eſt propter iumenta, iu-
menta vero in obſequium corruptibilis huius vitæ. Produ- Pſal.103
cens, inquit, fœnum iumentis & herbā ſeruituti hominum.
Plantarum vero hæ quidem ad tegumentum ſunt, & ad do-
mus conſtruendas, alię vero ad alimenti ſubminiſtrationem.
porrò quòd alimentum requirant animalia, ſignum eſt cor-
ruptionis. Quid enim aliud inedia ac repletio præſtare poſ-
ſent quàm corruptionem? Hæc itaque corrumperentur quæ
ad vitam immortalem ſunt ſuperflua. Nouos autem cœlos &
nouam creabit terram, non autem aliam quo ad materiam.
Nam & qui nouam conſtruit domum, non illam ſane faciet,
ex non præexiſtente materia. Sic & deus ab initio ſemel cō- C
didit materiam ac informauit, quantum certe fuit neceſſe
ad illius temporis vſum. Ad incorruptibilitatem autem
quæ poſt præſentem erit ſtatum corrumpet id quod inuti-
le eſt ac ſuperfluum: ſi quid autem vtile ſit, reformatum
immortali ac incredibili pulchritudine ſinet, vt alterum ac
incorruptibilem mundum perficiat & compleat. *Et terra ex
aqua.* Terra ex aqua quidem tanquam ex materiali princi-
pio, per aquam verò tanquam per principium perfectiuum.
Aqua enim continet terram veluti gluten quoddam quod
ipſi adeſt, quod niſi ipſi contingeret, neceſſe eſſet illam
diſſolui & ferri in aerē. Verum adorietur nos fortaſſis quiſ-
piam vana cogitatione dicens, Quam ob cauſſam deus, qui
viſibilem hunc mundum produxit, non ab exordio firmum

 ac

D ac immutabilem condidit, sed mutationibus conseruatum? Vnde etiam statim reparari fuit necesse, tempore quidē Noe per aquam, in consummatione vero per ignem, veluti nunc ait Petrus. Ad quem dicemus quòd non fuit possibile, vt haberet immutabilitatem. Nam quî fieri hoc potuit quum ex mutatione accepisset esse. Siquidem ex non esse productum fuit ad esse, quod nemo prudens dixerit non esse mutationem. Et quoniam mutatio ad peius progressa est commixta peioribus, necesse fuit vt huius conditor ad melius reduceret: tempore quidem Noe purificationem fecit per aquā, in consummatione vero facturus est per ignem. Quemadmodū & nos res quasdam materiales rursum solemus igne fundere, non ad interitum, sed ad purificationem. *Per quæ.* nempe cœlum & terram, hac quidem aquis demersa, cœlis au-
E tem cataractas suas demittentibus, hoc est tanquam per cataractas aquam ad descensum vrgentibus. *Is qui tunc erat mundus, aqua inundatus periit.* Periit, non ad omnem mūdum referendum est, sed ad sola animantia quæ videlicet mundum omnem repræsentant. Siquidem locus desertus animātibus, ne mundus quidem existimaretur. Porrò quod subditur, *Seruati igni in diem iudicii & perditionis impiorum.* sic ordinatur: Seruati in diem iudicij & in diem perditionem: nam In diem à cōmuni sensu resumitur. Iudicij vero ponitur pro Condemnationis. *Non tardat dominus.* Expleto de consummatione sermone, quòd erit, idque necessario & per ignem, quæ omnia fusius explanauimus, transit & ad produ-
F ctionem siue dilationem temporis quo mundus consumetur, & ait: Non tardat dominus qui promisit, quemadmodum nonnulli tarditatem existimant, sed longanimis est, nostram expectans salutem, nec volens nos perire, sed omnes ad pœnitentiam accedere: quum sane ei qui infinitus est & essentiæ pelagus incircumscriptum nihil protendatur, sed mille anni perinde atque dies vnus sint apud ipsum. Aut potius iuxta Dauid neq; diei multiplicatio est: ait enim hoc
Psal. 89. modo: Mille anni in oculis tuis domine tanquam dies hesterna quæ præteriit & vigilia in nocte: per vigiliam significans breuissimum noctis spatium. Nox enim in quatuor vigilias diuiditur: quandoquidē & dominus quarta vigilia ve-
Mat. 14 nit ad sacros Apostolos.

Veniet

Veniet autẽ dies domini sicut fur in nocte, quo cœli A
uehemẽti sonitu transibũt: elemẽta uerò æstuantia sol=
uentur, terraq; & quæ in ea sunt opera exurentur.
Quum igitur hæc omnia soluantur, quales oportet es=
se uos in sanctis conuersationibus ac pietatibus, expe=
ctantes & accelerantes aduentum diei dei, per quem
cœli incensi soluentur & elementa æstuantia lique=
scẽt. Sed cœlos nouos ac terram nouam iuxta promis=
sa ipsius expectamus, in quibus iustitia inhabitat.
Quapropter dilecti hæc expectantes date operam ut B
immaculati & incõtaminati ab illo reperiamini in pa
ce, dominiq; nostri lõganimitatẽ salutem arbitremini.

Incertitudinem aduentus domini tanquam insultus, quũ minime expectabitur, per furem & noctem significauit: per noctem quidem, propter incertitudinem: incerta sunt enim quæcunque in nocte sunt: per furem vero, eo ꝙ non expectetur: nullus enim expilabitur qui furem expectet, sed qui hunc minime expectant illi expilabuntur. Ideo quoque ait dominus ꝙ sicut in diebus Noe erant homines lætantes in nuptiis ac poculis, nihilque cogitantes de futura calamitate quæ ipsos comprehendit, donec oppressit eos diluuium: ita C & aduentus domini repente superueniet impiis. ῥοιζηδὸν vero significat Cum sonitu, huiusmodi autem sonus proprius est ignis in his quæ igni depascuntur. Animaduerte autem quòd terram & quæ in ea sunt dixerit exurenda, at non homines, sed solum perditionem dixit in impiis siue impietatibus ipsorum, via namque impiorum peribit, non autem ipse Psal.1. quoque impius. *Iuxta promissa ipsius.* Promisit namque fidelibus dicens: Veniam & assumam vos. &: In domo patris mei Iohan. 14. mansiones multæ sunt. Propterea & Paulus ait ꝙ angelo tu- 1. Thes. 4. ba de cœlo canente, mortuisque resurgentibus immortalibus, ipsi quoque occurrent domino in gloria, immortalitatẽ videlicet significans per hoc quòd ait In gloria. Quòd si immortales aut incorruptibiles, vtiq; & noui futuri sunt. Si vero hi noui sint, manifestum est quòd noua creatura nata sit

D commutari vnà cum constitutione hominum:& corruptibilis quidem propter corruptibilem hominum subuersionem, incorruptibilis autem fiat propter hominum renouationẽ. Considera vero quod & temporis moram ad domini aduẽtum,& ipsius longanimem expectationem ad nostram dicat effici salutem.

Quemadmodũ & dilectus frater noster Paulus iuxta datam sibi sapientiã scripsit uobis, etiam in omnibus fere epistolis loquens de his: inter quæ sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles detor-
E *quẽt sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perniciem. Vos igitur dilecti posteaquam id præcognouistis, cauete ne simul nefariorum errore abducti excidatis à propria stabilitate, sed crescite in gratia & cognitione domini nostri & Saluatoris Iesu Christi. Ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis, Amen.*

Quemadmodum & dilectus frater noster Paulus. Et vbi aliquid
Roma 2. huiusmodi dixit Paulus: In his verbis quum ait: Lenitas dei ad resipiscentiam te inuitat. Quod si ad resipiscentiam inuitat dei longanimitas, porrò resipiscentia nobis est salutaris, vtique ad nostram vtilitatem ac salutem est dei longanimi-
F tas. Difficilia autem intellectu dicit, quæ etiã impios ait peruertendo interpretari: nam hoc sibi vult ϛρεβλοῦσι significare, vtque rem omnem ex vno demonstrem: Quum Paulus
Roma 5. ita dixerit, Vbi exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia, ipsi peruertendo dixerunt Paulum hoc dicere, Peccemus abundantius vt abundantius nobis ignoscatur. Hoc autem faciunt inquit ad suam ipsorum perniciem. Quemadmodum enim illi qui Prophetas & Apostolos occiderunt, ita & qui sermones ipsorum peruertendo sustulerunt, eidem iudicio sunt obnoxij: quandoquidem & illi occiderunt eos, ne ij qui ab ipsis salutaria docebantur, possent ab eis iuuari: & isti similiter detorquent sermones, ne aliqui per ipsos salutẽ operarentur. Propriam vero stabilitatem fidem dicit in dominum. Quemadmodũ autem in aliis epistolis finit in preces, ita & in hac, augmentum in fide domini ipsis precando.

Finis.

A

ARGVMENTVM PRIMAE Iohannis epiſtolæ catholicæ.

HAnc conſcripſit idem Iohannes qui euangelium ſcripſit,ſuggerens hæc illis qui iam in dominũ crediderant. Et primum quidem ſicut in euangelio, ita & in hac epiſtola theologicè tractat de verbo, oſtendens ipſum in deo ſemper eſſe, docensque patrem eſſe lucem , vt hoc etiam modo cognoſcamus verbum tanquam ſplendorem ex ipſo eſſe. Theologicè autem diſſerendo docet non eſſe recens quod apud nos eſt myſterium: ſed ipſum quidem ab initio ſemperque fuiſſe, nunc autem per dominũ fuiſſe manifeſtatũ,qui eſt vita æterna & deus verus. Et cauſſam ponit aduentus ac manifeſtationis ipſius : hanc eſſe dicens,vt diſſolueret opera diaboli, nósque à morte liberaremur,& cognoſceremus patrem ac ipſum filium dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum. Scribit ergo ad omnem ætatem : ad pueros,ad adoleſcentes,ad ſenes: quod deus quidem cognitus ſit,diabolica verò energia poſthac deuicta ſit abolita morte. Deinde tota poſtmodum epiſtola de dilectione & charitate docet,volens vt nos inuicem diligamus:& oſtendens quod oporteat nos mutuo diligere, quandoquidem & Chriſtus dilexit nos. Docet ergo de diuerſitate inter timorem ac dilectionem,& filios dei ac filios diaboli, & de peccato ad mortem & eo quod non eſt ad mortem , & de diuerſitate ſpirituum,ac poſtea diſtinguit quis ſpiritus ex deo ſit & quis ſpiritus erroris : & quo pacto cognoſcimus filios dei ac filios diaboli,& de quo peccato precari debeamus pro his qui peccant,& de quo non oporteat precari : quódque is qui proximum non diligit non ſit dignus vocatione , nec poſſit dici Chriſti. Vnitatem quoque filij ad patrem oſtendit : & quod is qui filium negat,neque patrem habeat. Diſceptat autem in hac epiſtola dicens hoc eſſe proprium Antichriſti,dicere nõ eſſe filium ipſum Ieſum Chriſtum, vt videlicet quum ille nõ ſit,mendax ipſe ſe eſſe dicat. Exhortatur autem tota epiſtola credentes in dominum , ne contriſtentur ſi odio habeantur in mundo,ſed gaudeant potius, quod odium mũdi oſtẽdat credentes migraſſe ab hoc mundo , ac deinceps habere conuerſa-

θεολογεῖ. θεολογῶν

B

C

D côuerſationem cœleſtem. Et in fine epiſtolæ rurſum ad memoriam reducit, quod filius dei vita æterna ſit, deusque verus, & vt ipſi ſeruiamus ac nobis caueamus à ſimulacris.

Prima Iohannis

EPISTOLA CATHOLICA.

E

CAPVT I.

Euangelica de Chriſto theologia, in quo etiam agit de confeſſione & obſeruatione à peccato, quod cuſtodia præceptorum dei cognitionem de ipſo confirmet.

Cap.I.



Vod erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerũt de uerbo uitæ, & uita manifeſtata eſt, & uidimus, & teſtificamur.

F

Hoc dicit & aduerſus Iudæos & aduerſus Græcos, quoniam myſterium quod apud nos eſt tanquam recentius calumniantur. Oſtendit ergo quod etiã antiquum ſit, quia ab initio, hoc eſt ſimul cũ concepto principio. Aut quod non ſolum lege, ſed & ipſa viſibili creatura hoc ſublimius eſt: illa enim initium habuit, hoc autem erat etiam ante hoc initium. Quum igitur Græcorũ myſteria heri aut nudiuſtertius orta ſint, quid poterit quiſpiam dicere? Quæ in animi intemperantia collaudantur, ſero vix ſubſiſtentem acceperunt ſubſtãtiam, quum iam impudicitia verſaretur inter homines, cuius & diſciplina & recordatio fuit hic defluxus à meliori ad effuſam noctem noſtram. Magnificentiam itaque demonſtrans noſtri myſterij ab ipſius antiquitate,

quitate, subiūxit quod hoc etiam vita sit, & vita non tẽporali A
spatio mensurata, sed persistentiam habens & quę semper est
apud patrem, conformia dicens his quæ dixit in suo euāgelio.
Nam & ibi Verbum, inquit, erat apud deum, & deus erat Iohan.1.
verbum. Hoc autem erat, nō temporalem designat subsistẽtiam,
sed rei perdurantis essentiam & omnium, quæ esse sortita sunt,
principium, basim ac fundamentum, & sine quo ne
subsistere quidem hęc possent. Vnum quodque enim eorum
quæ nata sunt, esse aliquid determinatum dicitur, puta esse
angelus, esse sol, cœlum, reliquáque omnia: solus autem fili⁹
absolutè esse dicitur, de quo participant omnia quæ ad existentiam
procedūt. Propter quod dicit & Paulus: Per ipsum Act.17.
& viuimus & mouemur & sumus Huius auscultationem iuxta B
introductoriam doctrinam vbi quis prius susceperit, venit
ad videndum ipsum, non corporaliter, sed perfectè cognoscendo,
post longum exercitium & considerationem: quæ
etiam contrectatio dicta est de verbo vitæ, quæ dixit, Ego
sum vita. Poterit autem hoc etiam modo dici de verbo quod Iohan. 14.
erat in principio: quòd videlicet audiuimus ipsum per legē
ac prophetas venturum esse: hoc itaque verbum, quum venisset
cum corpore, manifestę vidimus & cōtrectauimus: nu
dum namque deum nemo vidit vnquam. Neque enim temerè Iohā.1.&
assensimus apparenti, sed post logam contrectationē, hoc Infra.4.
est indagationem legalium & propheticorum de ipso testimoniorum,
credidimus verbo in carne apparēti. Aut, Quod C
perspeximus, id est, oculis videntes admirati sumus. θεᾶσθαι
enim est cum admiratione & stupore intueri. Nō ergo quod
erat perspeximus aut contrectauimus, nam huius generationem
quis enarrabit? Sed quod factum est: aut contrectationibus Iesa.53.
intelligentiæ sicut iam dictum est, aut etiam sensuum
quemadmodum Thomas post resurrectionem. Vnus enim Iohan.20.
erat & indiuisus, idem & visibilis & inuisibilis, & apprehēsus
& qui non possit comprehendi, & contrectatus & qui tāgi
non possit, & humano more loquens & tanquam deus faciens
miracula. Hæc autem propter summam verbi ad carnem
vnionem dicimus. Literæ series est hæc: Quod erat ab
initio, quod audiuimus & vidimus & perspeximus oculis &
manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, quæ vita manifestata
est, quā & vidimus & testificamur & annuntiamus
vobis:

D vobis. Dico autem vitam ſempiternam quæ eſt apud patrem & nobis manifeſtata eſt. quod ergo vidimus, hoc etiam annũciam᷈ vobis. Hic igitur reſpõdet ſermo vbi dicitur, Quod ergo vidimus. Non ita autem ſermonem retulit quemadmodum nos: primum quidem propter vſum abbreuiati verbi, deinde etiam Græcorum nugas contemnens, & oſtendens quòd non in verbis ſit noſtra ſalus, ſed in operibus. & in his nos magis attentos efficiens, ne ibidem ſtatim reperientes quod proponitur, negligẽtiores ſimus. Præterea diuina tractans, obſcuritate voluit occultare, quæ ſublimiora erant, quàm vt prophanæ ferrent aures, nec tutò ipſis promulganda ſunt. Nam ſancta proiicere canibus, eſt ſpargere margaritas coram porcis, non prudentis viri eſt, nec diſcretæ
Matth.7.
E conſiderationis.

Et annuntiamus uobis uitam æternam, quæ erat apud patrem, & nobis manifeſtata eſt. Quod uidimus & audiuimus annuntiamus uobis, ut & uos ſocietatem habeatis nobiſcũ, & ſocietas noſtra ſit cũ patre & filio eius Ieſu Chriſto. Et hæc ſcribimus uobis, ut gaudium ueſtrum ſit plenum. Et hæc eſt promißio quam audiuimus ex ipſo & annuntiamns uobis, quòd deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. Si dixerimus quòd ſocietatem habemus cum eo & in tenebris ambulamus,
F *mentimur & ueritatem non facimus. Quòd ſi in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus inter nos mutuã, & ſanguis Ieſu Chriſti filij eius emũdat nos ab omni peccato.*

Et annuntiamus uobis uitam. Quod ergo vidimus & audiuimus annuntiamus vobis, inquit. Quidnam illud eſt? Quod is qui eſt vita æterna nobis manifeſtatus eſt, & inſpectores ipſius facti ſumus, & ante paſſionem & poſt reſurrectionem. Ipſe enim in carne clauis fuit cruci affixus, & in eadem carne reſurrexit. Et quod lucrum ex hac annuntiatione vobis adferimus? Nempe illud, quòd quemadmodum vos conſortes aſſumimus per ſermonem eorum quæ & vidimus & audiuimus,

diuimus, ita & consortes patris ac filij ipsius Iesu Christi. A
Hoc autem nacti, gaudio repleamur tanquam deo vniti. Aut quia dum vos nobiscum estis participes, plenissimum habemus gaudium nostrum, quod in receptione mercedis gaudens seminator constituet messoribus, gaudentibus & his quòd suis fruantur laboribus. His dictis rursum sermonem resumit, explanans quæ sit annuntiatio quam audiuit: & ait hanc esse, quòd deus lux est, & tenebræ in eo nō sunt. Iohan.8.
Et vbi audiuit? Ab ipso Christo, qui dicebat: Egò sum lux & 12.
mundi. &: Lux in mundum veni. Lux ergo est, & tenebræ in eo non sunt. Lux autem spiritualis agitans animæ nostræ oculos ad sui susceptionem, & ab his omnibus materialibus auertēs, atque ad solum sui desiderium amatorio affectu vrgens. Tenebras autē, vel ignorantiam dicit, vel peccatum. In deo nāque nec ignorantia conspicitur nec peccatum. hæc enim circa materialia & constitutionem quæ apud nos est, B
reperiuntur. Quod si alibi dictum est, Positæ sunt tenebræ Psal.17.
latibulum ipsius: dixit tamen Positæ sunt, non autem Sunt tenebræ, sicut dixit Lux est. Aliud enim est quod ponitur ab eo qui ponit. Hic ergo tenebræ ignorantiam significant, quæ in eo est quòd deus comprehendi nequeat: porrò hoc nostrum est, non dei. Ponitur enim aliquid eorum quæ non conueniunt alicui, nec ipsius gratia. sed alicuius quod eum concernit. Quòd autem & tenebras appellet peccatum, manifestum est ex his quæ ab eodem dicta sunt in Euangelio. Quid enim ibi dicit? Et lux in tenebris lucet, & te- Iohan.1.
nebræ ipsam non comprehenderunt: tenebras dicens peccatis obnoxiam nostram substantiam, in qua factus, siue qua assumpta non contraxit ab ipsa inquinationes: quo- C
uiam peccatum non fecit. & cætera. Quandoquidem igi- Iesa.53.
tur nos ad dei consortium assumimur qui lux est, porrò in huiusmodi luce subsistere nequeunt tenebræ, vt demonstratum est, neque nos qui lucis participes sumus, tenebras posthac in nobisipsis suscipiamus, ne mendacij pœnas luamus, & vnà cum mendacio à lucis societate abstrahamur. Itaque societatem habentes mutuam (nempe & inter nos & inter lucem) captu difficiles nos reddimus peccato. Sed quo modo id nobis continget, inquit, qui prius in multis offendimus peccatis? nemo siquidem verax, & qui vero

D qui vero dicendo assueuit, dicere audebit quòd absque peccato sit. Si quis igitur hoc timore circũfusus sit & occupatus, bono sit animo inquit, nam sanguine filij eius Iesu Christi ꝓ nobis effuso purificatus est, contracta cum ipso societate. Animaduerte igitur quòd propter summam vnionem, filium patris etiam vocet assumptam ex nobis naturam, cuius proculdubio assumptæ naturæ sanguis omnino est, & non dei. Quomodo ergo an non delirus & impius est Nestorius, qui filij carnem separans, matrem ipsius non patitur θεοτόκον, id est, dei matrem appellari. *Quòd si in luce ambulamus. sicut ipse est.* Sciendum quòd totius sententiæ intellectus est euersio blasphemiæ Iudæorum: ipsi namque dixerunt de Christo:

Iohan. 9. Nos scimus quòd peccator sit. Ait ergo: Si lucis opera facimus, consortes eius sumus, si autem non facimus, alieni

E

Iesa. 53. ab ipso sumus. Quomodo ergo an non verax est, inquit, nec peccatum vllum fecit, quanquam inter peccatores à no-

Ioban. 19. bis reputatus est. Si ergo nos qui diximus, Sanguis eius super nos & super filios nostros, impudenter dixerimus quòd non peccauimus, nosipsos fallimus siue decipimus, quasi non sit peccatum crucifixisse Christum est enim, & maximum: ideo non dixit Mentimur, sed Nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est, quia error extra veritatẽ est. Si verò peccatum agnoscamus & confiteamur, remittet nobis. Cõmunicando autem in sermone cum aliis, austeritatem reprehensionis plurimum mitigauit, dicens: Si dixerimus.

Si dixerimus, Peccatum non habemus, nosipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Si confiteamur pec-

F *cata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quòd non peccauimus, mẽdacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis.*

Si confiteamur peccata. Repetit sermonem, abundantius eo vtens, vt frequentia productæ redargutionis, & ipsos peccati magnitudine coerceat, & ad cõfessionem inuitet. Quãtum autem bonum à confessione oriatur, significauit qui di-

Iesa. 43. xit: Dic tu primum peccata tua, vt iustificeris. Hoc autem moris etiam fuit præceptori huius dilecti discipuli, vt eadem

dem

dem frequẽtius repeteret, moderatius primum, deinde perfectius, volens efficaciorem dictorum efficere cognitionem, ac studens ipsorum habitum auditoribus inserere. *Fidelem uerò dixit deum.* hòc est veracem. πιστὸς namque, id est fidelis, dicitur non solum de eo cui aliquid concreditum est, verumetiam de eo qui in veritate cõfirmatus est, qui ex suo veraci more habet alios quoque huius participes efficere. Fidelis itaque dicitur hoc modo deus: iustus verò vt qui ad se accedentes non repellat, qualiacũque fuerint in quibus peccauerunt. Remittit igitur indubiè peccata his qui per pœnitentiã ad sanctũ baptisma accurrerint, siue in ipsum deliquerint, siue in alium. Si ergo confitemur, inquit, conuenientem etiam veniam assequemur. Si verò impudenter dicimus nos non peccasse, duplex operabimur malum, & nosipsos ostendentes mendaces, & deum qui excedit omnem veritatem de mendacio calumniantes. Ipse enim ait per prophetam: Reddiderunt mihi mala pro bonis. Rursumque per semetipsum: Si malè loquutus sum, testificare de malo: sin bene, cur me cædis? Quod si his ita se habentibus adhuc dicimus nos non peccasse, ipsius verba negamus, quę spiritus & vita sunt. Verba enim quæ ego loquor, inquit, spiritus & vita sunt: nec iam habemus ipsius sermonem in nobis immanentem: quo quid grauius esse poterit?

A

B

Psal. 37.

Iohan. 18.

Iohan. 6.

CAP. II.

C

Filioli mei, hæc scribo uobis ut non peccetis. Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et per hoc cognoscimus quòd eum nouerimus, si præcepta illius obseruamus. Qui dicit, Noui eum, & præcepta eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas non est. Qui autem seruat sermonem eius, uerè in hoc charitas dei perfecta est. Per hoc scimus quòd in ipso sumus. Qui dicit se in eo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare.

Naturæ nostrę instabilitatem & procliuitatẽ ad peccatum sciens, quodq; semp familiare nobis sit, vt ad deteriora labamur,

D mur, quumque insidietur præterea nostræ saluti inuidiosus dæmon, necesse esse eos qui deo iam familiares effecti sunt peccare, nisi cautè viuant: hæc subiungit, quòd si etiam pòst remissionem labamur, ne de nobisipsis desperemus. Cõuersi nãque rursum salutem consequemur per mediatotem dominum Iesum Christum. Ipse enim interpellans pro nobis patrem, placabit eum pro peccatis nostris: nec tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi Hoc autem dixit: aut quòd ad Iudæos scriberet, vtque non pro solis illis profuturam resipiscentiam concluderet, sed hanc ad gentes quoque extẽderet: aut quòd non illis dũtaxat fieret promissio qui illo tẽpore forẽt, verumetiam ad omnes qui postmodum futuri es-
E sent. Aduocatum verò dicit eum, qui patrem pro nobis pre-
Iohan.5. catur siue flectit. Humano autẽ modo & dispensatione quadam hæc dicta sunt: quẽadmodum & illud: Filius nihil potest facere à seipso, Hæc enim dicit, ne deo aduersari videa-
Matth.9. tur. Nam quòd etiam filius haberet potestatem remittendi
Iohan.20. peccata ostenderat in paralytico, sed & discipulis dando vt peccata remitterent, ostendit quòd sua potestate hoc tribuẽret. Verum vt diximus aut dispensatoriè hoc dicit nunc Apostolus, aut ostendens eandem filij cum patrẽ naturam eandemque potentiam, & quòd quicquid faceret vna trium sãnctarum personarum, commune esset & reliquis. *Et per hoc cognoscimus.* Quum in superioribus dixisset eos, qui in dominum crediderunt societatem habere ad ipsum, ea nunc proponit quæ societatem erga illum confirmant, & ait: Et per hoc cognoscimus quod eum nouerimus. Solet hic diui-
F nus vir similibus dictionibus eodem modo frequenter vti:
Iohan.1. quemadmodum etiam dum ait: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Ita ergo & nunc vtitur verbo Cognoscere. Quòd eum nouerimus, hoc est, quòdvnà cum eo commixti simus, ex hoc cognoscimus, si præcepta illius obseruamus. Duo significat verbum γινώσκειν. i. cognoscere, potissimum apud sacram scripturã,
Psal.139. puta scire aliquid: quemadmodũ vbi dicitur, Cognoui quòd faciet dominus iudicium pauperũ: preterea significat omnimodam coniunctionem & confirmationem erga aliquem,
Psal.1. quæ cognitio appellatur: sicut quum dicitur, Nouit dominus vias innocentum, & sicut ait Paulus, Vt cognoscamus
1.Cor.13. deum

deum veluti etiam ab eo cogniti sumus. Similiter autem & de contrario puta ignorantia dicendum est, quòd dupliciter intelligatur. Quemadmodum enim externis quoque scriptoribus videtur, vna est contrariorum scientia. Iuxta hoc ergo Cognoscere hoc loco duobus modis acceptum est. Siquidē quum ait, Per hoc cognoscimus, pro scire sumitur: quū autem dicitur Quòd eum nouerimus, hoc est quòd firmiter cum eo coniuncti simus. Qui enim consortium habet cum aliquo, etiam cōmixtus ac coniunctus est illi in eo quod participat. Propterea etiam subiungit, Si præcepta eius obseruamus. Ex hoc etiam solueretur illud, Nouit dominus qui sunt sui, & illud: Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: & si quid aliud apud diuinam scripturam de cognitione vel ignorantia tractatur. Deinde à cōtrario idem confirmat, abundantiori vtens probatione, & ait: Qui dicit, Noui eum, siue societatem habeo cum ipso, & præcepta eius non obseruat, mendax est. Quomodo enim fieri potest vt idem coniunctus & adhærens sit, & non adhærens? Certè seruare præcepta, adhæsionem designat, non obseruare autem, nequaquam esse familiarem: Itaque qui nouit deum, etiam ab eo cognitus est, siue consors factus est cum deo, & deo colligatus: & in hoc dilectio dei conspicitur, per quam dilectionem habebit perfectionem quæ est in Deo, & huius iudicium faciet familiaritatem suam erga deum. Per opera namque exhibetur perfecta dilectio. Verum quia contingit recta & exacta tradere aliquem præcepta, quum tamen ipse segnius sit affectus: quod longe est à deo: propterea dicit, quòd is qui in deo moratur, debet ipse secundum illum, suæ quoque vitæ itinera dirigere.

A Gal. 4. 2. Timo. 2. 2. Cor. 5. B C

CAPVT II. *De dilectione sine qua manet impietas: in quo etiam agit de gratia iuxta cuiusque ætatem, & de auersione ab amore mundi.*



Ratres, non præceptum nouum scribo uobis, sed præceptum uetus quod habuistis ab initio. Præceptum uetus est sermo quem audistis ab initio. Rursum præceptum nouum scribo uobis quod uerum est in ipso, idem uerum est &

D *in uobis: quia tenebræ prætereunt, & uera lux iam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & offendiculum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.*

Circa dilectionem erga proximum deinceps versatur, & ait quòd côiunctio erga deum siue dilectio, cognoscitur primum ex dilectione erga proximum. Neque enim fieri po-
E test, vt is qui à dei cognitione illuminatus est, & eius dilectione repletus, tenebras habeat ex odio aduersus fratrem suum. Siquidem lux ac tenebræ ad idem, & secundum idem conuenire non possunt. Itaque qui à dilectione circa deũ illuminatus est, ad fratris dilectionem accenditur, & deum habens habet & lucem erga fratrem. Qui autem dicit se deum diligere & fratrem suum odit, in continuis est tenebris, semper cæcutiens intellectualibus oculis, vt qui lucem perdiderit quæ erat à coniunctione, & erga deum & erga fratrẽ: neque nouit quomodo deinceps ea vtatur. Quoniam autẽ epistola hæc generalis erat, & communiter ad omnes & Iudæos & Græcos dirigebatur: ad Iudæos quidem sermonem dirigit, quum ait, Non præceptum nouum scribo vobis, sed ve-
F tus, de dilectione loquens. Siquidem in tabulis Mosi scriptũ
Leui. 19. erat, Diliges post deum etiam proximũ tuum sicut teipsum. Ad Græcos verò (dicat quispiam) quidnam de veteri præcepto scriptum est, quum hoc nusquam reperiatur? Dicim⁹ ergo, quòd his quoque lex scripta erat de dilectione erga proximos. Vbi & quomodo? nempe scripta in tabula cordis per naturalem intelligentiam. Et quòd seminatæ in nobis naturales intelligentiæ dicantur lex, Paulus idoneus est ad con-
Rom. 7. firmandum sermonem, qui ita dicit: Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ quæ est in me. Legem ergo siue præceptum vetus etiam Græci acceperant, scribente legem natura, vt benigni essent erga vniuersos propinquos, & sui inuicem amãtes, quatenus homo sociale animal est: quod sine dilectione fieri non posset. Sed & multos homines morti se

ti se exposuisse vnum pro alio, veteres scribunt historię. Maioris signũ dilectionis saluator noster tradit, quum ait, Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ita pręcepto de proximi dilectione iam olim & Iudæis & Græcis posito, dicit: Præter vetus præceptũ quod audistis de proximi dilectione, adhuc etiam nouum præceptum scribo vobis: quod veritatem habet & in eo qui vos familiares deo effecit, & in vobis qui participastis cum ipso. Nam quia ipse dicit, Ego lux in mundũ veni, & lux vera iuxta eius sermonẽ iam lucet, porrò in luce nõ possunt subsistere tenebræ: splẽdeat posthac vera lux dilectionis, affectu non simulato erga fratrẽ, & prætereant odij tenebræ, hoc est discedant, dispereant. Nam hoc significat Præterire etiam apud beatum Paulum vbi dicit, Præterit enim figura mundi huius. ALIO modo circa illud: Præceptum nouum scribo vobis. Præceptum hoc nouũ est, quatenus Mosi præceptum non vniuersale fuit, sed distinctum iuxta eos qui eiusdẽ erãt cognationis aut tribus, exhortãs ad diligẽdos solos amicos, inimicos verò odio habẽdos, quum dicit: Diliges amicũ tuũ, & odio habebis inimicũ tuũ. Præceptũ autem domini, eiusque Apostolorũ noua admodũ cõplectitur, præcipiẽdo: Diligite ĩimicos vestros, & benefacite his qui oderũt vos, naturali subsistẽtię hęrẽdo, & nõ illi naturali affectui qui in hominib⁹ prauis artib⁹ deditis ex malitia inhęret. *Qui autem odit fratrẽ suũ.* Huiusmodi quippiã dicit his verbis: Qui dicit se esse Christi, & fratrẽ suũ odit, mẽtiẽ & nõ est Christi. Si enim Christ⁹ illũ ita dilexit, vt & animã suã pro eo poneret, quomodo is qui se dicit esse Christi, odit fratrẽ suũ pro quo Christus mortuus est? Aut etiã hoc modo: Qui dicit se esse dei, & odit fratrẽ suũ qui est Christus, (ipse nãq; dicit, Nuntiabo nomẽ tuũ fratrib⁹ meis) hic nõ est dei, sed diaboli. Nã si dei esset, diligeret vtiq; fratrem suũ, & ita etiam Christum.

Iohan. 15. | Iohan. 12. | 1. Cor. 7. | Leui. 19. | Matth. 5. | Psal. 21. | A | B | C

Scribo uobis filioli, quoniam remissa sunt uobis peccata propter nomen eius. Scribo uobis patres, quoniam cognouistis eum qui ab initio est. Scribo uobis adolescentes, quoniam uicistis malignum. Scribo uobis pueruli, quonã cognouistis patrem. Scripsi uobis pa-

D *tres, quoniam cognouistis eum qui ab initio est. Scripsi uobis adolescentes, quoniam fortes estis, & uerbum dei manet in uobis, & uicistis malignum.*

Quoniam dixerat Præceptum nouum scribo vobis, significat etiam dispositionem illorum qui literas essent accepturi: id autem designat per progressum, ac promotionem iuxta corporale augmentum. Nouerat enim quòd non inæquali honore sermonem essent omnes suscepturi, neque æquali animo ac studio: sed hi quidē veluti pueruli magis per modum instructionis: quibus tamen spondet peccatorum remissionem per fidem in Christum. Alij verò, sicut qui promouerunt in virum perfectum ætatis plenitudinis Christi, &
E ita vt alios quoque possint efficere filios: quibus etiam testificatur, quòd cognitionem habeant illius qui ab initio est. Quis est autem is qui ab initio est nisi deus verbū, quod erat in principio apud deum? Porrò alij quasi adolescentes sunt, quibus tanquam iuueniliter ac robustè se gerentibus aduersus affectus & afflictiones contumeliæ, attestatur quòd accepturi sint palmam victoriæ. Deinde alio modo aggrediēdo idem repetit, ad mensuram spiritualis ætatis adaptās doctrinæ sermonem. Quoniam igitur noui, inquit, vos ita excepturos vario modo quæ à me scripta sunt, necesse est & me dimetiri doctrinam iuxta dispositionē vestræ ætatis, & cum his sanè tanquam cum pueris disserere, qui patrem cognouerunt, dico sanè deum: cum illis autem veluti cum patrib⁹,
F qui amplius aliquid habent quàm pueri in cognitione, quòd non solum vt patrem cognouerint, verumetiam tāquam eum qui initio careat, & cuius initium nemo possit enarrare: erat enim in principio. His sane æquum est & perfectiores apponere sermones: istos verò tanquam robustos adolescentes, & ad luctam ac certamina idoneos inungere: quib⁹ etiam dum victoriæ claritatem dicit cōtingere, ostendit fortibus ac militaribus opus esse sermonibus. Ita ergo iuxta ætates spiritus attemperato suo sermone: dum hi quidem ita afficerentur ad ipsius sermones, alij verò tales accederent ad fidem, vt variis modis instrui deberent iuxta sui qualitatem, subiungit postea exhortationis sermonem, & ait: *Ne diligatis mundum.* Hæc tanquam pueris dicit. Semper enim affecti sunt pueruli

ruli ad apparentem voluptatem. Deinde caussam dicens, cur non debeat quis mũdum diligere, & ea quæ in mundo sunt, confirmat deinceps doctrinam patribus ac adolescentibus traditam: perfectiori namque habitu his subuenitur. Et ne existimes quòd suo sermone per mũdum significauerit aggregatum ex cœlo & terra, subiungit quis sit mundus, & quæ sint ea quæ in mundo sunt. Et mundum quidem dicit vilem turbam, quæ nec patris habet in se dilectionem. Quęnam autem sunt illa quæ in mundo sunt? Quæ carnis concupiscentia perficiuntur, quæ concupiscentiam per sensus agitant. Per oculos namque qui potissimum tenent locum in sensibus, cætera quoque complexus est. Circa concupiscentiam malum omne versatur, adulteria, pocula, amores indecentes: arrogantię, velle cunctos excedere, suggerente concupiscentia vt quicquid adoritur, ab arrogante conficiatur, cędes, hæ quidem ob auaritiam, illæ verò ad perdendum aduersarios: doli, & hi vt quicquid impedimento est nobis, dolo subdamus, vtque vno verbo dicam, quicquid deo aduersatur, per carnalium concupiscentiam natum est perfici. A B

Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quoniam quicquid est in mundo, nempe concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum & fastus uitæ, non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia eius: qui autem facit uoluntatem dei, manet in æternum. C

Diximus iam quòd mundum appellet vilem turbam, propter quod & dominus dicit discipulis: De mundo non estis, sicut & ego non sum de mundo. Huius autem mundi pater est diabolus, mundanæ inquam voluptatis ac confusionis. Ideo & dominus de suis discipulis dicit ad patrem: Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo, siue à mundo: quem etiam alibi in maligno constitutum esse dicit. *Iohan. 15. & 17.*

ALIO autem modo. Si malus aduersatur bono patri, qui verò seruit mundi concupiscentiis non est ex patre sed ex mundo, manifestum est quòd is qui ex patre non est, sed *Infra. 5.*


 ex mundo,

D ex mundo, etiam ex diabolo est: quemadmodum & in Euãgeliis dicit ad Iudæos: Vos ex patre non estis, sed ex diabolo. hoc est, ex mundanis studiis ac exercitiis, quorum diabolus seminator est ac plantator. Et hæc, inquit, mundana concupiscibilia non habent permanentiam ac subsistentiam, sed prætereunt: quæ verò iuxta dei voluntatem fiunt, perpetuò durant. Non est autem sapientum persistentia contemnendo despicere, & pereuntibus adhærere, quæ simile quid faciunt cum spectro domum ædificare conante. *Qui autem facit uoluntatem dei.* Quæ est autem voluntas patris? Vt credant in eum quem ipse misit.

Iohan. 8. *Iohan. 5.*

CAPVT III. *De falsis fratribus deum abnegantibus, & quòd pietas in Christum sit patris confessio: patris namque glorificatio, filii theologia est. In quo etiam agit de diuino, ac spirituali dono in sanctificatione ob spem perueniendi ad cognitionem dei, quòd omnis qui est in Christo, extra peccatum est: qui enim peccat, ex diabolo est*

E



Ilioli, nouißima hora est: & sicut audistis quòd Antichristus uenturus sit, etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse: unde scimus nouißimam horam esse.

Nouissima hora est. Hoc modo facilius ferri potest sermo Quoniam catholica epistola aptatur cuique homini quocũque fuerit tempore, non est autem præscriptus singulis idem

F vitæ terminus, cuique tamen incertus est suus finis, meritò vnumquenque suo fini applicuit, vt tanquã extremũ vitę tẽpus quod singulis imminet, prudentia ac temperantia subsequatur, & ita vita irreprehensibilis, & pura in actionibus semper à Christianis transigatur. Nec habet locum insanus quisquam hæc irridendi, si quum ante tot annos dictum sit Nouissima hora est, vsque nunc non sit dimensum, aut supputatum illud nouissimum. Etenim si ad tẽporis spatium à cõdito mundo conferas, quantum est quod ab eo tẽpore vsque nunc elapsum est, dico sanè tempus à Christo nato? Præterea si cuiusq; rei in tria diuisæ, nempe primum medium ac nouissimũ, vtiq; quicquid à medio sequitur, dici nouissimum null⁹ absurdum iudicat. Certè si iuxta medium

decies

decies mille annorum dominus aduenit(Siquidē eius in terra aduentus fermè anno quinquies millesimo fuit) quidquid hinc succedit tanquam id quod medium sequitur, si extremum ac nouissimum dicatur, nullus meritò possit reprehendere: ex centum enim verbi caussa annis etiam primi, decem videlicet aut viginti & sic de sequētibus, nouissimi dicerentur. Ita ergo & hic, quoniam tempore aduentus domini media millenariorum annorum congeries transierat, quicquid ab hoc sequitur, rectè nouissimum siue extremum dici potest. Hoc itaque verissimum est etiam secundum Iohannē Chrysostomum. Potest quoque nouissimum siue extremum intelligi pessimum, sicut quum dicimus, Ad extremum mali peruenit. Quoniam ergo mundus tunc magnis agitabatur malis, diabolo ista machinante post aduentum illius salutaris, siue ad tentationem bonorum, siue ad confusionē eorum quæ meliora sunt, ne posset quis discernere quid esset bonum, & quid nō bonum: propterea tempus illud dixit nouissimam horam, tanquam extremo adducente id quod pessimum est, quum fecis ac crassissimarū reliquiarum habeat rationem. Confirmat autem extremam esse horam siue pessimam, etiam iuxta temporis substātiam, ab Antichristo. Nam si Antichristum, inquit, in nouissimis temporibus expectamus, nunc autem Antichristi multi versantur in hac vita (dicit autem Cerinthum illique similes) manifestum est quòd tempus consummationis immineat, dum multi Antichristi vnum præcedunt, iterque illi parant. Deinde hoc dicto subiungit vnde sint Antichristi, nempe quod ex nobis, &c. A B

C *Ex nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti fierent quòd non sint omnes ex nobis. Sed uos unctionem habetis à sancto illo, & nostis omnia. Nō scripsi uobis quòd nesciretis ueritatem, sed quòd sciretis illam, quodq; omne mendacium ex ueritate non est.*

Ex nobis egressi sunt. Subiungit autem & hoc quum nihil dispoſuerit aut præposuerit ad explanationem sermonis: dico autem quasi seipsum interrogasset, Et vnde sunt hi Anti-

D christi? deinde tunc subiunxisset, Ex nobis egressi sunt. Quũ ita facere oportuisset, non hoc facit, sed confuse, hoc modo fortassis confusione sermonis ostendens molestiam quã circa illos habebat. Sed quare ex domini discipulis egressi dicuntur Antichristi? Vt possent apud eos qui seducerẽtur fide digni haberi quasi essent ex discipulis, & iuxta magistri ac praeceptoris sententiam facerent praedicationis sermonẽ: nec penitus contrariam habebant praedicationem: propterea ergo ab nobis. *Ex his egressi sunt.* Quum enim facti essent discipuli, discesserunt à veritate, ac suam adinuenerunt blasphemiam. Subaudiẽdum est autem. Et vnde prodierunt hi Antichristi, vt sermo fiat apertior. *Sed non erant ex nobis.* hoc est, de sorte eorum qui salui fiunt: nam si inde fuissent,
E cum suis vtique permansissent. Nunc autem hoc illis contigit, vt manifesti fierent, hoc est, vt omnibus notum fieret quod penitus abalienati essent à nobis, & agglutinati his qui nostri non erant. Sunt enim inter ipsos quidã qui ex nobis nunquam fuerunt, quibus videlicet seipsos coniunxerunt qui ex nobis egressi sunt. Propter quos, inquit, dixi: Non sunt omnes ex nobis. A nobis enim, qui domestici ac familiares eramus, aliis adhaeserunt qui à nobis erant alieni: eligentes potius Ethnicorum more intemperanter viuere, quàm nobiscũ temperanter & honestè. His dictis, ne videretur sibi soli horum cognitionem attribuere, & per hoc aduersus fideles insolescere quasi solus haec nouisset, subiungit: *Sed vos unctionem habetis.* Tanquam diceret: Sed quid ego haec vobis nar
F ro, quasi ignorantibus? Non est apud vos horum ignorantia Sacram enim vnctionem per sanctum baptisma accepistis, & per hanc diuinum spiritũ, qui vos ducit in omnem veritatẽ. Quoniam autem hoc ita est, scitis quòd non scribam vobis haec tanquam ignorantibus, sed tanquam scientibus. Quaenam haec? Nouissimum tempus, Antichristi aduentum, omnia esse plena mẽdacio. Propterea igitur quòd abundet mẽdacium, ait: Dico etiã Antichristos multos factos esse. Nam si Christus veritas est, quem & vos cognoscentes, habetis veritatem in vobisipsis, vtique quum mendax sit contrarius veritati siue Christo, Antichristus est.

Quis est mendax, nisi is qui negat Iesum esse Christum?

ſtum? Hic eſt Antichriſtus qui negat patrem & filium. Quiſquis negat filium, is ne patrem quidem habet. Quod igitur uos audiſtis ab initio, in uobis permaneat. Si in uobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & uos in filio & patre manebitis. Et hæc eſt repromiſſio qua ipſe pollicitus eſt nobis uitam æternam. Hæc ſcripſi uobis de his qui ſeducunt uos. Et unctio quam uos accepiſtis ab eo, manet in uobis. Et non neceſſe habetis, ut quiſquam doceat uos, ſed ſicut ipſa unctio docet uos de omnibus, & uerax eſt & non eſt mendacium. Et ſicut docuit uos, manete in ea. A B

Etiam hic ſubaudire oportet coniunctionem, καὶ, id eſt, & clarioris intelligentiæ gratia, vt ſit hic ſenſus: Et quis eſt mẽdax, niſi is qui negat Ieſum eſſe Chriſtum? Hoc autem impius Simon delirans nugabatur alium eſſe Ieſum & alium Chriſtum: Ieſum quidem eum qui erat à ſancta Maria, Chriſtum verò eum qui in Iordanẽ à cœlo deſcenderat: Qui igitur huic applaudit mendacio, inquit, is eſt Antichriſtus. Id autem Hic eſt Antichriſtus, dupliciter accipiẽdum eſt, & de eo qui Ieſum negat eſſe Chriſtum, & de eo qui negat patrẽ & filium. Nam & is, inquit, qui negat patrẽ ac filium, etiam mendax eſt & Antichriſtus. Dicebant enim alij rurſum hæretici, à quibus impurus Valentinus exortus eſt, aliũ eſſe patrem innominatum pręter eum qui dicitur pater Chriſti. Hi autem & filium negãt, eo quòd nudum hominem eũ eſſe dicant, & nõ natura deum, tanquã ex deo. *Quiſquis negat filiũ, is ne patrem quidem habet:* quemadmodũ Iudæi filium quidẽ negantes, patrem verò ſe noſſe ſimulantes, idque ſibi vindicantes. Sed ſciant hi quòd neq; patrem nouerunt: nam ſi nouiſſent, ſcirẽt vtiq; quòd & pater ſit vnigeniti filij. Idipſum autem illi quoq; nugabãtur, qui Simonem ſequebantur. Itaque illi hoc modo, inquit: at vos quod audiſtis ab initio, puta diuinam de Chriſto doctrinam, ſeruate apud vos. Nam hoc ſibi vult Permaneat in vobis. *Si enim in uobis permanſerit quod ab initio audiſtis, & uos in filio & patre manebitis.* Hoc eſt, conſortes eius eritis. *Hæc eſt enim promiſſio.* Siquidem cõ- C

iunctionem

D iunctionem καὶ, id est &, caussaliter oportet accipere pro Enim. Quæ est autem promissio? Ea qua dicit dominus ad patrem: Vt sicut ego in te & tu in me, ita & ipsi in nobis vnum sint. & rursum: Vt habeant vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christum. Absoluto verò de his sermone, addit: *Hæc scripsi uobis de his qui seducūt uos:* hoc est, propter eas quæ sunt egressæ hæreses. Deinde rursum subiungit quod antea diximus, efficiens ne molestus sit eis sermo.

Iohan. 17

Ipsi quoque unctionem accepistis. Quæ sit autem illa, iam dictum est quòd dicat spiritum sanctum. Quandoquidem ergo spiritum sanctum quem accepistis firmum habetis apud vosipsos, non necesse habetis vt quisquam doceat vos: sed sicut ipsa vnctio siue ipse spiritus docet vos de omnibus, sicut docuit vos manete in ipso: nam verū est, & non est mendacium id videlicet quod docuit vos. *Et unctio quam uos † accepistis.* Literæ series est hæc: Et vos, quoniam vnctio quam ab ipso accepistis manet in vobis, non necesse habetis vt quisquam doceat vos.

† Pronomē ὑμεῖς, i. uos, reddidimus proximo uerbo, nempe ἐλάβετε, i. accepistis: noster autē scholiastes reddidit uerbo posteriori, nēpe ἔχετε, i. habetis.

Et nunc filioli manete in eo, ut quum apparuerit habeamus fiduciam, & non pudefiamus ab eo in aduentu eius. Si scitis quòd iustus est, scitote quòd omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

Cap. III. *Videte qualē charitatem dedit nobis pater, ut filij dei nominemur.*

F *Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum. Charissimi, nunc filij dei sumus, & nondum apparuit id quod futuri sumus. Scimus autem quòd si apparuerit, similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, purificat se sicut & ille purus est.*

Postquam dixit de congregatione Antichristorum & de peruersa illorum doctrina, à qua veluti charactere quodam manifestos sese reddiderunt: ac satis firmauit eos, vt immoti persisterent circa ea in quibus instructi erant, subiungit, cōsequenter repositam quoq; propter ista mercedem, tāquam fortiores eos reddens claritate præmiorum, & ait: *Manete*

in eo,

in eo. Quare? Vt habeamus fiduciam in ipso quum apparuerit. Quid enim clarius aut desiderabilius fiducia qua exhibituri sumus Christo nostros in vita peractos labores, facientes hoc cum fiducia & in nullo pudorem sustinentes in aduentu eius? Et quoniam verisimile erat quosdam interrogaturos, quibus operib⁹ grati ei fieri possent, docet etiam hoc, & ait: Si cognouistis eum ꝙ iustus sit, vtique & hoc scitote quòd is qui facit iustitiam, ex ipso natus sit: iustus nanq; iustos generat. Porrò quantum sit hoc ad gloriationem & fiduciam nostram nullus ignorat: sicut neque illud, nẽpe quanta & qualis sit dilectio & benignitas quam erga vos exhibuit. Videte enim quòd dederit nobis, vt filij sui essemus & vocaremur. Quòd si eos qui sunt in mũdo hoc lateat, puta nos esse dei filios, ne hoc admiremini: nam propter hoc mundus non nouit nos, quoniam neq; eum nouit qui nos adoptauit in filios. Quòd autẽ mundum dicat vilem & abiectam turbã, frequẽter ostendimus. Deinde postquam adoptionẽ confirmauit, clarius post hæc dicit & gloriam ac fiduciã seu libertatẽ quę his reposita est qui adoptati sunt, & ait: *Charissimi nũc filii dei sumus.* Ac si diceret: Omnino charissimi, ex præcedentibus scitis quòd in filios dei assumpti simus: quòd si id nondum manifestatum est, ne turbemini: quod enim nunc incertum est, manifestum fiet illo reuelato. Siquidẽ adoptionis splendorem exhibebimus apparẽtes ipsi similes, nam filij omnino similes sunt patri. Sed & fiduciam erga ipsum habentes tanquam filij, videbimus eum sicuti est: non sanè iuxta ipsius naturam, nam hoc impossibile est creatæ naturæ: sed quid? iustum iusti, purum puri. Simili enim adhærebũt & similes. Nam ob id paulo antè dixi quod similes ei erimus: non iuxta naturam: dixisset enim alioqui non Similes, sed iidem: nunc autem quia id non cõtinget, dixit Similes, iuxta gloriæ videlicet qualitatem. Animaduertendum est autem quod non dixerit in superioribus, Omnis qui fecit, aut qui faciet iustitiam, sed Qui facit. Virtutes enim semper operantur: † & dum fiunt, habent esse: cessantes verò aut futuræ, ne esse quidem habent.

A B C

† πράττονται γὰρ καὶ δρῶνται.

Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. Et *scitis quòd ille apparuerit,*

D *ruerit, ut peccata nostra tolleret: & peccatũ in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non uidit eum nec cognouit eum. Filioli, nemo uos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatũ, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Ad hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opera diaboli.*

Confirmato in superioribus sermone de iustitia à bonis iustitiæ, nunc etiam à contrariis & his quæ ipsi accidũt demõstrationẽ assumit, & ait: *Omnis qui facit peccatum.* Tale quid-
E dam dicens: Vos qui adoptati estis, operemini iustitiam, neque vosipsos exhibeatis in hac otiosos. Quemadmodum enim in peccato non is qui fecit aut facturus est, ille iniquus dicitur aut peccator, sed qui malo adhæret eiusque operator est: ita & iustus non dicitur is qui nihil proficit aut ignauus, sed strennuus. Sciendum autem ꝙ ἁμαρτία quidem. i. peccatum est lapsus ab eo quod bonum est: ἀνομία verò. i. iniquitas est delictum circa legem positam: & vtrumque horũ id habet initium: nempe peccatũ, degeneratiõẽ ab eo quod bonum est: iniquitas autem, committere aduersus positam legem. Conueniunt autem inter se & circa idem sunt. Nam &
F is qui peccat, aberrat à scopo qui est secũdum naturam & in ipsa natura: Scopus enim humanæ naturæ est viuere secundum rationem, vt procul disiuncta sit ab irrationalitate. Similiter & qui agit inique, delinquit circa datam in natura legem, intemperanter affectus. Rectè ergo discipulus domini vtrunque in idem commutauit, *Et scitis quod ille apparuerit.* Nequaquam inquit locũ iam habere potestis peccandi. Quũ enim Christus aduenerit ad tollendum peccatum, quoniam non erat ille particeps peccati, neque vobis relictum est vt amplius peccetis, qui ad eum accessistis, & in fide ipsius cõfirmati estis. Nam hoc significare vult quum ait, Omnis qui in eo manet. Hic autem est qui serio & absque fuco accedit ad virtutes, & nunquam cessat ab operatione earum. *Et peccatum in eo non est.* Coniunctio καὶ. i. &, capitur pro Quoniã. *Omnis qui peccat & cæt.* Quum dixisset quòd apparuisset, & causam propter quam apparuisset, nempe vt peccata nostra tolleret,

tolleret, hoc est de medio auferret ac deleret, tanquam is qui peccatum non fecerat, subiungit: Omnis qui peccat non vidit eum. Nam si vos inquit qui vidistis eum dum manifestatus esset, etiam signum accepistis quòd ipsum videritis, népe quod ne facile à peccato capiamini tanquam perfectè in ipso confirmati, omnino sane qui peccant, hi nō viderunt quidem eum, propter quod neque cognouerunt: Vidisse & Cognouisse dicens nō secundum nudum oculorum prospectū, neque quod secundum facilem imaginationē egissent ad cognitionem, sed quod cum aliquo iudicio & scientia operati essent accessum ad ipsum, quemadmodū supra diximus. His autem dictis firmius procedit dicēs: *Nemo uos seducat.* Neque enim alio modo potest quàm isto. Qui facit iustitiam, nouit iustum & iustus est, sicut & ille, hoc est deus. Et quemadmodum hoc, ita etiam rursum ediuerso: Qui facit peccatum, à peccatore est, hic autem est diabolus, vt qui ab initio peccat. Propter quod prouidens deus suæ creaturæ, factus iustitia & sanctificatio, manifestatus est siue in mundo apparuit, vt è medio tolleret opera diaboli quæ sunt peccatum. *Qui facit peccatum ex diabolo est.* Quoniā mutatus fuit diabolus peccando, ex ipsius instinctu agit quisquis peccaminose operatur: prius enim in peccantem ingreditur per immissionem prauarum cogitationum, quemadmodum in Iuda. Sed dicet aliquis: Quomodo intrat diabolus in eos qui peccant, quum illi antea peccauerint dando ipsi locum? Ad quod dicendum est idem esse facere peccatum, quod peccare dando locum diabolo. Dat enim ipsi locum qui peccat concupiscētiæ subiectus, postquam eum excepit efficaciter perficiens peccatū: nam hoc significat Facere ipsum. Bene autē & hic dixit Qui facit, non autem Qui fecit: quum is qui resipiscit, iam nō fit ex diabolo: sed is tantum qui adhuc peccatū committit. Ita enim & peccati seruus est qui facit peccatum, & non qui fecit. Propter quod ait: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.

A B C *Luc. 22. Ioan. 13.*

CAPVT IIII.

De charitate erga proximum, & affectione ad tribuendum eleemosynas: in quo etiam agit de bona conscientia quæ est per fidem Iesu Christi: & de discernendis spiritibus per confessionem incarnationis domini.

Omnis

D Mnis qui natus est ex deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & nō potest peccare, eo quòd ex deo natus sit. Per hoc manifesti sunt filij dei & filij diaboli. Omnis qui non facit iustitiam, non est ex deo, & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annunciatio quam audistis ab initio, ut diligamus nos inuicem. Non sicut Cain ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam o-
E pera sua mala erant, fratris autem sui iusta. Ne miremini fratres mei, si odit uos mundus. Nos scimus quòd translati simus de morte ad uitam, quia diligimus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quòd omnis homicida non habeat uitam æternam in se manentem. Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui uerò habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, clauseritq́;
F uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in ipso? Filioli mei, non diligamus uerbo neque lingua, sed opere & ueritate.

Omnis qui natus est ex deo &c. Quoniā omnis qui facit peccatum ex diabolo est, & quatenus peccat etiam filius diaboli dicitur, sicut b. Paulus ad Elymam ait: O plene omni dolo & omni versutia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ: manifestum est quod etiam is qui ex deo natus est, tanquam dei filius nō peccat, & causa est, quoniam semen ipsius est, dei videlicet siue spiritus quem per donū accepimus, quod in nobis manens siue firmatum, efficit ne mēs nostra recipiat peccatum. Aut etiam ipse Christus, tanquam habitans in fidelibus, facit ipsos filios dei, quatenus etiam in semine Abrahā, qui est Christus, benedicuntur omnes gentes. Nunc autem

Acto. 13. Gene. 22. Gala. 3.

ita ser-

ita sermone processit, confirmans quod superius dixerat, dico sanè fideles esse dei filios, & indubitatum illud faciens, tū ex eadem re, puta non peccare: tū ex contrario, vt paulo ante diximus. Sicut enim hoc contrarium se habet ad illud cōtrarium, ita rursum illud contrarium ad hoc contrarium, iuxta dialecticas argumentationes. Considera vero exactā sententiam. Neque enim prius dixit ex deo natum esse vel ex diabolo, nisi præacceptis operibus siue iustitiæ siue iniquitatis. Ex his namque adoptio est siue dei siue diaboli. Quanquam enim gratia salui facti simus, attamen propter eximiā dei benignitatem hoc dicitur, quia licet incurabiliter offenderamus, ipse malorum non meminit ob salutem nostram. Siquidem ꝙ otiosis non det eam quæ est apud se salutē, Paulus clamando confirmat his qui secundum propositum vocati erāt. Similiter & qui diabolo adoptati sunt in filios, quāquam abalienati sint ab vtero, quum tamen nondum iuxta propositum operati sint malum: attamen propter vehementem eorum malitiam hoc dictum est: neque enim absque mali operatione contingit diabolo proprium ac domesticū fieri: sed qui facit peccatum, ille à diabolo assumptus est, siue in filium, vt amplius operetur etiam sua sponte malum: siue in seruum, eo quòd à maligno superatus sit, & ab eo ductus captiuus ac condemnatus ad illius obsequium. Animaduerte autem & hoc, ꝙ non dixerit eum qui ex deo natus est non peccare, ne & infantes comprehenderet, qui ab vtero habēt quòd non peccent, sed dixit, Peccatum nō facit. Illud siquidem Non peccat, negationi simpliciter congruit: hoc autem Non facit peccatum, significat ex affectu non contingere. Propter quod etiam addit quòd non potest peccare, non secundum naturæ impossibilitatem hoc dicens, quemadmodū de irrationalibus dicimus quod non possunt scientiam recipere: sed propter voluntarium otium siue abstinentiā à peccando hęc differens, & indicium filiorum dei esse dicens, nō peccare: quemadmodum rursum filiorum diaboli, peccarē. His ergo enarratis, repetit post multa in medio posita, dilectionem erga proximum, quasi illius gratia vniuersa quæ in medio fuerunt tractauerit: quandoquidem plenitudo quoque omnium est dilectio, & ait: *Qui non diligit fratrem suum. non est ex deo.* Nam cōtra hoc etiam membrum positum est.

A

Ephe. 2.

B

1. Cor. 9.

2. Timo. 2.

Psal. 57.

Roma. 9.

C

Roma. 13.

D Non est ex deo, hoc dicens: Quoniam si is qui facit iustitiam ex deo natus est, sequitur vt is qui ita nat⁹ est diligat fratres: qui vero non facit iustitiam, eo quod non faciat eam odiendo fratres suos, non est ex deo, non iuxta alium modum nisi quod non natus sit ex eo. Et quomodo non sit ex eo ostendit, dicens: *Quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio.* Quæ sit autem hæc annuntiatio, iam diximus quod & naturaliter accepta & per doctrinam. Sed & legali præcepto de
Leui.19. diligendo proximo: domini quoque præcepto dicente: Præ-
Iohan.13. ceptum nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem. Præterea etiam naturale præceptum erga ea quæ eiusdē sortis & con-
E ditionis sunt, cogit ad hoc faciendum. Quoniam igitur tot
Io.5.14. ac talia sunt præcepta assertioni domini conformia, qui sermonem eius seruat & facit ipsum, habet vitam æternam, & transiuit ex morte ad vitam. Propterea ergo diligamus fratres nihil nocumenti sumentes ad æmulandum: puta, si odio habeamur à mundo, nos quoque odio habeamus fratres: sed domini sermo sit in nobis efficacior. Nā qui fratres suos odit, non solum ab æterna vita proiectus est, sed etiam homicida est. Necessario enim sequitur, si homicida est, quod nec vitam æternam habeat. Videte namque Cain, inquit, quoniā & ipse quum odio habuisset fratrem, occidit ipsum, quanquā frater esset. Sed quia opera mala habens, filius erat diaboli:
F Abel vero iusta operando, filius dei appellabatur: opponitur autem diabolus deo, & mala opera bonis: propterea & Cain quum contrarius esset fratri, occidit ipsum. Ita quidem erat consequens sermonis decursus, verum b. Iohannes ordinem immutauit, seruiens semper ei quod magis vrgebat. Siquidē vrgebat ipsum quia diaboli mentionem fecerat, & eorū qui ob prauas actiones ab illo adoptati erant, vt illum in exemplum proponeret qui ab initio mundi per mala opera aufugit, vt maligni filius esset. Absolutus autem à Cain & eis qui hunc imitantes eandem cum ipso accipiunt hæreditatē, rursum ad dilectionem recurrit, ostendens quanta bona ex ipsa contigerint: & dicit quod dilectio persuasit domino vt pro nobis animam suam poneret, & quod hoc exemplo permoti debemus & nos pro fratribus animam ponere. Et quoniā id rarum est & apud paucos, veluti exhortando ipsos, à mediocribus rebus incipit admonitionem fraternæ charitatis facere,

facere, ita quodammodo sermonem disponens: Quid dico A
pro fratribus animas ponere, quando videmus nonnullos ne necessariorum quidem vsum fratribus subministrare? neque eos dico qui & ipsi egent vitæ necessariis, sed qui etiam diuitiis abundāt, toto propemodum mundo. Propterea pudefiant, quoniam si in his minimis viscera occluserunt, & seipsos indignos ostenderunt ac vacuos dei dilectione, quidnam in re maiori exhiberent, nempe quum moriendum esset pro fratribus? Deinde & aliud subiungit quo eos exhortetur, qui verbo quidem dilectionem susciperent, ac sola lingua præstarent, & ait: Ne diligamus verbo & lingua, sed opere ac veritate. B

Per hoc cognoscimus quòd ex ueritate simus, & in conspectu eius suadebimus cordibus nostris. Quoniam si arguat nos cor nostrū, maior est deus corde nostro, & nouit omnia. Charißimi, si cor nostrum non arguat nos, fiduciam habemus erga deum: & quicquid petierimus, accipimus ab eo: quoniam præcepta eius custodimus, & ea quæ sunt placita corā eo facimus. Et hoc est præceptum ipsius, ut credamus nomini filij eius Iesu *Christi.* C

Per hoc cognoscimus. Per quid? Ex eo quòd non verbo diligamus, sed opere & veritate. Et quid cognoscimus? Quod ex veritate simus. Quomodo? Siquidem is qui aliud dicit & aliud facit, non habens conformem sermoni actionem, mēdax est & non verax. *Et in conspectu eius suadebimus cordibus nostris.* Id est quod dicit, quod per hoc, nēpe quod veraces simus: porrò veraces erimus quando iuxta sermones processerint & opera, suadebimus conscientiæ nostræ, hanc enim significare vult per corda. Et quomodo suadebimus? Hoc apud nosipsos ponentes, quòd veluti deo teste sermones depromimus. Nam id significat In conspectu eius, siue Coram eo. Etenim si ita non facimus, inquit, sed conscientia siue cor nostrum arguat nos, nō latet illam nos peccare. Quod si cōscientiam nostram, quæ pusilla est vtpote ex pusillo animali, latere non potest dum peccamus, multomagis deum qui

D incircunscriptus & vbique est, nequaquam latere potest. Totus igitur sermo talis est: Filioli mei, ne mentiamur inter nos inuicem sola lingua diligentes, sed opere quoque ostendamus dilectionem: per hoc enim cognoscemur quòd ex veritate, hoc est ex deo simus, & quod dicimus, tanquam deo inspectore dicamus, siquidem nemo, etiam si dæmonibus esset impudentior, ferre posset vt deo præsente & teste mentiretur. Nisi enim ita faciamus, sed dicendo quòd diligamus, cor nostrum arguat nos mendacij, erramus. Quomodo? Putantes id latere deum, qui vbique præsens est: neque id scientes, quòd si fieri non potest vt cor nostrum, quum pusillum sit, lateat,
E multo minus eum latebit qui nusquam deest. Postquam igitur nosipsos ita præparauerimus charissimi vt non arguamur à nobisipsis, in eo videlicet quod est inter nos mutuo esse veraces, fiduciam habebimus erga deum: per quam etiam fiduciam quicquid petierimus, omnino accipiemus ab ipso. Quare? Quia præcepta eius seruamus: id enim maximi momenti est ad impetrandum quod petitur, nempe obedientia eorum qui petunt, quando absque vlla hæsitatione fuerit, erga illum ad quem petitio dirigitur. Quoniam ergo & nos eius præcepta custodimus, & quæ placita sunt ipsi facimus: confidamus quod in petitionibus non simus passuri repulsam: quum affectus qui in vtrisque est, summè cupiat rependere
F vices eius quod ad vsum venit alterius. Et quod præceptum illius custodimus? Illud quod ait: dilectionem habete inter vos mutuam. Quoniam igitur accepto præcepto vt
Io.13.14. fide quæ est in nomine filij eius Iesu Christi diligamus nos mutuo, id fecimus, per hoc cognoscimus quod in nobis firmata sit gratia quam per spiritum suum dedit nobis. Sciendum est autem quod frequenter in nouo testamento habetur Credere in nomine Iesu domini nostri. Verum quid hoc nomen sibi vult? Nihil aliud quàm gloriam, consilium aut celebritatem. Gloriam quidem & celebritatem, vt quum dicitur: Admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Con-
Psal.8. silium verò & voluntatem, vt hoc loco, & quum dicitur:
Acto.2. Resipiscite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine domini Iesu: id enim est in eius voluntate. Quæ est autem voluntas domini Iesu? Vt baptizentur omnes gentes in no-
Mat.28. mine patris & filij & spiritus sancti.

Et diliga-

Et diligamus nos mutuo, sicut dedit præceptũ, & qui seruat præcepta eius, in illo manet, & ipse in eo. Et per hoc scimus quod maneat in nobis, è spiritu quẽ dedit nobis. A

Hoc est, veraci inquit affectione diligamus nos mutuo. Et vbi hoc præcepit? In his verbis, quum ait: Quemadmodum vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite ipsis. Si nos ergo cupimus vt proximi nostri vero ac syncero affectu erga nos affecti sint, & nos omnino similiter affecti simus erga ipsos. Quòd si hoc domini præceptũ est, multo magis si nos in ipso maneamus siue firmati simus, ipse quoque seipsum nobis exhibebit, seipsum enim negare non potest: hoc est, non inaniter assumi potest, dum præcepta sua nobis suppeditat, sed hæc in seipso primum stabilit. Si autem hoc fuerit, vtiq; si quæ præcipit facimus, habebimus & illum nobis obsequẽtem in omnibus quæ ab eo petierimus, & donum suum firmum in nobis. Tota vero ordinationis sententia est huiusmodi: Vt credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuo verè, sicut est præceptum eius. Nam qui seruat præcepta eius, in illo manet & ipse in eo. Per hoc autem scimus quod maneat in nobis, ex spiritu siue dono quod dedit nobis. Siquidem donec manet hoc asylum, proculdubio habemus inauferibile donum ipsius. Quomodo autem erit asylum? Si nihil ex negligentia prætermittamus eorum quæ nobis præcepit circa dilectionem.

Mat.7.
2.Timo.2.
B
C

Charißimi, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Per hoc cognoscite spiritum dei. Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex deo est. Et omnis spiritus qui non cõfitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex deo non est. Et hic est spiritus ille Antichristi, de quo audistis quòd ueniat, & nunc iam in mundo est. Vos ex deo estis filioli, & uicistis eos, quoniam maior est qui in uobis est quàm qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo Ca.IIII.

D *loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex deo ſumus. Qui nouit deum, audit nos: qui non eſt ex deo, non audit nos. Per hoc cognoſcimus ſpiritũ ueritatis & ſpiritum erroris.*

Poſtquam ſermonem abſoluit de dilectione erga proximum, & hanc indicium eſſe demonſtrauit permanſionis ſpiritus quem accepimus, ſubiungit nunc eorum quoque diiudicationem qui verè fratres ſunt & proximi, vt hanc habentes, non incidamus occaſione præcepti de dilectione in falſos fratres falſoſque apoſtolos & falſos prophetas, maximũ
E inde damnum nobiſipſis comparantes. Siquidem complectendo illos tanquam ſimilium eſſent morum, primum nobiſipſis nocebimus, dum ſermone communicamus cum his qui fide impij ſunt, & ſancta canibus proponimus: deinde & his qui vnà nobiſcum verſantur. Noſtra namque erga illos dilectio ſuadebit multis vt ipſos aſſumant præceptores, credantque his quæ ab ipſis dicuntur, dum non obſeruantes, veluti furto ſubducti ſunt propter illorum conuerſationem quam habent nobiſcum, & quod ſit horum indicium, dicit hoc eſſe quod ſequitur: *Omnis ſpiritus qui confitetur.* Omnis ſpiritus ſiue prophetiæ vel apoſtolatus dignitas, quæ confitetur dominum Ieſum in carne veniſſe, ex deo eſt: quæ autẽ
F hoc non confitetur, ex deo non eſt, ſed hæc dignitas ex Antichriſto eſt, de quo audiſtis. Quando? Ex his verbis quę paulo antè dixit, quod multi Antichriſti ſint in mundo, hoc eſt præcurſores Antichriſti. Porro confeſſionem aduentus domini non lingua fieri dicit, ſed operibus. Quomodo? Sicut
2.Cor.4. beatus Paulus dicit: Semper mortificationem Ieſu in corpore circũferentes, vt & vita Ieſu in corpore noſtro appareat. Qui igitur operantem habet Ieſum, & mundo mortuus eſt, nec iam mundo viuit ſed Chriſto, & hunc circunfert non in ſola Chriſti carne, verumetiam in ſua, hic ex deo eſt. Quiſquis autem non Chriſto ſed mundo viuit, hoc eſt mundi vo
1 Cor.3. luptatibus, talis non eſt ex deo. Ideo & Paulus ait: Quum in vobis ſint contentiones & factiones, nónne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis. Qui vero ſecundum hominem ambulat, Chriſti ſpiritum non habet, hoc eſt qui non

ſecundum

ſecundum Chriſtum viuit, ita videlicet vt ſeipſum mundo Roma, 8.
mortificauerit, hic non eſt Chriſti. *Et nunc iam in mundo eſt.* A
In mundo ait iam eſſe Antichriſtum, non corporaliter, ſed
propter eorum præſentiam qui viam illi præparant, nempe
pſeudoprophetas, pſeudapoſtolos & hæreticos. Hic autem
Antichriſtus homo erit qui Satanam circunferet, elatus ad- 2. Theſ. 2.
uerſus omnem qui dicitur deus aut numẽ. Ideo quoque ido-
la colere aſpernabitur, quos dici deos ſignificauit: porro per
hoc quod addit Omne numen, etiam Chriſtianiſmum ſigni-
ficat: & ſeipſum ſolum conabitur oſtendere deum. Vbi per
hęc cognoſcẽdos dedit domini prophetas & apoſtolos, ſub-
iungit: Vos autem quum ex deo ſitis filioli, deuiciſtis eos,
nempe pſeudoprophetas. Quomodo? Quoniam deus qui B
in vobis eſt, maior eſt quàm is qui in mundo eſt, iuxta quem
pſeudoprophetæ viuere elegerunt. Deinde his ſubiungit &
aliud indicium ipſorum pſeudoprophetarum, quod etiam
maximè contriſtabat ſimpliciores credentes. Veriſimile e-
nim erat quoſdam horum ægrè ferre, dum illos quidem vi-
derent à multis haberi in pretio, ſeſe autem deſpici, & ait:
Ne mœrore afficiamini ſi vos à multis contemnimini, illi
vero ab his aſſumuntur. Simile namque accurrit ad ſibi ſi-
mile. *Ipſi de mundo ſunt, & ideo de mundo loquuntur.* Ipſi de
mundo ſunt, & quum de mundo loquantur, hoc eſt iuxta
carnales concupiſcentias doceant, habent ipſos obſequen-
tes, peruerſi peruerſos. Nos autem quum ex deo ſimus & C
à carnalibus concupiſcentiis alienati, non poſſumus ab ip-
ſis recipi. Nos autem audit ille qui temperanter viuit, &
ita deum nouit, paratus præbere nobis auditum. Ideo &
Chriſtus ait: Qui habet aures ad audiendum audiat: teſti- Matt. 13.
ficans eum ſolum qui ad obedientiam præparatus eſt habe-
re aures. His diſtinctis conſequenter ſubiungit tanquam ſi-
gillum eorum quæ iam à ſe dicta ſunt, quod per hoc (nem-
pe quod iam dictum eſt) cognoſcimus eos qui ſpiritum ve-
ritatis ſiue veram propheticam dignitatem habent, & qui
ſpiritum erroris ſiue falſæ prophetiæ.

CAPVT V.

De fraterna charitate ad diuinum cultum.

D Hariſsimi,diligamus nos inuicem,quia charitas ex deo eſt: & omnis qui diligit, ex deo natus eſt,& cognoſcit deum. Qui non diligit,non nouit deum: quoniam deus charitas eſt. Per hoc apparuit charitas dei in nobis, quòd filium ſuum unigenitum miſerit deus in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc eſt charitas, non quòd nos dilexerimus deum, ſed quòd ipſe dilexerit nos, & miſerit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.

E Chariſsimi, ſi ſic deus dilexit nos, & nos debemus inuicem diligere.

Rurſum poſt prædicta ſermonem de dilectione reſumit. Quum enim oſtendiſſet quem oporteat diligere, nempe ꝙ moribus conformes, hæret his quæ initio dicta ſunt, dicens & dilectionem & eum qui diligit ex deo eſſe, ſolumque eum qui diligit ex deo natum eſſe ac deum cognoſcere: eum vero qui charitatem non habet, deum etiam ignorare, contrariis contraria confirmans. Quomodo autem deum non nouerit is qui non diligit, hoc modo probat: deus charitas eſt, & vnde hoc manifeſtum fiet? ex eo quod miſerit filium ſuum vnigenitum in mundum, vt veram vitam nobis tribueret, &

F viueremus per ipſum. Quemadmodum enim bonitas dicitur, eo ꝙ propter bonitatem, intellectualem ac ſenſibilē mūdum produxerit, vt is qui verè eſt aliquos haberet ſui participes: ita quoque propter dilectionem qua pro nobis dedit vnigenitum ſuum in mundum, oſtendit etiam per hoc quod charitas ſit. Ideo & ipſe ſubiungit: *In hoc eſt charitas.* Hoc eſt, in hoc oſtenditur quod deus ſit charitas. Deinde extollens bonitatem charitatis dei, ait: Non quod nos dilexerimus ipſum hoc fecit deus, dans filium ſuum pro nobis, quaſi dilectis debuiſſet, vt diligētibus rependeret æqualem affectum: ſed per charitatem prior auſpicās beneficiū erga nos, miſit filium ſuum: nec ſolum miſit, verumetiam pro peccatis noſtris proprio illius ſanguine placatꝰ eſt. Si ſic ergo dilexit nos deus, inquit, quāquā in natura nihil nobis cōmune eſſet cū illo, multo magis debemus & nos diligere eos qui eiuſdē

nobiſcum

nobiscũ sunt naturæ: & cognito bono quod à charitate procedit, inuicem illud administrare. Quemadmodũ enim culpa est illi qui non eligit quod eligendum est, nec amat quod amabile est: ita & laudi datur iis qui diligũt dignos dilectione, eo quòd chari sint. Ita autem affecti, vtrũq; habemus: & ἀγαπητοὶ, id est chari sumus, eo quod à deo amati & assumpti simus, & ἀγαπητικοὶ, hoc est amore prosequentes per dilectionem erga proximos. Dilectionẽ inquam synceram ac puram, non autem affectibus obnoxiam ac sordidam, quę sicariis aliisque facinorosis contingere potest. A

Deum nemo uidit unquam. Si diligamus nos inuicem, deus in nobis manet, & charitas eius est perfecta in nobis. Ex hoc cognoscimus in eo nos manere, & ipsum in nobis, quòd de spiritu suo dederit nobis. Et nos uidimus & testamur, quòd p[ater] miserit filium suum saluatorem mundi. B

Diximus etiã antehac quòd huic beato viro moris sit eadem de eisdem repetere, ac habitum eorum quæ dicuntur velle infigere iis qui docent, & sermonem ducere ad id quod clarius ac perfectius est. Alio enim & alio modo aggrediẽdo ab his quæ in re cõspiciuntur, & veluti cõplens quod in sermone deest, perfectissimã facit demõstrationẽ eorum quę dicuntur. Iuxta hanc institutionẽ etiam nunc sermone vtens, ait: *Deum nemo uidit unquam.* Quoniam enim sermonem faciens de charitate erga fratres, deum in exemplum produxerat, qui filium suum vnigenitum dedit in mortem, propter charitatem quam erga nos habuit: consequens autem erat, vt aliquis diceret: Et vnde aut quomodo hoc dicis de rebus inuisibilibus & incomprehensibilibus? & tua apud nos confirmas his quæ nunquam aliquis cognouit? Occurrens igitur his qui ita dicerent, ait & ipse: Quòd deum sanè nemo vnquam viderit, & ego quoque assero: sed ex dilectione erga nos mutuò, cognoscimus quod deus in nobis sit. Et rectè hoc dicit. Multa nãque ex his quę nobis inuisibilia sunt, ex actionibus esse deprehendimus. Certè quemadmodum neque animam quispiam vidit, sed tamen ex actionibus & motionibus in nobis esse deprehendit: ita & dilectionem dei erga nos, veluti per quandam motionem ac operationem C

D cognoscimus. Quòd si hoc absurdum non est, neque iste vir præter decorũ ex operatione deum quoq; in nobis esse ostēdit. Et quę est operatio? Pura ac syncera dilectio erga proximum. Hæc enim efficax est & nullum habens defectũ, quādo videlicet pura est. Hoc indiciũ est & nos in ipso & ipsum in nobis manere, quòd etiã de spiritu suo dederit nobis. Nam qui purus est, pura & ab omni sorde immaculata nobis largit. Quoniam ergo per puram dilectionem cum eo communicamus, ex hoc etiam nos inquit qui secundum carnem eum vidimus, cognouimus eum, & testificamur quòd pater miserit eum saluatorem mũdi. Sed præter nostram quoque notitiam ipse etiam nos instruxit, perfectius in hanc cognitionem nos
Iohā.16.3 inducens, quando dicit: Exiui à patre, & veni in mundum.
E Hoc quãtum ad id attinet, quòd filium suum vnigenitum ob nostri dilectionē demiserit in mundum. Rursum ex aliis manifestius. Adeo enim, inquit, Deus dilexit mũdum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat. &: Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluum faciam mũdum. Habemus igitur & à nostro ipsorum aspectu, inquit, & à doctrina vnigeniti qui est in sinu patris, velut in Euan-
Iohan.1. geliis dictum est, & ab operatione per mutuam dilectionem, quòd deus in nobis sit, & de spiritu suo dederit nobis, & cum eo participemus.

Quisquis confeßus fuerit quòd Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo. Et nos cognonimus
F *& credidimus charitatem quam habet deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet & deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscũ, ut fiduciam habeamus in die iudicij, quòd sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc.*

Hoc ad id quod paulò ante dictũ est, refertur: puta, quòd omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex deo est. Quoniam enim sufficienter demonstrauit, quòd & filij sint dei, & deus in ipsis maneat: demonstrauit autem hoc per mutuam charitatem, quæ confirmat datum esse ipsis spiritum sanctũ siue spiritualia dona: rursum ad illa refert sermonē, & ait: *Quisquis confessus fuerit quòd Iesus est filius*

lius dei, deus in eo manet. Huiusmodi aliquid dicens: Dixi in A
superioribus, Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum
in carne venisse, ex deo est, porro ĩ ꝓgressu aliud mihi quid-
dam manifestauit sermo, & hoc ergo proponam: quòd qui
hæc confitentur, etiam manentem in seipsis habẽt spiritum,
siue deum & huius dona spiritualia, & ipsi in deo manent.
Et hoc non temerè dicimus, sed firma cognitione & fide per
mutuam charitatem. Facta autem charitatis mentione, refert
quoque omnia quæ de charitate dixit, magnam fidem tri-
buens sermoni qui est de charitate, *In hoc perfecta est chari-
tas.* Vult, inquit, nos perfectos esse in charitate, vt fiduciam
habeamus in die iudicij, erga eum videlicet qui incarnatus
est: quoniam & ipse iudex erit, iuxta ipsius sententiam qua B
ait: Pater neminem iudicat, sed omne iudicium dedit filio. *Iohan.5.*
Et quòd erga eum qui incarnat⁹ est futura sit nobis fiducia,
significauit per ea quæ in sequẽtibus dixit, quòd sicut ille est
& nos sumus in hoc mundo, id dicens: Quum antea osten-
sum sit Deum in nobis, & nos in deo esse, perfectionem in-
quit charitatis nobisipsis attestamur. Quemadmodum ergo
ille in mundo irreprehensibilis erat ac purus, ideo quoque
dicebat: Venit princeps mũdi huius, & in me nihil inueniet: *Iohan.14.*
ita & nos, inquit, erimus in mundo. Nam Est & Sumus per
ἀντιχρονίαν ponuntur (qua tẽpus vnũ sumitur pro alio tem-
pore) veluti scripturæ moris est. Aut profundius aliquid per
hoc significat. Dixit enim frequenter quod deus sit in nobis
& nos in deo. Si hoc igitur est, ille autem sanctè in nobis est, C
hoc est sanctitatis dux & princeps: ita & nos ipsum refera-
mus in hoc mundo sanctè ac purè, mortui mundo, semper ip
sius mortificationem in corpore circumferentes. Porrò ita,
inquit, vitam degentes, & fiduciã habebimus erga ipsum, & *2.Cor.4.*
absque timore tunc erimus. Siquidem perfecti in charitate
per bona opera procul erimus à timore. Et huius confirma-
tionem subiungit, nempe quòd perfecta charitas foras eiicit
timorem. Quem autem timorem? Ipse dicit quòd supplicij
metum: contingit enim aliquem diligere propter metum, ne
puniatur: verum hic metus non est perfectus, id est, non est
perfectæ charitatis. His de perfecta charitate dictis, conuin-
cit omnino quòd debeamus deum diligere, quoniam ipse
prior, inquit, dilexit nos. Debemus autem, quum ille nobis
prior

D prior fuerit boni initium, studiosius & nos eniti ad repẽsionẽ, quemadmodũ superius à nobis latius dictũ est. Quæsiuerunt autem nonnulli quomodo, quum Dauid dicat, Timete dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum, hic nunc dicit, Perfecta charitas foras eiicit timorem? An non ergo sancti dei perfecti sunt in charitate, quibus iubetur vt timeant? Et dicimus duplicem esse timorem: alter quidem initialis est, qui & comitem adfert cruciatum, propter mala à se perpetrata: timẽte eo qui ad deum accedit, & propterea accedente ne puniatur, & hic quidem initialis est. Porrò perfectus, tali timore liberatus est, ideoque sanctus dicitur, & permanens in seculum seculi: nam timor domini sanctus, inquit permanet in seculum seculi: quum initialis neque sanctus sit neq; permaneat, sed in perfecta charitate esse definat. Quis igitur & propter quid dicitur perfectus timor? Qui eò quòd perfectè in charitatem assumptus sit, conatur ac veretur ne quid sibi desit eorum quæ decet illos operari erga dilectum, qui vehementer diligunt.

Psal.33.

Psal.18.

E

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras eiicit timorem: quoniam timor cruciatum habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos diligamus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit, Diligo deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim nõ diligit fratrẽ suum quem uidit, deum quem non uidit quomodo potest diligere? Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit deum, diligat & fratrem suum.

F

Qui ingenuè deum diligit, non propter suppliciorum minas, facit quæ illi grata sunt, sed ob vehementẽ virtutis amorem & charitatem erga deum: non tamen seipsum tutũ existimat ob generosum timorẽ, qui est amor honesti. Aut rursum is qui timore incidendi in cruciatum aliquid facit, idem est * cum priore: ideo subiungit, Timor cruciatum habet.

Si quis dixerit, Diligo deum. Vbi cogẽtibus rationibus ostẽdit charitatem, & à deo ad nos, & à nobis ad deũ traducere, idque rursum addidit, quòd si ita dilexit nos deus, & nos debemus

* cũ priore nempe initiali, de quo priore

bemus inuicem diligere: nunc iterum sermonem ad hoc referens ait, quia ex debito nobis positum est, vt fratrem diligamus ab exẽplo dilectionis dei erga nos, quam etiam deo referentes ac retribuẽtes, debitum explebimus: oportet, inquit, eximiè fratrem diligere, ad perfectissimum signũ charitatis erga deũ. Nam si hoc non sit, neq; charitas nostra erga deũ seruaretur, vtpote debito quod erga nos inuicem est intercidẽte. quod ex charitate ad deũ cõtraxim⁹. *Qui enim nõ diligit fratrẽ.* Subiũgit autẽ huic efficacissimũ quoq; sermonẽ ad cõuincẽdũ eos, qui diuinã charitatẽ corrũpere conãt, tale quippiã dicẽs: Dilectio siue charitas coit, ac formaẽ omnino ex mutua cõuersatione: cõuersatio autẽ comitẽ habet fratris aspectũ, & ex hoc maximè colligat ad illi⁹ dilectionẽ. Siquidẽ attractiu⁹ est aspect⁹ ad dilectionẽ. Quòd si hoc verũ est, qui id quod forti⁹ attrahit ad dilectionẽ nihili facit, & fratrẽ quẽ vidit nõ diligit: si deũ quẽ nõ vidit dicat se diligere, qui neq; cũ eo cõuersat⁹ est, neq; vllo sẽsu capi potest, quõ verax esse deprehẽdet? Si quis igit impudẽter dicat se deũ quidẽ diligere, fratrẽ verò odio habere, nõne his nõ solum diuinam corrumpit charitatem, sed & præcepti eius transgressor inuenitur? Cuius? Eius quo dicit, Per hoc cognoscent omnes quòd mei sitis discipuli, si charitatẽ habueritis inter vos mutuam. Qui ergo deum diligit, & huius discipulum se esse asserit, diligat & fratrem suum iuxta illius præceptum.

A re scholio. Alioqui uidetur hic cõmentarius mendosus esse, aut mutilus.

B

Iohan. 13.

CAPVT VI. *Theologia de filio qui est in gloria patris, & de uictoria aduersus malignum per fidem Iesu Christi ad uitam.*

C

CAP. V



Omnis qui credit Iesum esse Christum, ex deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex illo. Per hoc cognoscimus quòd diligamus filios dei, quum deum diligimus, & præcepta eius seruamus. Hæc est enim charitas dei, ut præcepta eius seruemus: & præcepta eius grauia nõ sunt. Quoniam omne quod natum est ex deo, uincit mundum, & hæc est uictoria quæ uincit mundũ fides nostra. Quis est qui uincit mũdum, nisi qui credit quòd Iesus est filius dei?

His

D His dictis rursus aliisquoque sermoné confirmat,ita quodammodo roborans: Si pręceptum à magistro accepimus de nobis mutuo diligédis, vtique si credimus quòd magister ac præceptor noster Iesus sit Christus, qui eo Christus est quo deus & homo est: seruabimus etiam præcepta eius tanquam magistri & tanquã dei. Porrò credentes ipsum esse deũ, filij eius appellamur: quemadmodum etiam in euangeliis dictũ

Iohan.1 est: Quotquot autem acceperunt eum,hoc est quotquot crediderunt in eum,dedit eis potestaté vt filij dei fierent. Si verò ex ipso nati sumus, vtique etiam præstabimus quod decés est ei qui nos genuit. Quid nam hoc est? vt eum diligamus, qui nos genuit,quum hoc filiorum naturam subsequatur, vt patres diligant. Quoniam autem hoc ita est,vniuersi qui cre-

E didimus ex eodem nati sumus: quòd si ex eodem nati sum⁹, debitores etiam ex eo sumus, vt nos inuicem diligamus: & quia fratres,& quia ex eodem nati. Et huius persuasionem subiicit: quòd qui diligit eum qui genuit, diligit etiam eum qui ex ipso genitus est. Deinde sermonis conuersione vtitur, & ait quòd dilectio erga fratres siue filios dei, confirmat dilectionem erga eum qui genuit. In superioribus nanque dixit: Qui deum diligit,is & fratrem diligit: nunc autem sermone inuerso dicit quòd is qui filios dei diligit,etiam deum diligit: ac signũ dilectionis dei ponit dilectionem erga fratrem. Deinde dilectionem in deum,ait quoque efficere pręceptorum ipsius obseruationem: rectè hoc dicens: nam qui

F me diligit (ait ipse Saluator) præcepta mea seruat. *Hæc est*

Iohan.14 *enim charitas dei.* Per hyperbaton intelligendũ est quod proponitur,hoc modo. Hæc est enim charitas dei vt præcepta eius seruemus,quoniam omne quod natum est ex deo vincit mundum. Porrò Grauia non sunt,interiectum est. *Et præce-*

Matth.14 *pta eius grauia non sunt.* Non sicut dixit Christus, Iugũ meũ leue est,sic & ipse,quòd præcepta leuia sunt, sed quòd grauia non sunt dixit. Apud eum nanque qui ad virtutem adducitur,etiam quæ leuia sint admodum grauia reputãtur: quémadmodum apud eum qui robur ac sanitatem perdidit quę omnia bona efficit,etiam quę admodum leuia sunt,grauia videntur. Siquidem quia videbantur quibusdam præcepta dei esse grauia,vtpote quæ dei essent, propterea dicit quòd pręcepta eius grauia non sunt. Quid enim grauitatis habet dili-

gere

gere fratrem? Præterea quid grauitatis habet visitare eū qui A
in carcere est? neque enim liberare iubet eum qui est in carcere, quod difficile esset, sed tantum visitare: neque eum qui ægrotat liberare ab ęgritudine, sed tantum visitare, neque esurienti mensám opiparam iubet apponere, neque nudo suppeditare vestimentum superflua variegatione præparatum: sed quæ necessariū vsum tribuant, quem is qui esurit aut nudus est, requirit. Postquam de his ita ordinauit, addit his quę iam dicta sunt & aliud quod ad exhibitionem charitatis inducit. Quidnam illud est? victoria. ait enim: Vos qui dilectione erga proximum vosipsos dei filios constituistis, iam & hoc habetis quod comitatur illud factum egregium, nempe vt mundum vincatis: quoniam id quod natum est ex deo vincit mundum. deinde addit & victoriam, & quid sit causa B
victoriæ, ac vtrunque fidei conuenire dicit, ei videlicet quæ est erga deum, quæ etiam ex deo nata, vicit & abegit omnē incredulitatem: & neque Iudæus neque Græcus neq; Hæreticus potest quicquam aduersus illam. Et quoniā fides non nuda vincit, sed vnà cum eo qui ipsam habet, propterea addit: *Et quis est, qui uincit mundum, nisi qui credit quòd Iesus est filius dei.* Quis est autem iste Iesus? Qui per aquam & sanguinem venit Iesus Christus.

Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus: non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem. Et spiritus est qui testificatur, quoniam spiritus est ueritas. Quoniam tres sunt qui testificātur, spi- C
ritus, aqua, & sanguis: & hi tres ad unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est: quoniam hoc est testimonium dei, quod testificatus est de filio suo. Qui credit in filium dei, habet testimonium in seipso. Qui non credit deo, mendacem fecit ipsum, quia non credit in testimonium quod testificatus est deus de filio suo. Et hoc est testimonium quòd uitam æternam dedit nobis deus: & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium dei,

D *dei, uitam non habet.*

Quoniam & propagationis filiorum meminerat, dicens: Omne quod natum est ex deo: hæc autem per sacrum baptisma nobis contingunt, propterea dicit: *Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus* Et cuius gratia venit? vt nos regeneret, ac filios dei efficiat. nam & hoc tanquam sermonem consequens subintelligitur, vt sit hic sensus: Et omne quod natum est ex deo vincit mundum. Quomodo autẽ natum est? per aquam, inquit, & sanguinẽ. Siquidem Iesus Christus qui venit, per aquam regenerat & sanguinem. Addit autem rursum repetendo sermonem, dicens: Non per aquam solum, videlicet regenerans, sed per aquam & sanguinẽ Vult

E enim primum designationem ostendere Christi, qui nos adoptauit: quoniam homo qui in ipso erat, primus à deo adoptatus, nobis quoque per suam adoptionem dedit huiusmodi dignitatem. quod etiam tribus temporibus demonstratum est: nempe in baptismo in Iordane, quum pater supernè testificaretur eum qui baptizabatur suum esse filiũ dilectum. Mat. 3

Quis autem ille erat? is ne qui ingressus est aquam, an homo qui vnà cum deo verbo assumptus est? is certe, qui in occulto apparebat, nam huic opus erat testimonio. Per aquam ergo, hoc est in baptismate quod fit per aquam, demonstratus est filius dei esse Iesus per testimonium patris. Per sanguinẽ

Iohan. 12 vero, quando crucifigendus dicebat, Glorifica me tu pater,

F & delata est vox: Et glorificaui & rursum glorificabo: quam etiam tonitruum esse existimabant hi qui audiuerant. Per spiritum autem, quando tanquam deus surrexit ex mortuis. Nã soli deo hoc relinquitur, vt seipsum suscitet. Porrò dictione

Iohan. 4 Spiritus, significatur deus: quandoquidẽ & spiritus est deus. Quoniam igitur tribus testificantibus Iesu adoptionem, nẽpe baptismo, passione & resurrectione, nihil ambiguitatis habet domini adoptio: per quam adoptionem nobis quoque, vt qui esset primitiæ totius humanæ massæ, donauit vt filij dei essemus. Et hæc tria in vnum Christum sunt: nam hoc significat dicens, *Hi tres ad unum sunt,* hoc est ad testimonium de Christo. Sciendum est autem, quòd nonnulli patrum Spiritum, non propter resurrectionem acceperunt, sed patrẽ ipsum quando in Iordane clamauit, Hic est filius meus dilectus:

ctus: propterea quòd & deus dicitur spiritus, vt prædixim⁹. A
His dictis persuasionem eorum quæ dicuntur, à minori subiungit, ita dicens: Si testimonium hominum de vulgari quauis re accipimus, nónne multo iustius accipere debemus testimonium à deo, qui maior est? Etenim an non hoc testimonium de filio suo siue Christo à deo est? Qui igitur credit in filium dei, quòd deus sit tanquam dei filius, habet testimonium in ipso, hoc est in seipso, credens ꝙ & ipse adoptatus sit à deo per Iesum adoptatum. Qui vero non credit, duobus malis obnoxius est, puta incredulitatis, mendacem faciens deum: ac præterea seipsum priuans adoptione, ac per hoc æterna quoque vita, quam promisit Christus his qui à se adoptati essent: quam & ipse in se habet sicut in euangelio scriptum est: In ipso vita erat. B Iohan.1 Itaque qui habet filium per sacrũ baptisma, habet & vitam. Quotquot enim in Christum baptizati sumus, Rom.6 hoc est iuxta ipsius præceptum, Christum induimus. Galat.3 Quisquis autem non habet filium dei per baptismum neque vitam habet, sed mortuus est. Siquidem accipiens nos peccatis mortuos, excitat per sacrum baptisma. Quomodo? Sicut frequenter dictum est, quòd consepultus Christo per demersionem quæ fit in baptismo, mortuus sit Christo, siue mundanis concupiscentiis, & iam non sibiipsi sed Christo viuat, iuxta precepta illius in nouitate vitæ ambulans: neque post hac peccato dans clancularium ingressum. Colo.2

Hæc scripsi uobis qui creditis in nomen filij dei: ut sciatis quòd uitam habetis æternam, & ut credatis in nomen filij dei. C *Et hæc est fiducia quam habemus apud deum, quòd si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Et si scimus quòd audit nos quicquid petierimus, scimus quòd habemus petitiones quas postulauimus ab eo.*

Tanquam in epilogo summatim prædicta repetit, & ait: Scripsi vobis hæc tanquam hæredibus vitæ æternæ: nequaquam enim hæc scriberentur his qui non viuerent secũdum spem vitæ æterne: Matth.7 quia neq; sancta dare canibus, neq; margaritas spargere corã porcis; laudẽ promereretur. Tanquam hæredib⁹ ergo vitæ æternæ hæc scribens, repetit breuib⁹ vt diximus,

D diximus, suggerens illis quæ iam dicta sunt. Primum quòd firmiter credere oporteat in nomen filij dei, hoc est in traditum nobis ab illo diuinum cultum: Nam hoc significare vult nomen filij dei, sicuti diximus, cui videlicet viam parat ipsa sacri baptismatis gratia. Deinde quòd huius indubitatæ fidei nullum sit aliud signum, nisi fiducia, quam per irreprehensibilem fidem reperimus apud ipsum, sicut etiam in superioribus diximus. Rursumque signum huius fiduciæ posuit, non frustrari in omnibus quæ à nobis postulantur. Sed quoniam nō omnes omnia postulata assequuntur, neq; semper exaudiuntur in his quæ petunt, addit, Secundum voluntatem eius: manifestans videlicet quòd petens præter volun-
E tatem magistri, non sit exaudiendus, conformiter ad beatum
Iacobi.4 Iacobum: quādoquidem & ille, Petitis, inquit, & non accipitis, eo quod male petatis, hoc est prout vobis non expedit. Conuertens autem huiusmodi signum in manifestius indicium ait: Et si scimus quòd audit nos in omni eo quod petierimus, scimus quòd habemus petitiones, quas postulauimus ab eo: tale quippiam dicens: Si secundum voluntatem eius petimus audit nos: & si audit nos in omni eo quod petimus, scimus quòd secundum voluntatem eius facimus petitiones nostras, & habemus in nobisipsis petitiones, quas postulaui-
Matth.6 mus. hæc autem sunt regnum & iustitia ipsius: quæ etiam ipse præcepit nobis petere. His dictis manifestè etiā aliquid proponit eorum quæ vult nos petere iuxta dei voluntatem. Quoniam enim tota propemodū epistola multus est in extol-
F lendo charitatem erga fratrem, & asserendo deum hoc velle, vt dilectionem erga fratrem incorruptam seruemus: hanc nunc dicit esse vnam voluntatum ipsius, vt siquis viderit fratrem suum peccare non ad mortē, petat & dabit ipsi. Et quid dabit? vitam æternā. Quibus? his qui peccant nō ad mortē.

CAPVT VII.

De subueniēdo fratri peccanti per orationem, & quòd non sit peccandum: in quo etiam agit de abstinentia à cultu dæmonum.



I quis uiderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, & dabit ipsi uitam peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget. Omnis

get. Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum nō ad mortem. Scimus quòd omnis qui natus est ex deo non peccat, sed qui genitus est ex deo seruat seipsum, & malus ille non tangit eum. Scimus quòd ex deo sumus, & mundus totus in maligno constitutus est. Scimus autem q; filius dei uenit. & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illū qui uerus est: & sumus in uero in filio eius Iesu Christo. Hic est uerus deus & uita æterna. Filioli cauete uobis à simulacris, Amen. A

Si quis uiderit fratrem suum peccare. Hæc vnà voluntatum est. Iustitiæ enim est condolere fratri qui peccauit, & ad salutem auxilio esse. *Est peccatum ad mortem.* Ordo sit iste: Est peccatum ad mortem, & est peccatum non ad mortem. Non de eo quod est ad mortem dico vt roget, sed de eo quod non est ad mortem. Deinde sermonem explanat distinctionem faciens peccati quod est ad mortem, & eius quod non est ad mortem. Simpliciter enim tanquam à genere peccati facit diuisionem, & ait: Omnis iniquitas peccatum est: hoc est, siue sit ad mortem, siue non ad mortem. Sed pro eo quod est ad mortem ne precetur siue petat, neque enim exaudietur, eo quod male petat, pro eo rogans qui nullam ostendit conuersionem. Nam solum hoc peccatum ad mortem est, quod ad pœnitentiam non respicit: quo quum ægrotasset Iudas, in sempiternam mortem abductus est. Sed & illi peccant ad mortem qui iniuriarum sunt memores. Nam viæ eorum qui memores sunt iniuriarum tendunt ad mortem, ait Salomon. Neque hi enim respiciendo conuertuntur, iniuriæ memoriam retinentes, & seruantes iram aduersus proximum, sed sine pœnitentia peccant. His declaratis, consequenter etiam significat quorum sit peccare peccato ad mortē: & ait quòd qui à deo adoptatus est, hic nunquam languet, neque peccato ad mortem, neque eo quod non est ad mortem. Vbi enim sese tradidit semel inhabitanti in se per adoptionē Christo, inaccessibilis permanet peccato. Attamen ne quis existimet quòd huiusmodi penitus naturā mutauerit, vt qui à peccato posthac capi nequeat, subiungit: Seruat seipsum: quasi B C

D dicat, Nisi seruaret ac custodiret seipsum à maligno, omnino peccaturus. Non ergo natura ad impeccabilitatem procedit, sed ex dei magnificentia, qui eo quòd nos adoptauerit, tali dignatus est gratia: vt seruantes nos & custodientes, quod ab ipso donatum est, etiam habeamus ne peccemus. Quandoquidem nisi ita esset, quum mundus in maligno cõstitutus sit (dicit autem mundum eos qui bonis operibus non tradiderunt seipsos in adoptionem dei) nihil vetaret, quo minus vnà cum his qui pereunt examinaremur: eo quòd mens hominis assidue prona sit ad malum ab ineunte ætate: quẽadmodum tempore diluuij manifestauit deus. Sed quoniam, inquit, filius dei venit ac dedit nobis mentem siue iudicium, quo interna cognitione cognoscamus ipsum verum deum, ac
Gene. 8.
E simus in vero filio eius Iesu Christo: cognouimus per hanc magnificentiam quòd hic sit verus deus & vita æterna, & cognoscentes tuti sumus ab impetu maligni eiusque offendiculis. *Hic est uerus deus.* Hoc etiam loco demonstratiuum Hic, pro articulo relatiuo ponitur. *Cauete uobis à simulacris.* Interrogarunt nonnulli: Si ad perfectos hæc scribit, quam ob caussam nunc iubet, vt sibi caueant ab idolis? Dicimus ergo, quòd quia vniuersæ ecclesiæ hæc scripsit, quæ non tota cõstabat ex populo selecto, sed erant etiam aliqui in ipsa qui segnioribus afficerentur. his ergo præcipit omnia, respiciens ad eorum lubricitatem.

F FINIS, DIVINO FAVENTE AVXIlio primæ Iohannis epistolæ catholicæ.

ARGVMENTVM SECVNDAE Iohannis epistolæ catholicæ.

HAnc tanquam senior scribit dominę & filiis ipsi*. Occasio vero epistolæ fuit hęc. Quum videret filios illius rectè in fide conuersari, multosque seductores circuire ac dicere nõ esse aduentũ Christi in carne, scribit epistolam, ac primum quidem commẽdat ipsius filios quòd rectè ambulent. Deinde docens non esse recens mysterium, quod apud nos est, rursum de dilectione exhortatur, & vt maneant in doctrina sibi tradita, & consequenter

quẽter docet eum esse Antichristum qui ait Christum in car A
ne nõ venisse. Præcipit autẽ ne quis suscipiat huiusmodi in
domum, neque dicat ipsis Aue: & ita concludit epistolam.

Secunda Iohannis epistola catholica.



Resbyter Electæ dominæ & filiis eius, quos ego diligo in ueritate: & non ego solus, sed B
& omnes qui cognouerunt ueritatem: propter ueritatẽ quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum. erit nobiscũ gratia, misericordia, pax à deo patre, & à domino Iesu Christo filio patris in ueritate & charitate.

Quidam existimarunt hanc epistolam & eam quæ sequitur nõ esse Iohannis dilecti, sed alterius qui idem nomẽ cum hoc sortitus erat: eo ꝙ in his & presbyterũ scribat seipsum, & ad mulierem, aliumque Gaium, & eum vnicum sicut & v- C
nam mulierem scribat: quod nõ fit in epistola catholica. Pręterea quòd præscriptionem non fecerit iuxta priorem epistolam: non enim in illa ita inchoauit. Sed dicimus quòd in priore nõ ita præscripserit, eo ꝙ non ad definitam personam scriberet, neque ad ecclesiam certorum locorum: quemadmodum fecit beatus Petrus, definitè significãs se scribere ad Iudæos qui dispersi erant: & ante hunc diuus Iacobus definiens se scribere duodecim tribubus Iudæorũ: sed vniuersis cõmuniter fidelibus sermonem faciens, siue cõgregatis, siue non congregatis, formam præscriptionis prætermisit. Presbyterum autẽ scribit hic seipsum, & nõ Apostolum neq; seruum Iesu Christi, quemadmodum reliqui Apostoli. Siquidẽ

D Apostolum non scribit se, eo fortassis quòd non primus in Asia prædicasset euangelium, sed post Paulum: neq; in transitu sicut ille, qui percurrebat euangelij circuitum: sed manens ibi, & præsens præsentibus exponebat sermonem. Sed neque seruũ Iesu Christi: confidebat enim, eo ꝙ plurimum diligeretur, se extra seruitutis esse timorem. Solum autẽ voluit se appellare presbyterũ: siue quòd iam senior esset dum has scriberet (nam id significat Presbyter) aut etiam episcopum vocans seipsum nomine presbyteri, quum illo tempore nomẽ Presbyter solitũ esset etiã de episcopis dici: quẽadmodum & ex Actis manifestũ est quæ scripsit beatus Lucas, &
Acto. 20 ex epistola Petri. Porrò ad mulierem fidelẽ nihil veritus est
1. Pet. 5 scribere: eo ꝙ in Christo Iesu neq; masculum nouerit neq;
E fœminã. Ad vnum autẽ scribens Gaium, habet Paulũ qui & Tito scripsit & Timotheo, imò etiam Philemoni idiotæ. Et hæc quidem de præscriptione. Ostenditur autem & à denũtiatione ac promissione, & à reliqua sermonis dispositione, ꝙ germanæ sint eius epistolæ: quãdoquidem in his quoq; frequenter sermonem repetit, eadem dicens de eisdem vbi modica occurrit occasio, & hac via sermonem confirmat. Porrò huic Electæ duo protestatur: vnũ quidem ꝙ ambulet in veritate, alterũ vero ꝙ fugiat hæreticos. Electã vero appellat, aut ex nomine, aut ex magna æmulatione circa virtutem: quam etiam ait se in veritate diligere: nec solam ipsam, sed & omnes qui similiũ cum ipsa sunt morum, qui verè habẽt in seipsis firmam veritatẽ. nam hoc significat dicens, Quæ per-
F manet in nobis: hæc autem est fides in Christum. In veritate etiã ait se diligere. Contingit enim & fictè diligere ore: quemadmodum hic ipse in priore epistola de quibusdam si-
1. Ioh. 3 gnificauit corruptis fidelibus. Vbi autem dixit, Quæ permanet in nobis, hoc est quæ vera ac firma est, subiunxit: *Et nobiscum erit in æternum.* significans certam doni perseuerantiam. Cõtingit enim & eos qui in aliquo confirmati sunt rursum concuti, quòd non rectè vsi sint confirmatione. Iterum autem post hæc subiungit: *Erit nobiscum gratia & misericordia:* designans quæ à perfecta charitate exoriantur bona. A deo autem patre dicẽs, & à domino Iesu Christo, subiungit,

Filio patris: Nam solus hic propriè pater est. Ideo & Pau-
Ephe. 3 lus, A quo, inquit, omnis à communi patre cognatio in cœlo

& in

& in terra nominatur, Rursúmque subiungit: *In ueritate & charitate.* sermoni firmitatem adducens, & certum indicium charitatis siue dilectionis quam dicit. A

CAPVT I.

In quo post procemium agit de recta uita in charitate dei, per fidem immutabilis pietatis: & quòd non oporteat hæreticum in domũ inducere aut salutare propter peccatum.



Auisus sum ualde quòd inuenerim de filiis tuis ambulantes in ueritate sicut præceptũ acccepimus à patre. Et nũc rogo te domina, non tanquam præceptum nouum scribẽs tibi: sed quod habuimus ab initio, ut diligamus nos mutuo. Et hæc est dilectio, ut ambulemus secundum præceptum eius. Hoc est præceptum quemadmodum audistis ab initio, ut in eo ambuletis: quoniam multi seductores ingressi sunt in mundum, qui nõ confitentur Iesum Christum uenire in carne. B

Gauisus sum ualde. Nam maximi certe causa gaudij est, inuenire aliquẽ qui sine offẽdiculo gradiatur recto cursu in fide Christi iuxta illius præceptũ. Quod est autẽ præceptũ? Illud quo ait in euangeliis Christus: Qui me diligit, præcepta mea seruabit, Patrẽ autem vocat nunc Christum: quãdoquidem & ipse pater est filiorũ qui à patre suo dispẽsatione quàdam sibi dati sunt: iuxta id quod dictum est: Ecce ego & filij quos dedit mihi deus. Animaduerte autem germanam huius epistolæ dictionem, ꝙ in his sit conformis ei quod in priori dictum est: Et scimus ꝙ qui diligit deum præcepta eius obseruat. Idem enim est ambulare iuxta præcepta, & ea seruare. Operantur nanq; virtutes, & esse habent iuxta suam operationẽ. Itaque qui cessat in his progredi, neq; ea seruat aut custodit. Ambulare vero dictum est secundum profectum & augmentum. Etenim quantum quis secundum virtutem operatur, tantũ vlterius graditur, maiorẽ honesti habitũ sibi acquirens. Infinita est enim & nunquam deficiens via virtutis. Iuxta hoc autem opinor & illud esse dictũ: In quæ desiderant angeli prospicere. Tanta est enim magnificentia bono-

Ioha.14 C Iesa.8 Heb.2 1.Ioh.2.3 1.Pet.1.

D rum quæ nobis ab eo qui incarnat⁹ est donata sunt, vt & angelis desiderabile sit, vel modicam horum sumere intelligẽtiam: nã hoc designat παρακύψαι. Cõcupiscit autẽ quispiã, non quod cessat, sed quod cõtinue proficit, & syncera gloria illustratur. Et quoniam id quod inexhauribile est, nemo totum complecti potest, desiderabile est saltem aliquantulum fieri huius participem. Dixit autem. *Non tanquam præceptũ nouum scribens tibi:* & hoc conformiter dicẽs, his quæ in priore epistola præmissa sunt, & simul demonstrans ꝙ illud ostendat ex præcedentibus, quorum & ipsi experimẽtum acceperant operãtes iuxta illa, & non ex difficilibus & extraneis, mœrore ipsos afficiens aggrediendo insueta. *Sed quod habuimus ab initio ut diligamus nos mutuo.* Addit autem & opus

E præcepti, Vt diligamus nos mutuo, & dilectionem exponit, quòd consistat in ambulando iuxta illud. Neque ob aliam caussam iam olim ab initio datum fuit præceptum, inquit, nisi vt in illo ambularetis, per superiora & inferiora eadẽ versans ac reuoluens: & per charitatẽ quidem suadens ipsis inseparabilitatem, & ne ad seductores auellerentur, qui iam in mundo ambulabant, & domini per carnẽ aduẽtum repellebant: per hoc autem ꝙ ambulare monet iuxta domini præceptum quod fuit ab initio, erroneam esse manifestans hæreticorum opinionem, quæ recens est: & exhortans, vt præceptum amplectẽtes, quod fuit ab initio, non abducerentur fraude illorum. Nã & Christus discipulis de his seductorib⁹

Mar. 13 præcepit dicens: Multi venient nomine meo dicentes, Ego

Luc. 21 sum Christus, & multos seducent. ne ergo sequamini illos.

F Hæc itaq; præcepta seruantes, inquit, iubet ne seducamini, sed eum qui ista dicit Antichristum existimetis.

Hic est seductor & Antichristus. Intuemini uosipsos ne perdamus quæ operati sumus, sed ut mercedem plenam recipiamus. Omnis qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi, deum non habet. Qui manet in doctrina Christi, hic & patrem & filium habet. Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam, non adfert, ne recipiatis eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, cõmunicat operibus eius malis:

Hic est

Hic est seductor & Antichristus. Cum his subaudiẽdum est A
ad perfectiorem explanationem, Qui ergo hæc nõ confitetur, vt debite subiungatur, Hic est seductor & Antichristus. Nam absque hoc, incompositus & independens erit sermo, nempe ex plurali transiens ad singulare. Hic est inquit Antichristus & seductor. Dicendo autem, Qui non confitentur Iesum Christum venire in carne, non autem Venisse, manifestat se eos dicere qui secundum domini aduentum repellunt: quandoquidem ipse etiam dominus dicens, Multi venient nomine meo, non de primo dicit aduentu, sed de secũdo. Attamen vera ratione qui secundum reprobant, etiã primum reiiciunt. Nam si is qui in carne venit etiam secundum B
aduentum promisit, vtique qui secundum repellit, primum quoque reiicit: si enim credit aduenisse, etiam promissionem existimabit certam esse illius qui aduenit: quod si promissionẽ spernit, nulla ratione dici potest quod vel primo credat. Propterea opinor vsus est hac voce dilectus discipulus, dicẽdo Venire, non Venisse, vt vtrunque domini in carne aduẽtum negantes cõprehenderet. Præcipit ergo ipsis vt caueãt ab illis: & caussam addit: Ne adhærendo, inquit, illis perdatis ea quæ prius operati estis, sed mercedem vestram plenam absque vllo defectu accipiatis. Sed fortassis dicet quispiam ex talibus: Quid si non credidero Christi in carne aduentũ, in bonis tamen operibus vitã duxero, an non possum per hęc C
opera cum piis ac religiosis connumerari, neque pro his recipere mercedem? Hanc obiectionem primum tollens Apostolus ita ait: Nemo existimet repellens domini in carne aduentum, quód possit aut operibus perfectam assequi retributionem quæ debetur fidelibus, aut omnino dei cultor reputari: sed quisquis transgreditur hoc præceptũ ipsius, Christi videlicet qui aduenit, & non manet in eius doctrina, deũ non habet. Si enim is qui venit vt perfectam de deo cognitionem homines doceret, repulsus videretur: quomodo iam dei cultor esset, qui diuinarum contemplationum interpretem reprobaret. Hic ergo ἄθεος esset, id est sine deo, quemadmodum ediuerso ἔνθεος .i. diuinus & dei amicus, ac omnẽ diuinitatis plenitudinem in seipso habens, patrem videlicet & filium ac spiritum sanctum, qui firmus ac solidus est in doctrina Christi. Ipse enim de patre docet dicens: Omnia quę- Io.16.17.

D cunque habet pater, mea sunt: frequenter quoque & de pa-
tre & de seipso docet, quod ille quidem sit pater, ipse autem
Iohan. 15. filius: de spiritu sancto autem quando ait: Spiritus qui à pa-
Matt. 28. tre procedit. His autem perfectius quum ait: Baptizãtes eos
in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et quanquã de pa-
tre tantum ac filio facta sit hoc loco mentio à domini disci-
pulo, nõ autem de spiritu sancto, ne offendaris. Nam de hoc
solũ cogebat & expetebat sermo vt loqueretur, de patre in-
quam & filio. Et hæc quidem de præsenti loco dicta sint, ne
prolixiores simus. Manet autem in doctrina Christi siue e-
uangelica, qui secundum eam sentit & operatur, contemplã-
E do simul & operando viuens: qui vero ab hac abducit seip-
sum, ἄθεος est. Sicut enim qui perfectam habet conuersatio-
nem, deo seipsum reddit familiarem, quemadmodum Abra-
Gene. 15. ham, iuxta illud quod ab ipso deo audiuit: Ego deus tuus: ita
Exo. 3. qui extra euangelij præceptum viuit, ἄθεος est, abstrahendo
seipsum ne deum habeat. Quum autem hic ἄθεος sit, nempe
qui seipsum alienauit à diuina disciplina: certe qui in ea ma-
net, hic & patrem & filium habet. De huiusmodi enim dixit
Iohan. 14. & filius: Ad eum veniemus, ego videlicet cum patre, & mã-
sionem apud ipsum faciemus. Nam ex præceptorum obser-
1. Cor. 6. uatione seipsum fecit dei templum & habitaculum, ac deum
2. Cor. 6. in se habitantem habet: quũ dupliciter dicatur haberi deus:
F Nam omnes quoque creaturæ dicuntur habere deum, iuxta
Acto. 17. id quod dixit Paulus: In ipso enim viuimus & mouemur ac
sumus hoc autem dictum est iuxta subsistẽtiæ modum. Alio
autem modo per bonam operationem eius qui colit deũ et-
Exo. 3. iam dicitur haberi deus: iuxta quod significatum & deus di-
ctus est deus Abraham & Isaac, & vniuersaliter dei amico-
rum Hebræorum. Et hoc attribuendum est his quæ nunc
dicenda sunt: Qui habet filium, habet & patrem. Nam qui
vidit filium, sicut & ipse filius dicit, vidit & patrem, & rur-
Iohan. 14. sum: Ego in patre & pater in me est, ait idem Saluator: vt et-
iam ex hoc patris ac filij consubstantialitas cognoscatur. Et
si quis dicat ꝙ is qui discipulos excipit, etiam filium ac patrẽ
Matt. 10. habet: Nam ait & de his Saluator: Qui recipit vos, me reci-
pit: qui autem me recipit, recipit eum qui me misit: sciat se
hoc modo male dicere, neque vt oportet intelligere. Quo-
niam hæc de doctrina dicta sunt: quando quidẽ is qui apo-
stolos

ſtolos excepit, admittendo doctrinam ipſorum, per eos excepit & filium & patrem docentes. Item alio modo. Quoniã is qui manet in doctrina, habet & filium & patrem: porrò apoſtoli manebant in doctrina, ita vt illam quoque prædicarent: qui ergo recipit illos qui ſunt templa dei, eo ipſo quo eos recipit, habet filium & patrem qui in eis ſunt. *Si quis uenit ad uos.* Confirmat illos ad quos ſcribit. Si quis ait abſque hac confeſſione ad vos veniat, non ſolum protectionem à vobis non conſequatur, ſed neque ſalutis precationem à vobis accipiat, merito & cautè hæc dicens, quaſi hæc ſalutis precatio ſolis illis debeatur qui conueniunt in moribus & fide nobiſcum. Cui enim precamur ſalutem, niſi his qui ſimilium ſunt morum ac fidei? Itaque ſi impiis offeratur à nobis huiuſmodi ſalutis precatio, vtique tanquam fidelibus & his qui ſimilium ſunt morum oblata eſt, ac per hoc ſocij à nobis aſſumpti ſunt, noſque ad ſuum barathrum detraxerunt. A B

CAPVT II.

Promiſſio de ſuo aduentu ob ſpem futuræ utilitatis.



Vum multa haberem uobis ſcribenda, nolui per chartam & atramentum. Sed ſpero me uenturum ad uos, & præſentem præſentibus loquuturum, ut gaudiũ noſtrum ſit cõpletum. Salutant te filij ſororis tuæ Electæ, Amen. C

Cauſſam breuitatis epiſtolæ & in hac & in ſequenti docuit hanc eſſe, quòd ſperaret ſe ad eos vẽturum, ſuáque præſentia & aſpectu additurũ quæ deeſſent. Per hoc autẽ quod addit, Salutant te filij ſororis tuæ Electæ, volunt nonnulli aſtruere quòd nõ ad mulierem ſcribatur epiſtola, ſed ad eccleſiam: de quo nihil diſceptare decreui.

Finis ſecundæ Iohannis epiſtolæ.

ARGVMENTVM TERTIAE
Iohannis epiſtolæ catholicæ.

EPiſtola eſt de hoſpitalitate. Et primum quidem commendat Gaium pro quo ferebatur à multis teſtimonium de hoſpitalitate, & exhortatur vt in eodem maneat propoſito, deducendo ac humaniter excipiendo fra-

D do fratres. Rursum ipsius quoque commendat oblationem: & accusat Diotrephen quòd nec ipse tribuat quicquam pauperibus, & alios prohibeat id facere, multaque deblateret. Huiusmodi autem dicit alienos esse à veritate, & deum ignorare. Demetrium vero commendat, optimum de illo ferens testimonium.

ALIO MODO ARGVMENTVM.

Hanc quoque scribit epistolam, fratres quosdã cõmendans. Scribit autem Gaio, & testimonium illi reddit de magna hospitalitate, quam etiam multis laudibus extollit. Nam eum qui bene operatur ex
E deo esse dicit. Porrò ipsum ex eo magis excitat quòd Diotrephen traducit ac vituperat, quòd statuisset ne hæc fierẽt. Collaudat & Demetrium qui idem faceret, & fidele perhibet illi testimonium. Breuis est autẽ hæc epistola, ob prædictam in præcedenti epistola caussam.

Tertia Iohannis

EPISTOLA CATHOLICA.

F *PResbyter Gaio dilecto quẽ ego diligo in ueritate.* De huiusmodi salutatione in præcedẽti epistola dictum est: & nũc eadem repetere superfluum foret ac redundans. *Quem ego diligo in ueritate.* In veritate diligit, qui secundum dominũ diligit affectuosa charitate: quemadmodum etiam in superioribus frequenter dictum est.

CAPVT I.

Precatio pro perfectione, & gratiarum actio ob attestationem susceptionis fratrum peregre agentium propter Christum: in quo etiã agit de Diotrephes prauitate & inhumanitate.

Charissime



Hariſsime in omnibus opto ut proſpere a- A
gas & recte ualeas, ſicut proſpere agit a-
nima tua. Gauiſus ſum enim uenientibus fra
tribus & teſtimonium reddentibus ueritati
tuæ: ſicut tu in ueritate ambulas. Maius his nō habeo
gaudiū, q̄ ut audiā filios meos in ueritate ambulare.

Sicut proſpere agit anima tua. Proſpere autem agit, nempe in politia quæ eſt ſecundum euāgelium. *In ueritate ambulas.* In veritate ambulat qui iuxta ſimplicitatem euangelicā ambulat. Ambulare autem nō dicit motionem tibiarum, quum huiuſmodi greſſus ex loco ad locū tranſiens, vnus ſit in vniuerſis animalibus pedes habentibus: ſed ordinatum ac temperatum progreſſum iuxta acrem animi affectum, quē pauci aſſequuntur, etiam eorum qui intellectu non carent. *Maius his* μειζοτέραν iuxta Græcæ linguę proprietatem non eſt apta dictio comparatiua, ſed poſuit illam tanquam exaggerationi quęrens vehementiorem exaggerationem, & ita comparatiuum formauit à comparatiuo. B

Chariſsime fideliter facis quicquid operaris in fra-
tres & in hoſpites, qui teſtimonium reddiderunt cha-
ritati tuæ in conſpectu eccleſiæ, quos ſi dignè deo de-
duxeris, benefacies. Pro nomine enim eius profecti C
ſunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus
ſuſcipere huiuſmodi ut cooperatores ſimus ueritati.

Fideliter facis: hoc eſt vt fidelem decet virum. *Debemus ſuſcipere.* ἀπολαμβάνειν ſumitur pro ἀναλαμβάνεσθαι. i. ſuſcipere, veluti quum dicitur: Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam. Per hoc autem inſtruit nos ne egenos expectemus donec ad nos veniant, ſed accurramus & inſequamur illos: ſicut Abraham & Lot. *Pſal.16.* *Ge.18.19.*

Scripſi eccleſiæ, ſed is qui amat primatū gerere in
eis Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc ſi uerò
ſuggeram opera illius quæ facit, uerbis malitioſis gar-
riens in nos. Et nec his contentus, non ſolum non reci-

pit fra-

D *pit fratres, uerumetiam uolentes recipere prohibet, & è congregatione eiicit. Charissime ne imiteris quod malum est, sed quod bonum est. Qui bene facit, ex deo est: qui autem male facit, non uidet deum.*

Suggeram facta illius quæ facit. Si præceptum est non reddendum esse malum pro malo, quo modo iste nunc hæc cōminatur? Dicimus ergo quòd hoc præceptum est ne illi reddamus malum, qui in nosipsos solos deliquit: Nam si peccatum est aduersum nos, & fidei adfert impedimentum, referendum est tali. sicut & Paulus Elymæ qui peruertebat vias domini. *Garriens.* Hoc est conuitia iaciens & maledicens. (Act. 13.)

Ne imiteris quod malum est. Quum nulla sit communio luci cum tenebris, neq; vlla concordia Christo cum Belial: nō oportet eum qui Christi cognitione illustratus est, commisceri tenebris per imitationē impiorū, siue lascivis & impudicis eorū operibus. Quemadmodum enim is qui bona operatur ex deo est, & luce cognitionis ipsius oculum suum intellectualem composuit, quumque per hæc totus sit lux, & videt deū qui vera lux est, & videtur ab aliis vt luminare in mundo, verbum vitæ sustinens: ita & qui mala operatur, in tenebris ambulans, neque ipse deum videre potest, hoc est quæ dei sunt facere, neque ab aliis videri, si quem redarguat, aut corrigat: sed omnes illum oderunt & abominantur, iuxta illud sapiens oraculum: Iniquitatem odio habui & abominatus sum. (E; 2. Cor. 6.; Psal. 118.)

F CAPVT II. *De Demetrio cui optimum reddit testimonium.*



Emetrio testimonium redditum est ab omnibus, & ab ipsa ueritate: sed & nos testimonium perhibemus, & nostis quòd testimonium nostrum uerum sit.

Ab omnibus. puta qui veritatem seruant. *Et ab ipsa ueritate.* quæ est efficacia sermonis. Sunt enim quidā quibus virtus perhibet testimonium, sed frustratur ob sermonem inefficacem, siue operibus carentem. Quod si quis particulā Ab omnibus, etiam de infidelibus accipiat, eo quòd Omnis, cōprehendat vniuersos, hic non male sermonem accipere deprehendetur. Iubet enim Paulus vt fideles absque offendiculo (1. Cor. 10.)

culo esse studeant, & Iudæis & Græcis & ecclesiæ dei, sicut A
& ego (inquit) per omnia omnibus placeo.

CAPVT III. *De suo ad ipsos aduentu breui futuro ob illorum utilitatem.*

MVlta habebam quæ scriberem, sed nolo per atramẽtum & calamum scribere tibi. Spero autem me protinus uisurum te, & præsentes coram loquemur. Pax tibi, Salutant te amici, Saluta amicos nominatim.

Similia in fine præcedẽtis epistolæ & dicta sunt & interpretata, quare superfluum foret eadem rursum repetere. B

Finis tertiæ Iohannis epistolæ.

ARGVMENTVM CATHOLICAE Iudæ epistolæ.

HAnc epistolam scribit his qui iam crediderant. Fuit autem hæc occasio. Quum subingressi essent quidam qui docerent peccatum esse quiddam vulgare & ἀδιάφορον, ac dominum negarẽt: necesse C
fuit ipsi scribere & confirmare fratres. Et primum quidem exhortatur eos, vt certent & permaneant in fide sibi tradita. Deinde detegit huiusmodi seductores: ac pręcipit vt cum talibus nullam habeant communionem: scientes quòd non satis sit esse duntaxat vocatos, nisi etiam dignè ad vocationem ambulent. Siquidem licet prius ex Aegypto populum eduxisset dominus, tamen non permanentem in fide perdidit, sed neque angelis, qui suum ordinem non seruauerant, pepercit. Oportet ergo ab huiusmodi discedere. Etenim Michael quoque archangelus non tulit blasphemiam diaboli. Futuram ergo docet illorum perditionem, sicut Sodomorum. Deinde exhortatur ad mores, & precatus ipsis fidei firmitatem à domino, concludit epistolam.

Catho-

D

Catholica Iudæ EPISTOLA.



Vdas Iesu Christi seruus, frater autē Iacobi, his qui in deo patre dilecti sunt, & qui uocati sunt à Iesu Christo seruati. Misericordia uobis & pax
E *& charitas multiplicetur.*

Satis fuit huic, præsenti inquam Apostolo, ad gloriæ splendorem, quum seipsum Christi seruum nominasset, etiam à Iacobo celebris reddi. Siquidem quum Iacobus apud omnes ob virtutem maximis efferretur laudibus, effectum est vt hic apud auditores facilius reciperetur ad doctrinam sermonis, quoniam natiuitatis ac sanguinis communio nequaquam alienata videretur moribus ab eo cum quo cognatione communicauit: & maxime si sub vno domino Christo degens, seruitutis iugū æqualiter cum fratre trahere proponitur. *His qui in deo patre dilecti sunt, & qui uocati sunt, à Iesu Christo seruati.*
Iohan. 6. domini sermonem quo dixit, Nemo venit ad me, nisi pater
F meus traxerit eum, hic beatus vir nunc verum esse ostendit. Nam eos qui à patre dilecti sunt, ait à Iesu Christo fuisse seruatos. Ideo quoque vocatos dicit. neque enim à seipsis, sed à patre habent per hoc quòd trahuntur, vt etiam vocētur. Misericordiam verò, pacem & charitatē ipsis multiplicari precatur. Misericordiam quidē, quoniam propter viscera misericordiæ dei reuocati sumus, & assumpti ab eo in ministros: pacem autem, quia & hanc ipse deus pater nobis donauit, reducens nos qui offenderamus ad suam amicitiam per filium suū Iesum Christum: charitatem verò, quoniam propter charitatem quam erga nos habuit, vnigenitus filius suus expositus est pro nobis in mortem. Hęc igitur abunde ipsis tribui pre-
Psal. 35. catur: conformia dicens cum beato Dauid, qui ait: Extende

mise-

misericordiam tuam cognoscentubur te. A

CAPVT I. *De diligenti obseruatione fidei in Christum, propter insurrectionem impiorum & lasciuorum uirorum: in quo etiam agit de futuro ipsorum supplicio, ad similitudinem malorum qui olim peccauerant.*



Harißimi tantum mihi studium fuit scribendi ad uos de communi salute, ut non potuerim nō scribere uobis: exhortans ut rursum certetis pro fide semel tradita sanctis. Obiter enim subierunt quidam homines impij, qui olim descripti sunt in hoc iudicium: qui dei nostri gratiam transferunt ad lasciuiam, ac deum qui solus est herus, & dominum nostrum Iesum Christum negant. B

Per hæc innuit epistolæ argumentum, quòd ob prouidētiam salutis eorum, ne per simplicitatem caperentur à sceleratissimis hæreticis, præsentes depromat sermones, tanquam notans eos & manifestos reddens ignorantibus per apertionem lasciuæ illorum vitæ. De his autem & Petrus loquutus est, sed hic latius nunc & diffusius. Descriptos autem 2.Pet.3. dicit eos: quoniam & Petrus & Paulus de ipsis dixerūt, quòd 2.Timo.3. in postremis temporibus vēturi sint huiusmodi seductores, & ante hos ipse Christus dicēs, Multi venient nomine meo, Luc.17. & multos seducent: ne ergo sequamini illos. Nam dicētes se christianos, hoc nomine multos seducūt. Dicit autem Nicolaum, Valētinum ac Simonem, quique illos sequuti sunt sceleratissimos ac impurissimos. Nam quum gastrimargi essent C ac libidinosi, doctrinam simulabant, vt huius prætextu latētem ingressum in domos nanciscerentur, ac mulierculas pec- 2.Timo.3. catis oneratas ducerēt captiuas. Effictis enim nocturnis mysteriis tradiderunt seipsos cubilibus ac lasciuiis. Quod autem ait, *Transferunt ad lasciuiam.* hoc est deprauant detorquentes à temperantia ad lasciuiam: vnde & negare contingit ipsos dominum nostrum Iesum Christum. An non negant, qui vitæ impuritate doctorē omnis temperantiæ veluti clamosa ac sonora quadam voce abiurant? Quæ enim communio est luci cum tenebris. *Exhortās ut rursum certetis,* Exhor- 2.Cor. 6. tatur

D tatur eos qui semel Christum saluatorem susceperunt, & in eum crediderunt, vt adhuc certent siue adnitantur, hoc est dissoluto animo nō sint affecti, sed seipsos cōtineant, & maius adhuc studiū circa hoc amplectant. Qui enim incarnatū verbum suscepimus, si diceremus alium esse qui ante secula fuit cum patre, & alium qui postremis temporibus ex matre in propria hypostasi natus est, an non negaremus vnum esse dominū ac herum? Vnus est enim dominus Iesus iuxta factā quadam dispensatione vnionem. Nam dei verbum, ac deus ante secula, assumptam habens ad gloriam diuinitatis carnem, quā à diua virgine ab initio conceptionis accepit, vnus & idem est omniū herus. *Gratiam transferunt:* hoc est transmutant, corrumpunt.

E *Volo autē uos cōmonefacere, quū sciatis semel illud, quòd dominus posteaquam populū ex Aegypto saluum eduxerat, rursus eos qui nō crediderūt perdidit: quòdque angelos qui non seruauerant suam originem, sed reliquerant suum domicilium, ad iudicium magni diei uinculis æternis sub caligine seruauit. Sicut Sodoma & Gomorra hisq; finitimæ ciuitates, quæ ad consimilem modum cum illis fuerant extra stupra inquinatæ, & carnem alienam sequutæ, propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter sanè & hi*
F *insomniis agitati, carnem quidem polluunt, dominationem uerò spernunt, in splendores maledicta congerunt. At Michael archangelus, quum aduersus diabolum certans disputaret de corpore Mosi, non ausus est illi maledicum iudicium impingere, sed dixit: Increpet te dominus. At isti quæ non nouerūt, ea maledictis insectantur: quæ uerò à natura, ceu animantia rationis expertia sciunt, in his corrumpuntur.*

Postquam impurorum Nicolaitarum, Valētinianorum, ac Marcionistarum dixit lasciuiam, & velut inustione quadam insignes eos ab ipsorū fœtulenta turpitudine reddidit, etiam

hæc

hęc subiūgit: *Posteaquam dominus populum ex Aegypto &c.* simul quidem per hæc ostendens, quòd idem deus veteris ac noui testamenti sit autor: & non sicut dicunt hi scelerati, alium fuisse veteris, vindicantem ac sæuum: alium vero noui, mitem ac humanum præsidem esse deum: & simul ait, quòd neque hi qui nunc peccant, inulti permanere poterūt, quēadmodum neque illi qui ex Aegypto educti fuerant. Nam immensa quidem dei virtute, & propter iusiurandum ad patres ipsorum factum, deus illos ab Aegyptiaca seruitute ac tyrannide liberauerat: nec tamen qui impie egerunt inulti permanserunt, sed dignas dederunt pœnas: nihilq; illis profuit quòd benignus fuerit deus erga patres ipsorum: neque iuuit immensa signorū euidentia propter hos exhibita: quēadmodum neque angelos qui ceciderant quòd à deo formati essent, & intellectuali natura præditi: neque Sodomitas quòd vnà cum Lot habitarent. Sed hi qui mare rubrum velut aridam, fide primum trāsierant, postmodum facti increduli perierunt. Qui vero angelicæ dignitatis honorem sortiti fuerant, quum præ segnitie non permansissent in sua origine, sed corrupissent datum sibi ex bonitate cœleste vitæ institutum, ad iudicium siue condemnationem, supplicio magni & intolerabilis diei reposuit & conseruauit. Nam hoc etiā nūc significat τετήρηκε. Iuxta illud quod ait Christus, Qui præparatus est diabolo & angelis eius. Et certe Sodomitæ in signum proponuntur ignis æterni, qui ipsos excepturus est. A B Matt.25.

Sequutæ carnem alienam. & fornicatæ, hoc est declinantes, quòd πορνεύειν significat. Carnem vero alienam dicit masculinā, quòd ad congressum qui fit generationis gratia nō prosit. Caro enim ad cōgressum faciens caro fœminæ est, iuxta illud quod à primo parente dictum est: Os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, masculorum autem caro aliena est inquam à coitu. Quanquam in fœmina quoque, vna quidem legibus vni iuncta, sua & propria caro est: quæ autem effusa est & publica, extranea & aliena est, ac relicta ad piaculum propemodum masculini sceleris. Vbi autem hæc exempla posuisset, quod is consequens erat auditori reliquit intelligendum. Quid est autem illud? Inferre quod inde sequitur. Si ergo hos ita deleuit, nihil placatus priore eorum fœlicitate, nunquid hos nunc impiè ac lasciuè agentes liberabit, C Gen.2.

D quum dei filius propter homines in mundum venerit, & iniurias ac afflictiones pro ipsis sustinuerit? hoc nemo vnquã diceret. Quanquam enim benignus sit & humanus, attamen etiam vere iustus est: & propter veram sanè iustitiam, his qui peccauerunt nõ pepercit: propter benignitatem autem, meretrices ac publicanos in regnum introduxit. Quum ita cõsequẽs fuisset vt sermo respõderet, ipse prætermittit, ob caussam quam prædiximus. Aut etiam simili modo loquens cum beato Petro, quum diceret, Si enim deus angelis qui peccauerant non pepercit &c. Et de his quidẽ ita dictum sit. Porrò quòd ait, *Insomniis agitati carnem maculant.* admiratione dignum est, quòd adeo verecunde sermonem protulerit. Multam enim lasciuiam & impudicitiam de ipsis testatur,

Matt. 21.

2. Pet. 2.

E dicens, quod & vita sint impuri, & lingua maximè lasciui: vehementem autem operis turpitudinem rectè comprehendit per hoc verbum ἐνυπνιαζόμενοι (id est somniantes vel agitati insomniis) quod nos, paulum & quantum decens erit denudabimus, sumpto intellectu ex opere quod de his edidit beatus Epiphanius Cypri episcopus, & Panarion appellauit. Dicit enim hic quòd scelesti isti Borboritæ (id est fœtulenti ac cœno oppleti) quum fœdè mulieribus commiscerentur, non in vulua semen effundebant, sed imperfecta abominatione, suis manibus illud suscipientes, statim illud in os immittebant mulierum cum quibus corrupti erant: & ita à se mutuo discedebant impuri, magnum quippiam se peregisse putantes. Hoc impurum facinus propter imper-

Βορβορῖται.

F fectionem appellat Insomnium, quoniam huiusmodi sunt quæ in insomniis aguntur. Inquinantes ergo per fœtulẽtam hanc assumptionem suam carnem, amplius adhuc insaniunt, inquit aduersus diuinam naturam, dominium huius aspernantes, & dominationem quam ipsa in vniuersum habet. Latius autem de his dixit beatus Irenæus Lugdunensis in confutatione falso dictæ scientiæ, à quo is qui voluerit, intellectum accipiat. Aut dominationem spernũt, hoc est perfectionem mysterij quod est secundum Christum: In ordine & vice mysteriorum angelicorum suas impudicitias perficientes. δόξας autem .i. splendores, dicit vetus ac nouum testamẽtum: quemadmodũ Paulus ait: Etenim si id quod abo-letur per gloriam fuit, multo magis quod permanet, in glo-

2. Cor. 3.

ria est.& rursum: Nam si administratio condemnationis gloria, multo magis administratio iustitiæ gloria. Aut etiã Splẽdores dicit ecclesiasticos principatus, in quos maledicta cõgerunt: quemadmodum discere licet etiam à tertia Iohannis dilecti epistola, inter quos ait esse Diotrephen, qui malignis sermonibus aduersus ipsos garriret. Quoniam autem maledictorum meminit, cohibens non ipsos solos, verum etiam vniuersos homines, vt linguas habeant puras ab huiusmodi malo, & nec aduersus illos qui maledicto digni sunt eo vtantur, ait: *At Michael archangelus &c.* Quid autem per hoc sibi vult? Quòd hi quidem temerè & intemperanter aduersus omnes maledicto vtantur. id autem fieri nõ debet, quum ne eos quidem qui maledicto digni sunt æquũ sit maledictis incessere, sicut ab archangelo Michaele manifestum est. Nam quum in controuersia quæ inter ipsum & diabolum erat de Mosi corpore, data fuisset occasio, vt eum maledicto impeteret propter illius impudentiam, non hoc fecit, sed id tantum in eum intulit: Increpet te deus diabole. Quòd si archangelus non tulit, vt vir conuitiis impeteretur, quomodo hi dominum vniuersorum omnino blasphemiis audent incessere? Alio quoque modo scribitur. Quòd si ita se habuit archangelus, nequaquam in caussa fratris viri eiusdem nobiscum conditionis blasphemias, & maledicta congeramus. Et hæc quidem de his dicta sint. Porrò de Mosi corpore hoc est iudicium. Dicitur Michael archangelus ministerium præstitisse in sepeliendo Mose: id non ferebat diabolus, sed accusationem adferebat propter cædem Aegyptij, quasi Moses ipsius esset: & propterea non permittebat, vt ille honorificam consequeretur sepulturam. Aut etiam per hoc significare volens Apostolus *legem vniuersis præfixam hominibus post exitum à corpore, & quòd idem esset deus veteris ac noui testamenti, hoc nũc profert in mediũ. Quum enim deus hominib' qui tunc crassius affecti erant, per manifesta vellet ostendere occulta: nempe quòd aduersus nostras animas, postquam hinc liberatæ sunt, insurgat diabolus cum suis malignis dæmonibus, impedire volens iter eorum ad superna (& ille quidem resistit, boni verò angeli dei sunt ipsis auxilio: quemadmodum etiam vidit beatus Antonius) hęc tũc fieri permittebat.

[Right margin: A, B, C; Exo. 2.; λογοθέσιον ἐπιφαλόμενον.]

D tebat. Attamen Michael tunc ausus quidem fuit diabolum arcere, non tamen cum autoritate increpare, sed vniuersorum domino concessit iudicium & ait: Increpet te deus diabole. *At isti quæ non nouerunt.* Michael quidem ita fecit, neque aduersus virum siue Mosen tulit conuitium: hi vero de dogmatis quæ non nouerunt, maledicos componunt sermones: quæ vero naturali motu siue iudicio, tanquam animantia rationis expertia nouerunt, hæc prosequuntur tanquam equi insanientes in fœmellas, aut veluti porci.

CAPVT II. *Deploratio impiorum propter errorem & impietatem, ac lasciuiam & blasphemiam, ac fucatam simulationem per largitionem, quo facilius decipiant.*

E *VAE illis quoniam uiam Cain ingreßi sunt: & decepti one mercedis qua deceptus fuit Balaam, effusi sunt: & contradictione Core perierunt. Hi sunt inter charitates uestras uelut saxa maris simul conuiuantes absque timore, seipsos regentes, nubes aquam non habentes, quæ à uentis circumaguntur, arbores autumnales infrugiferæ, bis emortuæ & eradicatæ, undæ efferæ maris, despumãtes sua ipsorum dedecora, stellæ erraticæ quibus caligo tenebrarum in æternum seruata est.*

Viam Cain. hoc est per fratris occisionem: nam & ipsi ta-
F lia docentes fratres, siue eiusdem sortis homines, occidunt illos prauis doctrinis. Aut etiam semen absorbentes, fratrem in virtute interimunt, quem seminis fructificatio proferret in vitam. Viam autem Balaam, eo quòd & ipsi sicut ille, lucri gratia hæc faciunt. Porrò viam Core, quoniam & ipsi sicut ille, præceptoris officium, quum sint indigni, rapuerunt. *Hi sunt inter charitates uestras.* Erant adhuc tempore illo mensæ quæ parabantur, de quibus & Paulus in epi-
1.Cor.11. stola ad Corinthios loquitur: quas etiam ἀγάπας, id est charitates siue dilectiones appellabant. Ad has inquit concurrunt: nõ ob vsum qui in illis habetur, sed vt occasionem inueniant inescandi animas instabiles: quemadmodum & Pe-
2.Pet.2. trus dicit in secunda epistola. Quod autem dicit, Absque timore,

more, aut cum præcedenti Velut saxa maris simul conuiuãtes, ordinandum est, vt sit hic sensus: Velut saxa maris simul conuiuantes, hoc est, quum nihil metuẽdum expectant, cœnam vnà sumunt. repente tanquam saxa maris animarũ perditionem ipsis inducentes. Aut ad sequentem dictionẽ Regentes: hoc est absque timore seipsos componentes. Nihil veriti, inquit, iudicium quod ipsis imminet eo quòd regere nesciant, sed cæci cæcos ducentes, & in foueam, iuxta domini verbum, Vnà cum his qui reguntur incidentes. Marinis autem saxis ipsos comparat, & nubibus aqua carentibus, ac arboribus autumnalibus, vndisque efferis, ac stellis erraticis. Nam quæ his natura conueniunt, hæc illi libera voluntate habent. Siquidem & saxa maris nauigantibus perniciosa sunt, quum ex improuiso occurrunt: sicut & ipsi his qui vnà conuiuantur imminent vt inopinatum malum, & nubes aqua carentes, quæ à ventis circumaguntur ad quæcunque loca peruenerint, non refrigeria ex imbre, quem non habẽt, sed caliginem ipsis inducunt. Similiter & hi salutari sermone non irrigant animas eorum quos assequuntur, sed obscurant potius sceleſtissimis suis doctrinis, vecti prauis dæmonũ institutis. Sed & arbores autumnales sunt bis mortuæ, nempe & fructus sui amissione & foliorum defluxu. Tũc enim aridæ videntur, pulchritudine priuatæ, siue venustate quæ fructum sequebatur, & iocũdo foliorum ornatu. His consentaneum est quod istis contingit: nam & ipsi bis moriuntur, suũ fructum abiicientes seminis absorptione, & castæ conuersationis ornatu sese priuantes. Ideo quoque à paradiso ecclesiæ domini eradicantur, & extra ipsam proiecti, colliguntur ad ignem æternum. Quem enim statum aut radicem habebit, qui propter fecem voluptatum ab omnibus abiicitur? Porrò stellæ erraticæ siue planetæ appellantur & ipsi: non quòd firmamentum fidei nostræ exornantes, Christum iustitiæ solem habeant per ipsos procedentem, & virtutum horas perficientem, ac fideles qui iuxta ipsas ordinarentur viuificantem, sed quòd videantur in angelum lucis transformari: quemadmodum & malignus dæmon qui ipsis prædominatur: id solum habentes quòd contrariis dogmatis ferantur ad domini dogmata, per quæ & illis qui appropinquant tenebras offundunt, & sibiipsis caliginem æternam conciliant.

A — Matth. 15. — B — C

D liant. Sed & vndis efferis comparati, similitudinem cum ipsis non reiiciũt. Nam blasphemiis aduersus deum insanè & effrenè feruntur ventis malitię, despumantes suas impudentias, in spumam desinentes post fastum blasphemiæ, ex intolerabili & caduca sua vita ac turpitudine quę facile dissoluitur, huiusmodi nãq; est spuma vndarum cui cõparati sunt.

Prophetauit autẽ & his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce uenit dominus cum sanctis millibus suis, ut faciat iudicium aduersus omnes, & redarguat omnes qui ĩter ipsos sunt impij, de factis omnibus quæ im-
E *pie patrarunt, deque omnibus duris quæ loquuti sunt aduersus eum peccatores impij. Hi sunt murmuratores, cauillatores, iuxta concupiscentias suas ambulantes: & os illorum loquitur tumida, admirantes persõnas utilitatis gratia.*

His dictis subiungit & Enoch, qui antea vaticinatus est repositum ipsis à deo supplicium, in postremo videlicet dei iudicio. *Qui inter ipsos sunt impii.* Impius à peccatore differt, in eo quòd impius peccatum habet circa deum, peccator verò circa ea quæ aguntur in vitæ conuersatione à iustitiæ
F scopo aberrat. Post hæc autem ab horum impiorum assimilatione absolutus, iam rem quoque ipsam aggreditur, accusans ipsorum vitia, vocansque eos murmuratores ac cauillatores. Est autem propriè γογγυσὴς, qui sub dentibus & apud se indignatur offendenti: μεμψίμοιρος verò qui semper studet omnes cauillari & dicteriis lacescere. Porrò hi murmuratores ac cauillatores scelesti sunt, inquit, quum liberè & palam non possint sua doctrina vti propter fœditatem: non enim careret periculo publicare impudicitiam iũcta impietate ac blasphemia. Cauillatores verò vt qui ea quæ sunt aliorum, imò quæ veritatis sunt calumniantur, quo videlicet sua mala, suasque lasciuias stabiliant. Quòd autem de Balaã dixit, quòd hi quoque sicut illi mercede effusi sint, manifestius nunc dicit, quòd personas admirentur vtilitatis gratia. Admirari quidem dicens assentari principibus, vtilitatem verò lucrum.

Caput

CAPVT III. A

De firmitate in fide eorum ad quos scribit quodq; compatiendum & parcēdu n fit proximo ob salutem quæ est in sanctificatione: & de fiducia pura cum δοξολογίᾳ (id est glorificatione) Christi.



Os autem dilecti meministis uerborum, quæ prædicta fuerunt ab Apostolis domini nostri Iesu Christi, quòd dixerint uobis in extremo tempore futuros illusores qui iuxta suas impias cupiditates ambularent. Hi sunt qui segregant, animales spiritum non habentes. Vos autem dilecti sanctissimæ uestræ fidei superstruentes uosipsos B
per spiritum sanctum orātes, uosipsos in charitate dei seruate, expectantes misericordiam domini nostri Iesu Christi in uitam æternam. Et hos quidem commiseremini disceptantes: illos autem per timorem saluos facite, ex incendio rapientes, odio persequentes etiam eam quæ in carne est maculatam tunicam. Ei uerò qui potest illos seruare à peccato immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ incontaminatos cum exultatione, soli sapienti deo saluatori nostro gloria & magnificentia & imperium & potestas nunc & in omnia C
secula, Amen.

Meministis uerborum quæ prædicta fuerunt ab Apostolis. nem- 1.Pet.3
pe à Petro in secunda epistola, & à Paulo in singulis fermè e- 1.Tim.4
pistolis. Ex hoc autem manifestum est quòd extremo tem- 2.Tim.3
pore hæc scripserit, quum iam cursum suum perfecissent Apostoli. *Hi sunt qui segregant.* Ecce aliud crimen scelestissimorum istorum hominum. Neque enim ipsi soli pereunt, inquit, verumetiam ecclesiæ alumnos deprædantur: Nam hoc sibi vult significare ἀποδιορίζειν, id est segregare, hoc est extra terminos ecclesiasticos facere, siue extra fidem, siue etiam ipsum sacrum ecclesiæ tabernaculum. Nam speluncas latronum exhibētes suas synagogas, abducunt ab eccle-

D sia,& ad se adducunt. Hoc autem faciunt quum sint animales homines, hoc est iuxta mundi circumuolutionem & vulgarem vsum viuentes. Iam enim diximus quòd vitam solet frequenter animam appellare scriptura: quemadmodum in
Iob.1. Iob: Quæcunque habet homo dabit pro anima sua, siue pro
1.Cor.2.3 vita sua: & in illis quos Paulus dicit, quum animales essent, non posse suscipere quę erant spiritus dei. (Nam ψυχικός, id est animalis, dicitur à ψυχή, id est anima.) Quum ergo animales essent, & animali vterentur doctrina (de qua dictum est: Non est hæc sapientia è supernis descendens à patre luminum, sed terrena, animalis, diabolica) spiritum non habebant qui diuina loqueretur. *Vos autem dilecti.* Illi itaque
E taliter se habent, inquit: Vos autem sanctissimæ vestræ fidei superstruentes vosipsos, siue reformantes per spiritum sanctum: hoc est iuxta spiritus sancti doctrinam congregationes vestras in precationibus vestris faciẽtes. *Vosipsos in charitate dei seruate:* hoc est vosipsos custodite, suscipiẽtes à domino misericordiam, conciliantes vobis ad extremum diem vitam æternam. illos vero si vobis resistant (nam id significat Disceptantes) arguite: hoc est manifestate omnibus impietatem ipsorum: si vero ad sanitatem respiciant, ne repellatis: sed misericordia charitatis vestrę assumite, seruantes ab igne quem illis comminatus est deus. Ipsos autem assumite cum commiseratione simul & timore: prospicientes ne quo modo horum assumptio, dum oscitantes affecti estis in his quæ ipsorũ sunt, perniciei vobis caussa fiat, si iam confirmati cor-
F ripimini ab ipsis in eandem confusionem. facile enim imitãtur homines vitium. Sit ergo eorum assumptio, inquit, sed cum timore ad ipsos accedite, siue cum circumspectione, & commiserationem ad ipsos sequatur odium aduersus impia eorum facta, dum odio prosequimini ac detestamini, à carne quoque ipsorum commaculatam siue cõspurcatam tunicam, tanquam ex contactu ad carnem ipsorum ipsa etiam execratione appellationem sumente. Aut assumentes eos, timore futuri supplicij præparate resipiscentes, vt misericordia digni videantur. His dictis precatione ac voto postmodum obsignat epistolam.

FINIS EPISTOLAE CAtholicæ Iudæ.

ARE-

Arethæ Cæſareę A

CAPPADOCIAE EPISCOPI *codceruatio enarrationũ ex uariis ſanctis uiris in Iohannis dilecti & Euangeliſtæ Apocalypſim.*

DE HIS IN APOCALYPSIM COMmentariis,& de Iohannis in Patmum relegatione, factaque ad ipſum Apocalypſi,ſiue reuelatione,iudicium. B



NTE hos in Apocalypſim commentarios te precamur cãdide Lector, vt noſtros hos labores boni conſulas: neque protinus damnes, ſi vno aut altero in loco non penitus animo tuo ſatisfaciat noſtra verſio. Vt enim verum fatear, tantum negotij nobis exhibuerunt hi poſtremi commentarij,vt præteritos omnes labores ꝓpter ipſos dãnare ac ſpongiæ committere frequenter meditaremur: ſiue id librariorum aut typographorum incuria contigerit,quod ſubinde aperte deprehendentes,ſilentio prȩteriuimus, nonnunquam etiam noſtro nomini conſulentes, id margini annotauimus: ſiue noſtri quoque tenuitas ingenij frequenter in cauſſa fuerit: quam etiam cognoſcentes, quibuſdam in locis,dum ne nobis quidem ſatisfaceret noſtra verſio, Græca margini addi curauimus,tuum ô Lector iudicium tibi relinquentes. Satis autem confido vbi Grȩca toto hoc libro penitius introſpexeris,noſtros labores nequaquam omni ex parte damnabis,vt qui varias vndique difficultates, candido affectus animo,nulloque aduerſum nos allato præiudicio, viſurus ſis. Neque enim Zoilum moror,cui ne Minerua quidẽ ipſa C

D ipsa omni ex parte satisfecerit. Quod si hunc aut alium quęuis nec his placare poterimus, id saltem nostris laboribus efficiemus, vt his qui peritiores sunt data sit ansa, quo in commune reipub. Christianæ bonum absolutiora præstent. Neque enim quisquam suggillare deberet aliorum labores, qui nollet, aut saltem qui non posset tradere exactiora. Quantum autem diuinare licet, erat hic Aretha eiúsve prædecessor Andreas, non in diuinis tantum, verumetiam in humanis literis instructus, in rhetoricis quoque ac physicis apprime eruditus, vt si alia Græca exemplaria, aut eius viri commentarios, prout ab ipso editi sunt, nacti fuissemus, non adeo nos torsissent innumera in hoc libro loca. Verum quando nullis parcentes laboribus, id tandem præstitimus quod po-
E tuimus, precor æqui bonique consulas. Porrò de hac Apocalypsi ait diuus Hieronymꝰ quòd tot habeat mysteria quot verba, imò in singulis verbis multiplices dicit latere intelligētias. Atque ob id plurimi suum ac maxime varium de hac iudicium protulerunt: nõnulli simplicem literę sensum, primumque corticem considerantes, alij vero mysticas intelligentias penitius perscrutantes. Quare non erit absurdum, si & nostrum quoque adferamus: saniori semper iudicio sanctæque Romanæ ecclesiæ nos ac nostra omnia submittentes. Primumque hoc nobis videtur, Iohannem hunc Apostolum ac Euangelistam, qui & Theologus cognominatur, à Nerone in Patmos relegatum, eodem omnino tempore quo ille beatos Christi Apostolos Petrum ac Paulum Ro-
F mæ interemit. Id duobus in locis asserit Tertullianus vicinus eorundem Apostolorum temporibus. Idem quoque habet Eusebius libro de demonstratione euangelica: quanquã in Chronicis & in Ecclesiastica historia dicat id sub Domitiano contigisse, quòd & Hieronymus & plures alij sequuntur. Verum his libris tanquam prioribus annis scriptis, non tribuitur tanta autoritas, quanta ei qui de demonstratione est euangelica, vtpote posterius atque emendatius elaborato. Hoc itaque habito quòd scripta sit in Patmo Apocalypsis ante Ierosolymorum excidium, quadrifariam ipsa secari potest: ita vt cõplectatur ab exordio ad sextũ vsq; caput instructiones ecclesiarũ Asiæ, intermiscẽs & prophetica de variis hæresibus: de quibus & Epiphanius in suo Panarion libro.

A sexto

A sexto capite vsq; ad duodecimum continetur Synagogæ A
abrogatio. A duodecimo vsque ad decimumnonum, excidiũ Gentilismi sub typo potissimũ Babylonis ac Romæ quę habebat septem colles, qui hic dicuntur esse cornua bestiæ super quam meretrix siue idololatria aut Gentilismus sedet. In his enim vrbibus præcipue vigebat Gentilismus. A decimonono capite vsque in finem agitur de regno Christi in præsenti ecclesia, addita cap.20. vltima de ipsius inimicis victoria. Atque hæc in vniuersum dicta sint: nam singulis varia commiscentur, sed de singularibus non est certum dare iudicium: nec fieri potest, vt data quauis enarratione singula apte quadrent: sed satis erit si in genere habeatur quid singulis capitibus significare velit. Iuxta hanc dispositionem
non admodum videbitur absurdum id quod sentit Iohan- B
nes Annius Viterbiensis in quęstionib⁹ super Apocalypsim, quas misit ac dedicauit summo põtifici Sixto quarto regibusque Christianis: quòd bestia quam interpretantur communiter Antichristum, de qua Apoc.13. potissimum ca. quæ ascendit de terra habens duo cornua similia agni, loquens tamen sicut draco qui est & Satanas, qui virtutem ac sedem suam & potestatem magnam dederat priori bestiæ, nempe Gentilismo, & exinde sectæ Sarracenicæ, fit pseudopropheta Mahumethes: qui quanquam ante plurimos annos mortuus sit, eius tamen secta, nempe prior bestia, heu viuit etiamnum, nimiumque grassatur aduersus dei populum: idq; tamdiu durabit donec iuxta septimum caput Danielis re-
gnum detur populo sanctorum altissimi: nempe quum, post C
longam pacem ac securitatem intermediam, rursum aduersus hunc dei populum pugnans dicta bestia cum ingẽti exercitu designato per Gog & Magog, de quo Ieze.cap.38.& 39.& Apoc.20. ingenti clade à deo prosternentur, quemadmodum dicitur locis modo citatis: post quod vera & perfecta pax erit in ecclesia ac purus dei cultus ab omni hæresi & persequutione separatus: quemadmodum consequenter describunt Iezeciel cap.40.& sequentibus, & Apocaly. 21.&.22. Et quia hęc populorum ad bellum hoc postremum congregatio ipsaque pugna, multo tempore durabit cum magna Christianorum afflictione, ideo communiter appellatur nouissimus Antichristi aduentus, hoc est sectæ eius,

D quę hic dicitur prior bestia, cui Draco.i.Satanas dedit virtutem ac sedem suam & potestatem magnam. Cõuenienter ergo tractans hic apostolus de excidio Gentilismi, etiam intermiscet grauitatem persequutionis sectæ Sarracenicæ eiusque subuersionem. Neque his obuiare videtur quod ait apostolus.2.Thess.2.quod eius aduentus sit secundum operationem Satanæ in signis ac prodigiis mendacibus & cum omni deceptione iniustitiæ in his qui pereunt, quodque efferatur aduersus omnem qui dicitur deus aut numen, adeo vt in templo dei tanquam deus sedeat, ostentans seipsum esse deum: quem dominus inquit conficiet spiritu oris sui, & abo
E lebit claritate aduentus sui. Ex quo, & etiam quia præmiserat non venturum esse dominũ nisi prius reuelaretur hic homo peccati fili⁹ perditionis, innuere videtur, in hui⁹ interẽptione statim venturum esse Christum ad iudicium. Hæc inquam non obstant. Primum enim manifestum est verũ esse non venturum esse dominum nisi ille reueletur, quum iamdudum ille reuelatus sit, imo & mortuus in sua persona: quẽ tamen dominus confecturus dicitur spiritu &c. quia sicut in sacris literis frequẽter est metaphora à capite Christo ad eius membra quæ simul cũ eo vnam dicuntur cõstituere personam: & quod de Christo dicitur, sæpius in ipsius membris completur: & quod de Iaacob, in filiis Israel: ita etiam dicitur à domino conficiendus in postremo sectæ eius aduersus Christianos ingenti prælio, quo non virtute bellica aut vi-
F ribus Christianorum, sed spiritu oris siue voluntate domini conficietur, & claritate aduentus sui, quo aperte veniet auxilio Christianis. Siquidem quòd non velit tunc interimendum Antichristum aut finiendam immanẽ ipsius persequutionem, quum ad extremum iudicium vẽturus est dominus, manifeste patet ex eo quod ait idẽ apostolus.1. Thes.5. Dies domini sicut fur in nocte ita veniet, Quum enim dixerint, Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis superueniet interit⁹, magisque ex eo quod Matth.24. ac Luc.17. ostendit dominus quòd ante iudicium erunt homines in longa pace ac securitate. Sicut erant, inquit, dies Noe, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus qui præcesserunt diluuium edentes & bibentes, contrahentes matrimonium & nuptum dantes, vsque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam, nec

cam, nec cognouerunt donec venit diluuium & tulit vniuersos: ita erit & aduentus filij hominis. Itaque quod ibi paulo ante dicitur, Et tunc apparebit signum filij hominis: Et tunc plangent omnes tribus terræ, nõ indicat statim id subsequi, sed solum quòd postea sequetur: qui modus accipiẽdi Tũc, vel In diebus illis, siue In illo tempore, frequens est in sacris literis: quemadmodum adnotat noster Euthymius super illud Matth.12. Tunc adductus est ei dæmoniacus, rursumque super illud Matth. 3. In diebus illis venit Iohannes Baptista prædicans in deserto Iudææ. Et Oecumenius super illud Acto.6. In his autem diebus. Porrò signa ac prodigia mendacia aduentus Antichristi in his qui pereunt, imo vt ait Christus, ita vt in errorem ducantur si fieri potest etiam electi: sunt variæ ac multiformes eius technæ ad seducẽdos & pelliciendos ad se dei seruos. Quumque se ac suam sectã christianismo cæterisque legibus omnibus præponat, an non se extollit supra omnem qui dicitur deus aut numen? sedens siue imperans in templo dei, vel vbi prius erant ecclesiæ dei, aut viua dei templa. Qui etiam fecit vt dicitur Apoc.13. ignẽ iræ dei descendere in terram, iuxta illud Psal.17. Ascẽdit fumus in ira eius & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Aut in conspectu hominum dicitur hoc fecisse, id est quod ait apostolus, In prodigiis mendacibus: quia volens occultare morbum suum caducum, dicebat se cadere ex illustratione angeli de cœlo ad se descendentis sibique loquentis: de quibus angelis Psal.103. & Heb.1. dicitur: Qui facit angelos suos spiritus & ministros suos flammã ignis. Dedit etiam spiritũ imagini bestiæ, faciens vt loqueretur, quãdo legem suæ sectæ omnibus magno cum horrore promulgauit: hoc etiam modo faciens omnes adorare imaginem bestiæ, & vt qui non haberent characterem bestiæ non possent emere aut vendere: quando dixit semissum à deo in gladio, iubens omnes trucidari qui suam non susciperent sectã. Rursum non obstat quod vulgo dicuntur Enoch & Elias venturi vt sese illi opponant ac eum conuincant, propter id quod dicitur Apoc.11. Et dabo duobus testibus meis & prophetabũt: quod ideo de Elia interpretatur Aug.20. de ci. dei, cum aliis pluribus, quia Malac.4 dicitur: Mittam vobis Eliã prophetam antequam veniat dies domini. Alterum vero faciũt Enoch,

D Enoch,quia Gene. 5. & Eccli.44. dicitur Enoch translatus & non mortuus,sicut Elias curru igneo in cœlum vectus.4. Reg.2. Primum autem non dicitur hic nec alibi in sacris literis quod illi sint futuri testes : quod si etiam admitteretur, non oporteret quod aduersus ipsius personam pugnarêt, sed satis esset quod aduersus eius sectam siue priorem bestiam, aut etiam aduersus Gentilismum : maxime quod si hæc Iohannis reuelatio ordine procedit, de horum prophetia & morte illata à bestia quæ ascendit de abysso, ac eorum resurrectione narratur capite.11.tẽpore videlicet sextæ tubæ:porro bestia quæ Antichristũ designare dicitur,habẽs duo cornua similia agni, ca.13. ac tẽpore septimæ tubæ dicitur ascẽ-
E dere de terra , eo quod sit purus homo quanquam aduentus ipsius fuerit secundum operationem Satanæ . Porro Hieronymus super quartum caput Mala. Iudæi inquit ac Iudaizãtes hæretici dicunt Eliam venturum ante suum ἠλειμμένον: quod ex eo ostendit quia discipuli Matth. 17. interrogarunt dominum : Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire:sed illorum falsam esse opinionem ostendit Christus quum respondet: Elias iam venit,& non cognouerunt eum,sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt: statimq; sequitur: Tunc intellexerunt discipuli quod de Iohanne Baptista dixisset ipsis. Hieronymus autem eo loco per Eliã in-
F telligit prophetiam, sicut paulò ante legem per Mosen . Siquidem per legem ac prophetiam conuertenda erant corda patrum Abraham Isaac & Iaacob.i. sequentium eos & ab illis descendentium,ad filium.i.ad Christum qui ab eis carnẽ sumpserat. Rursum Matt. 11.loquens de Iohanne,Hic est,inquit,de quo scriptum est , Ecce ego mitto angelum meũ qui præparabit viam tuam ante te,quod erat officium Eliȩ & de eo intelligebatur:ideoque quod Mala.4. de Elia dicitur , ꝙ conuertet cor patrum ad filios,Gabriel Luc.1.annuntians Iohannis conceptionem,dicit in eo complendum . Ipse inquit præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ vt conuertat corda patrum in filios. Hic est Antichristus de quo dixit Christus Iudæis Iohan.5. Ego veni nomine patris mei & nõ recipitis me,si alius venerit nomine suo,illum recipietis. Siquidem huic Iudæi tributa vltro dederunt,& hinc est quod illi nationi nunquam fuit infestus . Et sicut Christus in persona qui-

sona qui-

sona quidem apparuit in sola Palæstina, sed postea per suos discipulos percurrit mundum vniuersum: ita & hic in sola Sabæa Arabię prouincia in persona apparuit, sed per principes sectæ suæ sequaces plurimas prouincias ac regna occupauit. Cuius extrema persequtio .i. postremum eorum cum Gog. & Magog prælium simul cum præcedenti ad id apparatu, fieri potest vt duret per tres annos & dimidium, quanto tempore communiter dicitur duraturum eius imperium, propter id quod dicitur Dan. 7. sanctos tradendos in manu huius bestiæ vsque ad tempus & tempora & dimidium temporis: & quia Apoc. 11. dicuntur gentes calcaturæ ciuitatem sanctam mensibus quadragintaduobus: & cap. 12. dicitur mulier quæ fugit serpentem alenda à deo in deserto diebus mille ducentis sexaginta, & paulo post dicitur eadem ibi ali per tempus & tempora & dimidium temporis: & etiam quia tātō tempore dicitur in hac vita prædicasse Christus. Alij tamen aliter interpretantur tempus & tempora & dimidium temporis. Neque enim possibile esset ipsum tam paruo tempore obtinere tam multa regna ac prouincias. Post hanc autem extremam persequutionem plenitudo Gentium intrabit & tunc omnis Israel saluus erit vt habet Paulus Rom. 11. Quanquam enim etiam antea, cessantibus hæresibus ac persequutionibus, in diuturna pace & cultu dei vixerint, quę etiam dicitur resurrectio prima: multo tamen magis, postquam extremo illo prælio redegerit dominus ad internecionē omnes suos inimicos. Quāto autem tempore duratura sit hæc pax & securitas ante mundi consummationem, hominibus incertum est, sed sicut ait Christus Mat. 24. De die illo & hora nemo scit, ne angeli quidem cœlorum. Id solum cōstat ꝙ longa illa pace ac securitate, plurimi rursum dei cultum relinquēt: & tunc vt ait apostolus. 1. Thes. 5. Dies domini sicut fur in nocte ita veniet. Quum enim dixerint, Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient: quod & Christus pluribus in locis dixit, ac frequentibus parabolis adumbrauit. Quod autem vulgo dicūt illum de tribu Dan oriūdum, propter id quod dicitur Ge. 49. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro: quod tamen alij probabilius ad literam interpretantur de

D tur de Sampſone: dici poteſt quod id verum ſit, non literali ſenſu ſed ſpirituali: ꝙ ſicut Dan natus fuit ex ancilla Iaacob, videlicet Bala, ita Antichriſtus ſiue Mahumethes non ex libera ſiue fideli gente nec Chriſtiana nec Iudaica ortus eſt, ſed ex ancilla ſiue idololatra. Vnde & ipſe in Alchorano inducit deum ad ſe ita loquentem: Pauper fuiſti, & ditaui te: idolis ſeruiſti, & vocaui te. Demum naſciturus dicitur in Babylonia & nutriẽdus in Chorazin, quia maxime & primum ſuſcepta eſt peruerſa ipſius ſecta in Babylonia: & Chriſtus exprobrat ciuitatibus Chorazin ac Bethſaidæ quòd ipſum nollent recipere, & tamen poſtea promptiſſime ſectam Ma-

Mat. 11.

E humethicam eſſent ſuſcepturæ. Horum tamen nihil aſſertiue dictum velim, ſed tãtum vt occaſio doctioribus data ſit, quæ profundiora ac certiora ſunt, perſcrutandi.

BREVIS QVAEDAM EXPLICATIO ex cõmentariis diuinitus inſtitutis beatiſſimi Andreæ Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ in Apocalypſim, redacta in ordinem ab Aretha indigno Cæſareæ Cappadociæ epiſcopo.

F SCiendũ quòd vniuerſum præſentis libri opus vir iſte beatus ac dei cooperator in vigintiquatuor partes ſeu conciones, & has in ſeptuagintaduo capita aptiſſimẽ diuiſit. Numerus enim vigintiquatuor ter repetitus producit ſeptuagintaduo. Cæterũ numerus vigintiquatuor aſſumptus eſt propter vigintiquatuor ſeniores quos hic nominauit Apocalypſis, qui ſymbolum ac ſignum ſunt eorum qui deo beneplacuerunt ab initio ſeculi vſque ad cõſummationem. Triplicatus eſt autem hic numerus in capitibus non incõſideratè, ſed propterea quod hi qui deo beneplacuerũt, tripartitam habuerunt hypoſtaſim, nempe in animam, corpus & ſpiritum, ad deliniandum appropriationem omnipotentis trinitatis. De hoc autem libro à deo inſpirato ſanctus Baſilius, diuinoque ſermone Gregorius ac Cyrillus, Papias & Irenæus ac Hippolytus eccleſiaſtici patres fidedigni ſunt quibus ſine vlla hæſitatione credatur.

Vide à quibus autoribus decerpti ſint hi in Apocalyp

Iohannis

Iohannis theolo GI AC DILECTI Apocalypsis.

A psum cōmētariū, inter quos etiam in sequentibus citat Methodiū

CAPVT I.

Continens prooemiū Apocalypsis, & quód per angelū ipsi data sit.



Pocalypsis Iesu Christi quam dedit illi deus, ut palàm faceret seruis suis quæ oporteat fieri citò: & significauit mittens per angelum suum seruo suo Iohāni, qui testificatus est sermonem dei & testimonium Iesu Christi, & quæcūq; uidit. B Cap. I.

Quidam veterum librum hunc alienum esse dicunt à dictione & lingua Iohannis dilecti, ipsum ad alium referētes. Sed non ita est. Siquidem Gregorius eiusdem cum hoc cognominis (id est, Theologus cognominatus) hunc inter germanos ac legitimos libros connumerauit. Sicut me docet, inquit, Iohannis Apocalypsis. Sanè incipiens Euangelium scribere, Christum theologicè differendo, præmittit: In principio, inquiens, erat verbum. Pręterea in epistola idem habet prooemium ac similis theologiæ, præmittens: Quod erat ab initio. *Apocalypsis Iesu Christi quam dedit illi deus.* Tanquam diceret: Hæc mea Apocalypsis data quidem est filio à patre, porrò à filio data est nobis seruis suis. Ab humilioribus nāq; incipiens dispēsationem, ad ea processit quæ deū magis decent. Quemadmodum enim & diuinus Apostolus Petrus in sua confessione quum dixisset, Christus, mox subiūxit quod perfectissimum est, nempe Filius dei, tanquam non potens Christi dispensationem dignis exprimere verbis. Ita ergo & hic quum nomini Christus, coniunxerit Seruis suis, diuini- C Matt. 16.

D tatem quæ in Christo est designauit. Cuius nãque serui sunt
Psal.118. sancti, nisi dei? ad quem etiam dictum est : Quoniam omnia
seruiunt tibi. Subiungens autem ꝙ Christus sacrã hanc do-
ctrinam non proprio oraculo ad ipsum pertulerit, sed tantũ
per angelũ suum, amorem veritatis indicauit in eo qui Apo
calypsim acceperat. Est autem Apocalypsis secretorum my
steriorũ manifestatio: illustrata animi mente, siue per diuina
somnia, siue ex diuina euidentiæ affulgẽtia. Hanc verò Apo
calypsim datam esse dicit, magis humano more sermonẽ di-
sponens diuinus hic apostolus: & non quemadmodum in e-
uangelio & epistola sua, à diuinioribus potius quæ in Chri-
E sto sunt sermonem texit & in eis versatur, ita & nunc, sed ab
humilioribus: tanquã aperte significaret ꝙ vtraq;, diuina in-
quam & humana in vno eodẽque Christo cõuenienter per-
spiciuntur. Siquidem per ministrantem angelum, & nomen
eorum qui docentur, nempe ꝙ serui sint, maiestatem diuini-
tatis Christi manifestat: iuxta id quod etiã scriptũ est, Quo-
niam omnia seruiunt tibi. Porrò euẽtum eorum quæ tractã-
tur breui pollicetur euenturũ: non vulgari modo, sed metiẽs
humana diuinis: quorum collatione etiã ea quæ longissimo
tempore & post multos annorum millenarios eueniũt, tan-
Psal.89. quam dies hesterna & nocturna vigilia reputantur. Aut etiã
curiosius & exactius, ꝙ addat Cito, infallibiliter demõstrã-
F tis est ꝙ ea quæ manifestantur sint euentum sortitura, sic vt
nihil impedimenti possit adferre dilatio quin compleantur.
Quemadmodum neq; hesterni diei protensio impedire po-
test hodiernum, † nisi ꝙ oporteat differri donec opportune
adsit, quod in hoc repositum est vt contingat, nulla huic rei
mora relicta ad successionem. Per angelum autem fit vatici-
nium seruo ipsius qui seruus testimonium perhibuit sermo-
ni dei & sermoni suo inquit. Hoc dicendi tropo quo suã ve-
ritatem docendo aptam ostendit & commendat, etiã in euã-
geliis vsus est dicens: Hic est discipulus ille qui testimonium
perhibet de his & scripsit hæc, & scimus ꝙ verum est testi-
monium eius. Sicut ergo in eo libro, ita & nunc dicit ꝙ te-
stis sit eius quod sibi demonstratum est, propter testimonia
datæ sibi à Christo Apocalypsis, testimonia dicens veluti
protestationes quasdam, protestando videlicet aduersus illos
quibus ipsi sermo erat, vt sese à peccato incõtaminatum red-
deret,

† ἴδημ μὴ ἰεσ ἀφί-χθαι ἀπο κείμενομ ἐυκαίρως παρὴ μη δὲ μιᾶς ὑπολιπο μένης τῶ πράγματι βραδύ τητος πρὸς κα

deret, ꝙ testis erat diuini sermonis per reuelationē sibi demonstrati. Quænam autem protestari ac prędicare oportuit, vt sese à peccato incōtaminatum redderet? Et quæ præsentia erant & quæ futura: quæ etiam tanquam prophetæ dicta, tempus præsens ac futurum manifestant? *Et quæcunque uidit.* In alio exemplari adduntur & hæc: *Et quæcunque audiuit & quæ oportet fieri posthæc.* Christus inquit mihi manifestauit tanquam dominus seruo suo: vt per ea quæ visa sunt protestarer ac prædicarem, ad conuersionem auditorum: & quæ sunt latentque homines, & quæ futura sunt: vtraque enim prophetice vidit: veluti ex eo manifestū est quod dixit, Quæ sunt & quæ oportet fieri. Nam hæc demonstratiua sunt tēporis præsentis ac futuri, circa quæ etiam est approbatio prophetarum.

A ταδοχῶν ἀποδεκτάτομ πῆσαοδη ἐυ πρeτις

B

Beatus qui legit & qui audiunt uerba prophetiæ & seruant ea quæ in ipsa scripta sunt. Tempus enim prope est.

Prudenter admodum beatos prædicat, non qui solum legunt: siquidem multi ita forent beati legendo: sed qui etiam audiunt, efficaci videlicet & operatiuo auditu: quibus etiam dominus testatus est vere esse auditum, quum his verbis de eis ait: Qui habet aures ad audiēdum audiat. Et quis est hic? Is qui habitu audiendi paratus est ad obseruādum & custodiendum tanquam diuinas leges ea quæ dicta sunt, qui etiā compositus est ad spiritualiter viuendum: non sicut animalis homo, siue qui iuxta sensualitatem eligit viuere, quemadmodum animalia sermone carentia: † sed qui despecto omni eo quod ad consuetam hanc & placidam viuendi rationē attinet, ad id quod in nobis diuinum est traductus, totus cōpositus est ad bonitatem ac prouidentiā eius qui ipsum initio formauit, propterea ꝙ ad suam imaginem ipsum effinxerit. *Tempus enim prope est.* Tempus siue opportunitas propinqua est ad beatitudinem: id enim contingit per accensionē charitatis eorum qui dei præcepta seruant: ideo quoque robur ac tolerantia in agendo circa ista his a [illegible]igitur, vt nihili ducatur temporis prorogatio aut innouatio, atque huius rei testis est septennis patriarchæ Iaacob ob vxorum susceptionē tolerantia, velut vnus dies reputata. Aut, tempus pręmiorum

Matth. 13. C

† ἀλλ' ἀτιμάσας μὲν πᾶν τὸ περὶ τὸ σύντροφον τοῦτο ζῆν καὶ χαρονικὸν, μετατάξάμενος δὲ πρὸς τὸ

θεῖον τὸ ζῆν ἡμῖν, ὅλος γέγονε τοῦ κατ᾽ ἀρχὰς τοῦ πλάσου ἐπὶ τὸ κατ᾽ εἰκόνα ἑαυτοῦ πλάσματι χρηστότητος καὶ κηδεμονίας.

D propinquum eſt, ſi cõferamus præſentis vitæ breuitatem ad futuri ſeculi interminabilitatem.

Iohannes ſeptem eccleſiis quæ ſunt in Aſia: gratia uobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui uenit: & à ſeptem ſpiritibus qui in cõſpectu throni eius ſunt. Et ab Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.

E Per ſeptem eccleſias numerumq́ue ſeptenarium, multitudinem ſignificauit eccleſiarum vbique locorum ſitarum, quę in præſenti vita ſibi mutuo cognatę ſunt: eo quòd ſeptenaria dierum periodus inchoata, habitantem in corruptibili creatura potentiam ſuam deſignat, vt quæ per omnia extéditur. Aut etiam ſuperuacaneum non exiſtimabitur, ſi in ſententiã eamus Philonis maximè contemplatiui viri Iudæi, libro ſuo quem ſcribit in philoſophiam Moſaicam. His auté eccleſiis etiã pręfectos æquali numero angelos beatus Iohannes nũc demonſtrauit. Porro quod dicitur Ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venit, tantundem eſt ac ſi diceret: A deo omnium noſtrum. Siquidem ipſe pater cum Moſe loquens in monte ſe-
Exo.3. ipſum nominat Qui eſt. Præſens aũt euãgeliſta protulit erat,
Iohan.1. & in euangelio ſuo quum dixit, In principio erat verbum, &
F in prima ſuarum epiſtolarum catholicarum quum ſcripſit de
1. Iohan.1. verbo vitæ, Quod erat ab initio. Porrò diuinum ſpiritum vocat Eum qui venit, veluti nõ ſolum die Pẽtecoſtes miſſum à patre, ſed ſemper ad eos accedentem qui digni ſunt ſuſcipere, etiam per ſanctum baptiſma. *Ab eo qui eſt.* Fortaſſis auté non erit abſurdum vt hæc quoq; ita intelligantur de patre, nempe Qui eſt & qui erat & qui venit: vt qui in ſeipſo contineat omnium quæ ſunt originem & media ac fines. *Et à ſeptem ſpiritibus.* Nonnulli ſeptem ſpiritus acceperunt ſeptem operationes ſancti ſpiritus. Eſt autem probabilius hos accipere angelos: nõ ꝙ cum omnipotenti trinitate comprehendantur, ſiue etiã æqualis eſſe cum ea honoris arbitrari oporteat: ſed ꝙ ei famulentur & obſequantur, ſi prophetis cre-
Pſal.118. dendum eſt atteſtantibus ꝙ omnia ſeruiant ipſi: & proge-
& 102. nitori dei Dauidi dicenti: Benedicite omnes angeli dei, potentes

tentes virtute, qui expletis sermonem ipsius. Et certe dicere A ꝙ simul comprehendere diuinitatem & naturam angelicã sit demonstrare æqualitatem esse honoris inter omnipotentem trinitatem & quæ omnis creaturæ autor est, ac ministerialem substantiam, non est intelligentis aut propemodum intelligentis, sed ignorantis vt opinor, ꝙ gaudeat ea creatura assistere dominatori, eique ministrare: quo schemate & Paulus in epistola ad Timotheum vtens, in hunc quodammodo loquitur modum: Obtestor in conspectu dei & electorum angelorum. Hoc igitur idem quoque prosequentis est. Quinetiam addere hoc loco, Qui in cõspectu throni dei sunt, attestantis est ministerialem ordinem, non æqualem ipsis honorem. *Testis fidelis.* Oportet subintelligere ὅς ἐστιν, i. qui est: vt sit sensus, Qui est testis. Considerandum est autẽ ꝙ prius de verbo diuino tanquam non incarnato loquutus, quum diceret Qui erat: nunc de ipso incarnato differit, dicens: Et ab Iesu Christo, non diuidendo ipsum in duos per hoc ꝙ subiũgit Et ab Iesu Christo, verum & hoc & illud de eodem, testificando & ꝙ patris sit & ꝙ incarnatus sit. Nam hoc significare vult nomen Christus: qui Christus iuxta b. Paulum testimonium tulit tanquam testis sub Pontio Pilato, quũ dixit ad eum: Regnũ meum non est ex hoc mundo. His itaque sermonibus excitat ad intelligẽdum ꝙ etiam deus sit qui tanquam homo conspicitur & hæc loquitur. Propter hoc igitur testis est: fidelis autem siue verax, deus & homo: ideo etiam tanquam homo mortuus est, surrexit verò tanquã de⁹: surrexit enim non sicut ij qui diuina virtute ab aliis excitati sunt, qui etiam rursum mortui sunt: sed sua potentia surrexit tanquam deus: & primus autor fuit perpetuæ ac interminabilis reuiuiscentiæ quæ ex ipso & per ipsum speratur. Ideo quoq; primogenitus dicitur mortuorum, quasi solus ipse auspicatus sit nobis huiusmodi gratiam bonorũ. Princeps autẽ regum terræ dicitur Christus, quandoquidẽ & Daniel Babylonico regi dicebat ꝙ regnaret excelsus & dominaretur regno hominum. Quod si hoc in diuina ac primaria intelligitur & cõspicitur dominatione, quid veritatis habebit aduersariorum sermo qui ait, vniuersa quæ diuino modo dicuntur de super substantiali trinitate, nulli seorsim trium personarũ appropriandum aut adaptandũ esse, præter illa quæ produ-

[Margin: I. Timo. 5. — B — I. Timo. 6. — Iohan. 18. — C — Dan. 5.]

D ctiuam siue personalem harum cognitionem inducunt, sed obstinate audet delirando asserere singulas trium personarũ seorsim vindicare sibi diuinam operationem? Et hæc quidẽ quum diuus Gregori⁹ acceperit vsum sermonum Qui est & qui erat & qui venit de filio: quasi aptè quadrent diuina nomina & communiter & particulatim tribus personis? Porrò id ex eo quoque manifestum est ꝙ sanctissimum hymnũ seraphicorum spirituum in euangelio quidem discimus ad filium referri, quem Paulus in Actis concionem habens spiri-

Luc.1. Acto.20. tui applicuit: nos verò iuxta patrum traditionem in tremẽda & immaculata hostia patri attribuimus, quemadmodum

E beatus Epiphani⁹ libro de spiritu sancto disserit *Et princeps regum terræ.* Non tantum super terrenos dominium habet, verumetiam super eos qui in cœlis sunt: atqui nunc de terrenis loquitur, in sequentibus autem ostẽdit eum etiam dominari sanctis ordinibus qui in cœlis sunt.

Ei qui dilexit nos, & qui lauit nos à peccatis nostris per sanguinem suum: & fecit nos regnum & sacerdotes deo & patri suo, ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Et qui lauit. Duplici modo hoc scribitur iuxta varium intellectum. Siquidẽ lauat is qui fœditates ac maculas lustrat

F aut expiat, soluit verò qui à propriis criminib⁹ liberat. Subaudiendum est autem ad verbum Fecit, Qui, relatiuus articulus, vt sit sensus: Qui fecit, nisi enim eo modo subaudiatur, propter solœcismum erit inepta loquutio: *nõ ergo ad propositum dandi casu referatur prolata sententia, sed ex recto subiungatur. ALIO MODO. Propositæ sententiæ ordinem si quis vt oportet absque defectu intelligat, cõnexionem adducet. Ostenditur enim hoc per schema nunc tradẽdum quod vocatur ἀλλοίωσις. Fit autem id, quando ad phrasim propositam subiungitur sententia quæ non coincidẽter ad ea quæ expressa sunt profertur, sed ad subsequentẽ intelligentiam commutatur. Siquidem ad datiuũ casum qui præpositus fuit in particula λούσαντι ἡμᾶς. i. lauanti nos, siue, qui lauit nos, subiunctũ est ἐποίησεν ἡμᾶς. i. fecit nos, cũ defectu articuli relatiui Absque defectu verò ita positũ fuisset, τῷ λούσαντι ἡμᾶς καὶ ποιήσαντι ἡμᾶς, nẽpe vtrũq; per datiuum.

* Hæc dicit eo quòd præcesserint duo participia in dãdi casu, nẽpe ἀγαπήσαντι καὶ λούσαντι. i. diligenti & lauanti.

tiuum. Quòd si etiã subsequẽs sentẽtia coincidẽter subiuncta fuisset in hunc modum: ᾧ καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς, id est per quem etiam fecit nos, nulla tunc fuisset nobis relicta quæstio. Porrò actionem quam protulit in verbo ἐποίησε necessario declinamus ad casum rectum, discere cupientes quis sit qui efficiat. Id autẽ quomodo cõsequuti sumus, nisi assumpto nominandi casu propter articulum qui deerat? Nam hoc modo nominatiuus rectus id effecisset, vt absque defectu intelligeretur ὃς καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλείαν, qui etiam fecit nos regnum, tanquam reduxerit nos ad regiam gloriam, quam gloriam consequens ascripta dictio apta est proponere. *Ipsi gloria.* Ordo sententiæ hoc modo à nouissimis redit ad prima: Ipsi gloria & imperium qui dilexit nos, & lauit nos per sanguinem suum. Quomodo enim? An non dilexit qui seipsum dedit in pretium redemptionis nostræ tanquam agnus iugulatus, ac per passionem suam sanguine & aqua lauit nos, siue purificauit à sordibus peccatorum nostrorum? Et ne hic quidem terminauĩt sua erga nos beneficia, sed regnũ nobis donauit: & quod regnum? vnde gloria nobis data est à Christo, vt efficeremur sacerdotes dei ac prophetæ, quum nihil obtulissemus quod dignum esset huiusmodi magnifico dono, ac diuino planè munere: quibus donis non in præsenti tantum assequuti sumus gloriam, sed & bonæ spei reddimur, quòd illam in futuro etiam consequemur.

A *quibus statim subiungitur siue relatiuo, καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς, id est & fecit nos.*

B

Ecce uenit cum nubibus, & uidebit eum omnis oculus, & qui ipsum compunxerunt. Ei plangent super eum omnes tribus terræ: Etiam Amen. Ego sum α & ω, dicit dominus deus, qui est & qui erat & qui uenit omnipotens. C

Qui hic veluti agnus iugulatus est, inquit, & sanguine suo lauit nos à peccatis, ipse eo modo veniet: nõ quemadmodum prius abscondite aut obtectè, quod etiã propheta Dauid per descensum pluuiæ super vellus sensim, & absque strepitu designauit: sed palã ac manifestè in paterna gloria, vt ab omni oculo videatur omnium iudex, nullis corruptus muneribus. Nubium autem hic quoque sermo fit, sicut in ascensu ipsius à terra ad cœlos? Lucas namque scribit in actis, nubem su- *Psal.71.* *Act 1.*

 scepisse

D ſcepiſſe dominum: Marcus verò in Euãgelio à ſe ſcripto in-
Mat.13. ducit ipſum dominum de ſeipſo dicentem; Et videbunt fi-
lium hominis venientem in nubibus cœli. Siue hoc loco nu-
bes ob leuitatem ſignificent ſublimes, & angelicas poteſta-
Pſal. 103. tes, quemadmodum & dei progenitor Dauid ſupponit ipſi
deo aſcenſum in nube: aut etiam ſignificent homines diuino
ac ſpirituali modo viuere eligentes, de quibus idem quoque
Pſal.17. ita loquitur: A fulgore eius nubes tranſierunt. * Et filius
Ieſa.60. Amos Ieſaias de eiſdem: Quinam ſunt iſti qui vt nubes vo-
lant, & quaſi pulli aquilarum? manifeſtum enim eſt quòd de
his figuratè hæc dicat qui piè viuũt, quod etiam magis ſuſci-
piendum eſt, ſi præſens quoque dictum coniectura aſſequi
æquum eſt, quo dicitur iudex venire cum nubibus, non autẽ
vehi à nubibus: cui cõformis eſt & Paulus, docens nos in nu-
bibus rapiendos obuiam Chriſto in aera, eos namque qui iu-
xta Pauli doctrinam vixerunt, vt ſemper cum domino ſint.
Quòd ſi etiã aliquibus melius videaĩ vt verè nubes fuerint,
quales fuiſſe feruntur, quæ in monte Thabor dominum, ip-
ſiuſque diſcipulos obumbraſſe dicuntur, nihil ob hæc opor-
tet contendere. Venturum autem dicit tali gloria dominũ,
vt ab omni oculo videatur, & ab his qui ipſius aduentum fi-
deliter ſperant, & ab illis qui præter ſpem ab illo circũdabũ-
tur: quorum illos quidẽ futurũ eſt inde lętaturos, iſtos verò
omnino plancturos. Porrò illos dicit compunxiſſe eum, qui
in crucis paſſione clauis & lancea eum vulnerauerunt, & eos
qui vnà cum ipſis & propter illos cõuitioſe in eum irruebãt.
F Porrò ad ea quæ dicta ſunt teſtimonium addens firmitatis,
veluti ſigillum adiunxit, dicendo: Etiam Amen: vt ex Græ-
corum conſuetudine ναὶ, id eſt etiam, dictorum immutabili-
tatem exactè abſoluat. Amen verò apud Hebræos ſubiungi-
tur, ad denotandum quòd nihil poteſt impedimentum præ-
ſtare, ne cõtingant quæ concluſa ſunt. *Qui eſt & qui erat & qui uenit omnipotens.* Quem in ſuperioribus dixit Qui eſt &
qui erat & qui venit, & nunc quoque vocat omnipotentem:
quem etiam non alium eſſe quàm Chriſtum oſtẽdimus: qua-
tenus ea quæ diuino modo, de eo quod verè ſuperſubſtãtia-
liter eſt in diuina trinitate, dicuntur, piè poſſunt indiſtinctè
attribui, rurſumque cuiuis perſonarum abſque vlla impieta-
te appropriari: hunc eundem rurſum inducit, poſtquam no-
uiſſimum

** Habuit quidẽ noſtrũ exemplar, ὁ ἀμὼς καὶ Ἠσαΐας: opinor tamen legẽdũ, ὁ τοῦ ἀμὼς Ἠσαΐας. i. Ieſaias filius Amos, ſicut infra cap. 12. habet, maximè quum etiam hic ſubiũgatur uerbum φησὶ .i. dicit, ſingulariter: quapropter germanã reſtituimus lectionem.*

uissimum suum aduectum significauit ipsi futurum, modumque quo hic futurus est, etiam hæc indicantem: *Ego sum α & ω*. A, ab eo quod principium sit: siquidem A quoque initium est in scriptura elementorum: ω, propter finem eorundem. Principium autem & finem quis nō intelliget significari per hoc quod dicitur primus ac postremus. * Per hoc autem quod ait Primus, intelligitur non habere initium, quemadmodum etiam per hoc quod ait Postremus, carere fine. Quoniā enim apud homines non contingit, vt aliquid initio careat ac fine, vsus est principio ac fine quæ apud nos sunt, pro eo quod est Sine initio ac fine, hoc est perpetuus. Hæc etiam per Iesaiam dixit: Ego dominus deus primus, ego etiam post hæc. Et ne quis principium ex non entibus introduci suspicetur, subiūgit nunc Qui est & qui erat & qui venit. Quid autem hæc sibi velint dictum est, nempe quòd veluti perpetuitatem demonstrent, tum ab initio tum ex fine: ab initio quidem, quòd nihil ei præcedentium temporum desit: ex fine verò, quòd successione careat. Ad hæc autē est omnipotens, tanquā vniuersæ sensibilis creaturæ autor & inspector, coęternus patri, qui reddit vnicuiq; secūdū opera sua. Quum autē paulò antè in humilioribus ac humanis versaret, nūc etiā diuiniora, deoq; digna attīgit: quod etiā faciebat inchoatur præsens negotiū: sed ibi quidē nō ita perspicuè, hoc autē loco liberius loquēs. Et talia dicit, qualia consentaneum erat eum de diuinis dicturū esse, qui à sanctis prophetis dicēdi ansam assumpserat.

A

*Hinc uidetur autor hic legisse ī textu additū; ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος. i. primus ac postremus quēadmodū ultimo huius libri capite additum est.

B

CAPVT II. *Visio in qua Iesum uidit in medio septem candelabrorum.* C



*Go Iohannes frater uester & particeps in afflictione & regno ac patientia per Christū Iesum, fui in insula quæ appellatur Patmos, propter sermonem dei & testimonium Iesu Christi. Fui in spiritu dominico die, & audiui post me uocem magnam tanquam tubæ dicentis: Quod uides scribe in libro, & mitte septem ecclesiis * quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ & Pergamo, & Thyatiræ & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.*

* Mēdum īdubiè fuit quod nostrū exēplar

plar D nõ habuit ταῖς ἐμ τῇ ἀσίᾳ .i.quæ fũt ĩ Asia:quæ ĩ cõmẽtariis aperta fiat:hor ũ mentio: ideoq; suo loco id restituimus. *Et lib. E 3.ecclẽ. histo. cap. 18.

Fratrem seipsum vocat & participem in afflictionib⁹,quas propter dei sermonem & prædicationem passus est à persequutoribus pietatis: ideo quoque condemnatus est,vt in insulam Patmon migraret. Sed quemadmodum in afflictionibus particeps fuit, ita & in regno quod toleratę nunc pro Christo afflictiones conciliant. Si igitur in omnibus seipsum esse participem ostendit,æquum est vt etiam fidedignus habeatur in his quæ à se visa sunt & audita. *Propter sermonem dei.* Sermonem dei ac testimonium dicit Euangelium quod scripsit. Ipsum autem in Patmo insula relegatum fuisse sub Domitiano, autor est Eusebius Pãphili in suisChronicis. * *Fui in spiritu.* Additur In spiritu, eo quod nihil quod humanæ obnoxium est necessitati efficere possit manifestationem,sed quæ diuino affectu occupantur. *Dominico die.* Qui videlicet memoriale adfert resurrectionis Christi. Ex quo etiam verisimile est nihil eorum, quæ ad nouum vergunt studium oraculo tractari. Vocem autem tãquam tubæ à tergo auditam fuisse innuit, eo quod acer ac penetratiuus sonus opportunè missus sit ad omnem ecclesiam. Porrò septem tantum ecclesiis mittere iubetur scripta quæ vidit, nõ quod totidem sint in Asia ciuitates, sed illis iubetur hæc mittere, vt quæ euangelicam prædicationem susceperant. Aut etiam veluti latius de his dictum est, eo quod numerus septenarius cognatus sit huic corruptibili seculo, respondens etiam requiei futuri seculi. Ideo quoque septem cœlos ac septem angelos cæteris superiores scripsit magnus Irenæus Lugdu-
F nensis episcopus. ALIO MODO. *Fui in spiritu dominico die, & audiui uocem.* Videre & Audire non oportet apud diuinos prophetas sensuum operationes intelligere, sed diuiniores
Iesa.56. species de quibus etiã loquit Iesaias filius † Amos: Erigit mihi mane,mane erigit mihi aurẽ ad audiẽdũ, & disciplina domini aperit aures meas:id autẽ nõ de homine qui iuxta carnem est intelligit,sed de eo qui est secundũ spiritũ.qui etiam deo curę est,& qui persistere solet princeps vniuersę sensibilis creaturę. Geminauit aũt hoc loco ꝓpheta Mane (quẽadmodũ etiã apud alios ꝓphetas, qui aiunt: Mane exaudi vocẽ meam,& Mane adstabo tibi:& Mane mane)nõ frustra,sed vehemens studium à tempore demonstrans, ad quod etiam tẽpus diuinæ quoque operationes libenter solent accedere.

† Indubiè etiã hic legẽdum est ὁ τοῦ ἀμὼς ἠσαΐας & non ut habuit nostrũ exẽplar.

Et conuersus

Et conuerſus ſum ut uiderem uocem quæ loquebatur mecum: & conuerſus uidi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum ſimilem filio hominis, ueſtitum ueſte talari, & præcinctum ad mamillas zona aurea: caput uerò eius & capilli alba erãt ſicut lana alba, & tanquam nix: oculi quoque ipſius ſicut flamma ignis: & pedes eius ſimiles chalcolibano, uelut in camino ardentes. Et uox eius tanquam uox aquarum multarum. Et habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas: & de ore eius gladius ex utraque parte acutus exibat, & facies eius ſicut ſol lucet in uirtute ſua.

A *plar,* ὁ ἀμὼς καὶ ὁ ἠσαΐας *.i. Amos & Ieſaias, maximè quũ uerbũ addat ſingulare* φησὶν *.i. ait uel loquitur, quare auſi* B *ſumus eã lectionem reſtituere.*

Quod non ſenſibilis fuerit vox, ſed quales ſunt prophetarum informationes principali ſpiritu factæ, manifeſtat dicens, Conuerſus ſum non vt audirem, ſed vt viderem. Idem enim eſt ſpiritualis auditꝰ cũ viſu ſiue proſpectu: ideo quoq; dixit vocem ad ſe loqui, hoc eſt diſponere quod ſupponitur. Simul autem ad hæc ſubaudiendus eſt articulus ad ſententiæ perfectionem, vt ſit ſenſus: Vocem eius qui loquebatur mecum: neque enim vox videri poteſt, ſed is qui loquitur. hoc eſt, conuerſus ſum vt hunc viderem, cuius vox loquebatur mecum. Ita namque ordinata ſententia, erit manifeſta & abſque omni defectu. *Septem candelabra.* Septem itidem candelabra, ſicut in ſequentibus dicet, ſunt ſeptem eccleſiæ ad quas etiam ſcribere iubetur. has autem candelabra vocauit non lucernas, quòd candelabrum proprium non habeat lucem, ſed vehiculum duntaxat ſit lucernæ, quæ lucem habet. Ideo quoque ſacer Apoſtolus Paulus exhortatur confor mes Chriſto præceptores, Vt ſint veluti luminaria in mũdo, ſermonem vitæ continentes, hoc eſt qui à ſcaturiente Chriſto lumen incorruptum ſuſceperunt. ad quem dictum eſt: Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis, hoc eſt angelicis fortaſſe virtutibus: &, Emitte lucem tuam & veritatẽ tuam: &, Illuminatio vultus tui domine, quæ ſpiritualiter credẽtes illuminat. Eos ergo qui huiuſmodi lucis participes effecti ſunt, exhortatur vt alios illuminent luce diuinę cognitionis.

C *Philip. 2. Pſal. 75. 42. 43.*

Aurea. Aurea dicit cõſtituta fuiſſe cãdelabra, propter pretium

D tium & excellentiam eorum qui meruerunt diuinam suscipere lucem: qui etiam luminaria à Paulo dicta sunt, quemadmodum & candelabra vehiculum sunt lucernarum. nam hæc ex seipsis lucem non habēt, sed participes quodammodo sunt eorum quæ à seipsis habent vt luceant. *Et in medio septem candelabrorum similem filio hominis:* tanquam videlicet denuntiantem quòd in nos inhabitet ac inambulet: qui etiā
Philip.2 seipsum demisit vsque ad formam serui, factusque est fruct' ventris eius matris quæ nuptialis thalami expers erat. Ait quoque eum vestitum fuisse veste talari, & præcinctum ad mamillas tanquam sacerdotem iuxta ordinem Melchisedec, non iuxta ordinem Aharon: quoniam non est iuxta Mosi legem cultus, qui ab ipso nobis traditus est, sed iuxta nouum
E ordinem Melchisedec: de quo etiam dixit diuus Paulus pō-
Heb.8 tificem & Apostolum datum nobis esse Christum, qui seipsum in sacrificium obtulisset, & introduxisset ad deum patrē ac spiritum, nostræ fidei cōfessionem. *Et præcinctum ad mamillas.* Præcinctum ad mamillas dicit, nō autem ad lumbos; quia neque hic fertur appetitionibus, quæ sub ventre generantur, quas cæteris hominibus salutare est coercere. Propterea neque ad eas partes cinctus est ad quas his pateat accessus, eò quòd deus his ineffabili modo sit obseptus, sed ad pectus & mamillas, vt benignitas & humanitas iustam ac diuinam iram contineat, quæ tolerari non posset: & veritas ostendatur quæ duo cingit testamenta, tanquam domini vbe-
Iez4.11 ra quibus fideles aluntur: de quo etiam dictum est: Et cinget
F iustitia lūbos eius, & veritas inunget latera eius. Iustitia quidem lumbi cincti dicuntur, ne ferantur in excessum supra rationalem naturam: veritate autem inuncta latera tanquam diuino oleo, eo quòd veritas humanitatis circa suam creaturam liberè agat & loquatur. *Zona aurea.* Auream intuere zonam, quemadmodum legales sacerdotes palliis vtebantur variegatis. Oportuit enim diuersitatem manifestari inter seruos, siue legem vmbratilem & veritatem. *Caput uerò eius & capilli alba erant.* Siquidem mysterium in Christo peractum splendidum est: & quanquam recenter apparuerit propter nos, attamen decreti beneplacito fuit æternum. Propterea
Colo.1 quoque ait de ipso Apostolus: Mysterium quod absconditū fuit à seculis, nūc autem manifestatum est sanctis eius: quod designat

designat canus capillus & in modum niuis. *Oculi verò ipsius tanquam flamma ignis.* Aut lucis speciē præ se ferentes in mo- A
dum flammæ: Ideo etiam dicit Christus, Ego sum lux mundi: aut ardorem & vltionem comminantes aduersus ecclesias ad quas verba reuelationis transmittuntur, tanquam non integrè suis legibus respondentes. *Et pedes eius similes chalcolibano.* Animaduertendum est Iesum deum & hominem pedes habere, iuxta diuinum virum Gregorium in sermonibus, quia neque nuda diuinitate ad nos accedere potuit, sed per carnem. Porrò diuina natura significatur per chalcolibanum, quod verè auri speciem habet, & propter sonoritatem prædicationis quæ suscipitur. Per pedes autē Christi, & fundamenta ecclesiæ & diuini Apostoli accipiendi sunt, qui & ipsi puri ostensi sunt igne tribulationum, quanquam non exactè si ad hunc conferantur: sed tamen quemadmodum magister eorum Christus Iudæorum contumacia, ita & hi Gentium ferocitate sui explorationem tanquam per ignem demonstrarunt. Quòd autem & Christus sit fundamentum diuus Apostolus asserit scribēs ad Corinthios, fidedignus qui suo sermone fidem rei faciat: Fundamentum, inquit, aliud nemo potest ponere præter id quod positū est, quod est Christus. Chalcolibanum verò dicit, siue in monte libano fabrefactum: quādoquidem huic assimilatur is qui incarnatus est: siue etiam intelligendus est libanus æris speciem habens, quem medici masculum appellant, qui & ipse igni adsimilis, suffumigationes suauis emittit odoris. Et quòd suauis quoqꝫ odoris sit Christus diuiniq́ue ipsius Apostoli, sponsa in Canticis digna est quæ fidem faciat: Odor, inquit, vestimentorū tuorum super omnia aromata: & ipse spōsus Christus de seipso loquitur ad sponsam, Ego flos campi & lilium conuallium. Et ita quidem Christus. Porrò suauis quoque fragrantiæ sunt ipsius Apostoli: ideo etiam ait Paulus, Christi bona fragrātia sumus in his, qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Meritò autem vocem eius in modum aquarum multarum dicit resonare: siquidem communis est ipsius vox & spiritus: ex cuius operatione flumina de vētre eius fluxerunt, iuxta propheticum sermonem. & fons de domo domini egredietur, ac irrigabit torrentem iuncorum. Quis autem ambigat ab hoc donum dei eos appellatos esse, qui sese dignè præpararunt ad spi-

Margin: Iohan. 8 — B — 1. Cor. 3 — C — Can. 4. b — 2. Cor. 2 — Iohan. 7 — Ioel. 3

D ad spiritus operationem,& qui etiam dixerunt sese esse tem-
1.Cor.3 pla dei & membra de membro? profectò nō alius quàm qui
6.12. diuina hæc & rationalia templa sponte ignorauerit. Et quis claritatem soni terram totam peruagantis poterit aspernari, nisi is fortasse qui in porci morem spirituales ac diuinas illustrationes sensibiliter fieri postulat? *Et habebat in dextera sua septem stellas.* Has septem stellas hic ipse in progressu septem angelos interpretabitur,quorum etiam singulos singulis ecclesiis præesse dicet:& diuus Gregorius in suo coordinationum libro idē adstruit, ex hac Iohannis Apocalypsi rem facere nitens nobis credibilem. Stellas autem vocat angelos, propter lucis abundātiam quam in ipsis Christus diffundit. & eosdem dextræ manus situm nactos esse dicit, vtpote di-
E gnissimo requiescentes ordine. De ore autem eius gladium vtraque parte acutū dicit egredi;Atqui dei progenitor præ-
Psal.44. cipit,vt hunc super fœmur suum potens accingat:quia nondum eo tempore vltio inflicta erat transgressoribus legum euangelicarum:idcirco ille vt cunctationem supplicij demonstret, super fœmur interim gladium suspendit: nunc autem egrediens ex ore gladius summam designat promptitudinem eorum quæ ineuitabili animæ periculo, in eos qui sub nouo testamento sunt inobediētes,acriter irruunt,ad diuisionem videlicet in duas partes: quam etiam dominus in
Mat.24 euangelio designauit, comminatus negligentem seruum es-
Heb.4 se diuidendum.& Paulus viuentem dicit punitiuum dei sermonem & efficacem ac gladio penetrabiliorem,veluti ex o-
F re procedentem,ac pertingentem vsque ad ossa & medullas, quanquam non sensibiliter: vnde etiam gladius hic acutus à Iohanne descriptus est,quod in idem redit cum gladio maximè penetrabili à Paulo posito. Tanquam solem verò lucere ipsum ait in virtute, quoniam sol quoque dicitur iustitiæ
Mala.4 apud Malachiam prophetam, qui illuminat omnem hominē
Iohan.1 veniētem in mundum. Non autem sicut corpus perspicuum sensibiliter illuminat,sed iuxta intellectū: ideo quoque subiungit,In virtute sua: ac si diceret quòd lux Christi virtute operatur,non aspectu corporali, sed oculos animæ spiritualiter illuminans.

Et quum uidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus:

mortuus: & posuit dexteram suam super me, dicens: A
Noli timere: ego sum primus & nouissimus, & uiuus
& fui mortuus, & ecce sum uiuens in secula seculorũ,
Amen. Et *habeo claues mortis & inferorum.*

Moris est sanctis prophetis, vt quum visionem intuentur obstupescant ob vehementem abiectionem conditionis humanæ: videntes quantum diuina humanis sint meliora, eaq; præcellant ac excedant. Quod Iesu illi Naue cōtigit, ac Danieli viro desideriorum. Illi quidem ad summum exercitus dominici visum ducem, huic autem ad ostensas sibi visiones. Itaque his affine quiddam etiam nunc contigit euangelistę, qui ait se roboratum fuisse salutari manu filij dei, quæ ipsum tetigit post diuinum consolationis factum ad se sermonem, nempe declarando quòd primus sit ac postremus: primus diuina natura, postremus salutari facta nobis ipsius præsentia: quodque viuus sit, etiam si propter nos fuerit mortuus, attamen viuit & claues habet mortis ac inferni. Quum igitur talem habeat auxiliatorem, iubet ne formidet, vtque illi adhęrens qui viuit in secula sempiterna, non vereatur, sed absque vllo metu scribat ea quæ vidit, & quæ sunt & quæ ventura sunt, hoc est præterita ac præsentia: nam hæc dicuntur esse quidem, sed nondum transisse in interitum: vnà autem cum his ea quæ futurum est, vt fiant ad cognitionem transeuntiũ. *Iosue.5* *Danie.7* B

Noli timere. Visione consternatus euangelista, & veluti mortuus ante pedes eius quem viderat constitutus, audisse se dicit, Noli timere: quasi nequaquam viuere potuisset sacer Iohannes præ stupore, nisi salutari dextera tactus fuisset, soloque tactu illa fuerit operatus mirabilia. Nam ego, inquit, sum ob salutem omnium vestrum nouissimis temporibus ad vos cũ carne cōuersus, & primogenit⁹ omnis creaturę. Quomodo igitur possibile esset vt mali quippiam ex mea apparitione patereris? Nam si viuo ac fons vitæ sum: & quanquam propter vos mortuus sum, rursum tamen conculcata morte reuixi: quomodo possibile esset, vt tu qui viuis, propter me & mei aspectum moreretis? Quòd si etiã claues habeo mortis ac inferni, ideo quoque viuifico & mortifico, deduco ad inferos ac reduco, meique sunt, vt ait Propheta, trãsitus mortis: nequaquam meos cultores antequam expediat mittam C *Colos.1* *1.Reg.2* *Psal.67.*

in mortem

D in mortem, nisi primum ad scribendum admoueam ea quæ cognitione digna sunt.

Scribe quæ uidisti & quæ sunt & quæ futurum est, ut fiant post hæc. Mysterium septem stellarum quas uidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. Septem stellæ, angeli septem ecclesiarum sunt: & candelabra septem, septem ecclesiæ sunt.

Quæ à sancto visa sunt, partim quidem iam facta sunt, quę etiam iuxta tempus iam terminum sortita sunt, non tamē ita vt etiam in interitum iam abierint, ideo quoque de ipsis dixit, Quæ sunt: partim verò in promptu sunt, vt transeant: rursumque de nonnullis futurum est, vt fiant, veluti in sequentibus sermo explicabit. *Mysterium septem stellarum.* Quoniam ipsi significauit quænam sint septem stellæ & lucernæ ac candelabra, huius quoque gratia ipsum erudit quænā singulis dicturus sit ecclesiis. Stellas autem vocat angelos ecclesiarum præfectos, vtpote lucem sortitos ab ipso sole iustitiæ: quod etiam opinatus est quispiam eorum qui forinsecus sunt sapientes de sensibili sole, nempe quòd ab ipso stellæ lucem acciperent. Lucernas verò siue candelas, viros sacros ad hoc ordinatos, vt Christi illuminationem locupletarent, & ignorantiæ tenebras quæ in præsenti vita sunt dispergerēt. Porrò candelabra ipsas ecclesias tanquam ferentes luminaria,

Philip. 2 qui sunt præceptores iuxta Paulum sermonem vitæ continentes: vniuersa verò aurea, propter synceritatem ac dignitatem latentis in ipsis fidei. Quòd etiam cuique ecclesiæ præfectus sit angelus etiam Gregorius Theologus, vt diximus, citata autoritate confirmauit. Cæterum quoniam hæc manifestauit, & quæ ad quamlibet ecclesiam, eorum qui hic vocati essent à deo protestaretur: subiungit deinceps & quomodo hanc quidem penitus extra diuinam voluntatem gradientem redarguere oporteat: missus autem sit vt collaudet cœtus, in quibus iuxta euangelium curritur: eas autem ecclesias quæ in parte impegerunt, corrigat mutuarum admonitionum remediis. Et quis hæc vaticinatur, præterquam is

1. Tim. 2 qui vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire? Cui autem hæc indicauit? Diuino sanè euangelistæ

E

F

gelistæ Iohanni per Apocalypsim, id est, reuelationem quæ nunc est præ manibus. *Septem stellæ, angeli septem ecclesiarū sunt.* Per angelum cū ecclesia differit, queadmodum si quis per pædagogum cum eo loquatur qui ab illo gubernatur, sciens ꝙ soleat præcepto propria ducere ea quæ sunt discipuli, siue preclara sint facinora, siue etiam lapsus quidam. Verisimile est autem & per septem stellas quæ in dextera erāt ei qui hęc vaticinabatur, significari gubernationē vniuersi quę in manu Christi sita est: iuxta id quod in psalmis canitur, In manu ipsius sunt fines terræ, & excelsa montiū ipsius sunt. Psal.94. A

CAPVT III.

Quæ scripta sunt ad angelum ecclesiæ Ephesiorum. B

Angelo Ephesinæ ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui tenet septē stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. Noui opera tua & laborem tuum & patientiam tuam: quodq; non possis sustinere malos, & tentasti eos qui se dicunt esse Apostolos & non sunt, & inuenisti eos mendaces, & patientiam habes: & sustinuisti propter nomen meum, nec defecisti. Cap.II.

Angelum Ephesi dicit ecclesiam quæ ibi erat. Neq; enim pręfectus angelus peccauerat, vt audire eum oporteret, Age pœnitentiam: qui ob sanctitatem stella dicitur in dextera domini existens: hoc etiam ferens indicium lucidi splendoris, qui ex natura ei ob puritatem conuenit. Quid etiam necesse esset ei scribere, qui præsens est in dextera loquentis? qui nec sensibili auditu egebat vtpote naturæ intellectualis. Pręterea quoque manifestum est quòd sanctus hic ecclesiæ dux in progressu ait, quid spiritus sanctus, non angelis, sed ecclesiis dicat. Et in cæteris similiter præsentis libri locis, vbicunque inuētum fuerit, Scribe hæc angelo talis ecclesiæ, quòd non angelo, sed ecclesiæ sermones scribere iubeatur, pari modo manifestum est. *Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* Simile est ac si diceret: Hæc dicit qui complectitur & imperat, ac continet tum humanos angelos, tum homines qui sunt in terra: nā hi septem stellæ sunt, vt iam dictū est, & aurea candelabra ac lucernæ, in medio C

D dio quorum inhabitare & inter eos inambulare annunciatur
dominus. *Noui opera tua.* Noui,& nihil me latet,inquit,qui
Psal.32 singulatim formaui corda vestra,& cognoui omnia opera ve
stra,& ꝙ malos audire non potes,sed natura odisti quod ma-
lum est,quodq́; tentasti eos qui se dicunt esse Apostolos, &
inuenisti eos falsos Apostolos. Siquidem Ephesini diuinum
cōplentes præceptū,quo dicitur nō omni credendū esse spi-
1.Ioh. 4 ritui,sed probādos esse spiritus num ex deo sint,hoc est num
data sit ipsis docendi dignitas iuxta præscriptum euangeli-
cum,in simplici rerum vsu agebant,non autē cibis & potu ac
nuptiis insanientes, vitamq́; voluptuosam temperanti præfe-
rentes:qualis erat Cerinthus, Apostolo & euangelistæ σύγ-
χρονος,dogmatum adulterinorum ānnūtiator. *Et patientiam*
E *habes.* Laborasti,inquit,& tolerasti, nulla fatigatione animū
deiiciens ob ea quæ propter nomen meum irruerunt:Et re-
Galat.6 ctē admodum. Siquidē dictum est, Inuicem alij aliorum o-
nera portate,& sic complete legem Christi. Verisimile enim
est ꝙ à pseudoapostolis fuerint ipsis illatæ cōtumeliæ, qui-
bus omnino vices rependere non meditabantur, sed huius-
modi tanquam luxata ac debilia membra sustinebant. *Et su-
stinuisti.* ἐβάστασας, id est tolerasti, οὐκ ἐκοπίασας verò.i. nō
defecisti præ labore & fatigatione: & quasi diceret, Nō de-
sperasti,nō dimisisti aciem nō es factus desertor. *Propter no-
men meum.* Nomen vocat famam & gloriam:sicut etiā quum
Psal.8 dicitur, Admirabile est nomē tuum. An non gloria plenum
est,quòd non conentur Christiani malum referre pro malo?
F quemadmodum etiam diuus Paulus exhortatur, dicens: Ne
2.Cor.6 declinetis ad incredulos.

*Sed habeo aduersum te,quòd charitatem tuam pri-
mam reliqueris. Memor itaque esto unde excideris,&
resipisce ac prima opera facias. Sin minus, ueniam tibi
citò, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi
resipueris. Sed hoc habes quòd odisti facta Nicolaita-
rum, quæ & ego odi. Qui habet aurem audiat quid
spiritus dicat ecclesiis. Vincenti dabo edere de ligno
uitæ,quod est in paradiso dei mei.*

Quum in duobus ecclesiam cōmendet, nempe in tolerā-
tia do-

tia doloris & neglectu molestiæ ab aduersariis illatæ, de hoc vno indignatur: quo etiam in medio illorum duorum posito, nempe molesti laboris ac tolerantiæ, alienationem à malis collaudauit, vnà cum eo quòd & pseudoapostolos tentauerit & Nicolaitarum obscœnitatem. Accusat autem negligentiam in insumendo, vt proximis necessaria suppeditētur, quod rursum iubet reuocari. Prima, inquit, opera fac iniustitia. Neque enim me latent, inquit, aut prima tuarum actionū bona, aut ꝙ charitatem erga indigentes contraxeris. Reuertere igitur, quum à me didiceris te defecisse. *Veniam tibi cito.* Quod ait Veniam, nō progressiuum significat motū dei qui omnia replet, sed conuersionem ad socordiæ vltionem. Motus autem ecclesiæ est à diuina gratia denudatio, propter quam in salo ac vndarum iactatione ab hominum prauitate constituitur: adeo vt homines qui eiusdem sortis cum hac sunt ecclesia, dicant: Conturbatus est in ira oculus meus. &c, Cor meum conturbatum est in me. *Sed hoc habes quòd odisti facta Nicolaitarum.* Inter tristia ponit etiam ea quæ consolationem adducunt, ne abundantiori tristitia absorbeatur ecclesia. ait ergo: per pœnitentiam ego facile te recipiam, eo quòd te mihi conformem habeam in odio aduersus Nicolaitas. Hi autem cognomen accipiunt à Nicolao vno ex septem diaconibus. Quinam autem fuerint & eorum obscenitates liber Panarion Epiphanij diuini ex Cypro viri manifestat. ALIO MODO. Motum candelabri interpretati quoque sunt nōnulli sacerdotalem Ephesinæ ecclesiæ sedem, quòd ipsius dignitatem tradiderit Constantinopoli. *Qui habet aurem audiat.* Quisque homo aurem habet carnalem, spiritualem verò is qui diuino afflatur spiritu, quę Iesaiæ addita est deique progenitori Dauidi, vt obediens esset. Vnde etiam grato animo affectus, dulciter canit: Ad auditum auris obsequutus est mihi: hoc est in his vnde auditus fert aliquid laudabile, ad meum accessit desiderium. Hæc autem ait spiritum dicere, aut quòd spiritualiter operabatur, demonstrans quæ sunt huius reuelationis. Aut spiritum dicit Christum, quatenus est & intelligitur deus: quemadmodum re vera quoque filius hominis appellatur, quatenus est & intelligitur homo. Quòd autem spiritus dicatur deus, ipsius Christi, ad Samaritanam verba demonstrant, dicentis:

A

B

Psal.30. & .54.

Heres.25 tom.1.li.1

C

Iesa.50

Psal.39. & .17

Iohan.4 Spiritus est deus,eos & qui adorant eum,in spiritu & verita-
D te oportet adorare. Et quid est quod dicit spiritus? *Vincenti dabo edere de ligno uitæ.* Vincenti in bello quod aduersus dæmones geritur, quod per insitos nobis affectus excitari solet. Lignum verò quòd est in medio paradisi ac paradisum, tropice accipi oportet beatam ac perpetuam vitam, in qua est abundans sapientiæ diffusio: de qua etiam ait Solo-
Proue.3 mon: Lignum vitæ est iis qui amplectuntur ipsam. Præsens
Iohan.1 autem euangelista de Christo dicit quòd sit deus ac vita æ-
1.Iohā.3 terna: qua futura interminabili fruentur sancti in paradiso.

Dei mei. Ne quis hæc audiens offendatur. Siquidem cuncta humilia conueniunt dei & hominis salutari dispositioni
E propter nos factæ: quandoquidem in euangeliis quoque ait
Iohan.20 ipse: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum,& deum meum & deum vestrum: tanquam ipsius quidem natura,horum verò adoptione.

CAP. IIII.

Quæ significata sunt angelo ecclesiæ Smyrnæorum.



T angelo ecclesiæ Smyrnæorũ scribe: Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus & uiuit. Scio opera tua & afflictionem & paupertatem,sed diues es: & blasphemiam eorum qui se dicunt Iudæos esse & non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Nihil horũ timeas quæ passurus es.
F *Ecce missurus est diabol⁹ aliquos ex uobis in carcerẽ, ut affligamini, & habebitis afflictionem dierum decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesiis. Qui uicerit,non lædetur à morte secunda.*

Primus & nouissimus est Christus, vtpote deus & homo: primus diuina natura,nouissimus tanquam postremis diebus propter nos homo factus. Fuit quoque triduo mortuus,rursumque sua resurrectione viam nobis aperuit resurrectionis ac vitæ. Et quid hic ait? Scio opera tua & afflictionem & paupertatem, quæ propter me sustines pulsatus ab incredulis. Ne igitur dum affligeris & paupertate premeris, dicas & ipse

ipse: Quid est quod ieiunauimus & non cognouisti, humiliauimus animas nostras & non attendisti? Quanquam enim hæc ita sint, attamen diues es, in spiritualibus thesaurum habens absconditum in agro cordis tui, qui est Christus, propter quem etiam diues es, vtpote hunc habens protectorem, qui & ipse quum diues esset, propter nos pauper factus est. Iesa.58 A


Scio opera tua, videlicet bona, & afflictionem propter ipsa illatam, ac paupertatem quæ ob inuidiam à blasphemis Iudæis cooperatoribus diaboli in vos inducta est: qui solo nomine Iudæi sunt, veritate autẽ & re ipsa sunt synagoga diaboli. Sed quanquã ob violentiam pauper efficiaris, mihi tamen repositus, qui sum dispẽsatór omnium bonorũ, diues es. Iccirco nihil metuas eorum quæ tibi inferenda sunt à cooperatoribus diaboli, qui vos affligent, quorum breuissimus ac vnius diei est impetus, & quantum erit si etiã decem æquetur diebus? Esto itaq; tolerans neque deficias vsque ad mortem, vt propter illa accipias coronam vitæ. *Et blasphemiam.* A communi sensu repetendum est Scio, vt sit sensus: Scio opera tua, scio & blasphemiam eorum qui verbo Iudæi sunt, re autem ipsa sunt synagoga Satanæ. Neque enim qui in manifesto Iudæus fuerit, is verè Iudæus est, sed qui in occulto & circuncisione cordis, qui per ablationem materialis pellis quæ circundare conspicitur membrum genitale, seipsum tota vita immutasse designatur, & in anima exornatus esse ad diuina. Nam si Iudas interpretatur confessio, Israel autem mens quæ deum intuetur: hi omnino veri sunt Iudæi & Israel, qui Christum confitentur siue gratias agunt ob magna beneficia, quibus affecti sumus per aduentum eius in carne ad nos. Nam hoc significat illa confessio: Israel verò qui assequutus est vt deum mente videat, qui nulla re obscuratur qua prius solet occupari. Itaque neque Iudæi sunt, neque Israel, qui non conuersi permanent in incredulitate, sed blasphemando ostendunt se synagogam esse Satanę, capti ab illo ad ipsius voluntatem, tanquam ab ipso expugnati. *Non lædetur à morte secunda.* Exactè loquendo hoc dictũ est Quũ enim duæ sint mortes, prima naturalis est, nempe animæ separatio à corpore, secundum iustã & ineuitabilem omnipotentis dei senteńtiam, putà Terra es & in terram reuerteris. Hanc mortem omnes homines absque vlla exceptione iusti

B Rom.2 C 2.Tim.2 Gene.3.

D ac peccatores subimus. Rursum verò secunda mors, maiorē adferens cladem, per peccatū inducta est, quam illecebræ vitæ lasciuæ, carnalis ac volptuosæ hominibus suppeditare solent: ideo quoq; dominus eos, qui hanc insequuntur mor-
Matth. 8 tuos appellat, quum ait: Sine vt mortui sepeliant mortuos
Luc. 9 suos. Hanc mortem, nempe vitam affectibus deditam, qui vicerit, non recipiet damnum à morte gehennæ, transeundo ad mortem interminabilem.

CAPVT V.

Quæ designata sunt angelo Pergamorum.



E *T angelo ecclesiæ Pergamorum scribe. Hæc dicit qui habet gladium utraq; parte acutum: Noui opera tua, & ubi habites, nempe ubi thronus est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meā, in diebus quibus Antipas testis meus fidelis, qui apud uos occisus est, ubi Satanas habitat. Sed habeo aduersum te pauca, q̄ habeas ibi tenētes doctrinam Balaam, qui docuit Balac, ut poneret offendiculum coram filiis Israel, quò ederent idolis immolata & scortarentur: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum similiter.*

Gladium vtrinque incidentem dicit aut sermonem euangelicum, auellentem quod superfluum est in præsenti vita, &
F quod à natiuitate nobis tenebras offundit, ne diuina prospiciamus: aut seueram aduersus impios sentētiam. Ex eo autē quòd hic gladius præter hoc quòd vtrinq; incidit etiā acutus dicitur, adhuc etiā accelerationem indicat ad eorum vltionē qui diuinis iussis non obtemperant. Thronum vero Satanæ vocat Pergamum, vt quæ idololatriæ dedita erat supra omnem reliquā Asiam. Itaque quum etiam huiusmodi locū inhabites, inquit, incorruptam seruasti meam fidem, in nullo euersa ex vicinitate malorum, neque iniquos æmulata es,
Psal. 72. visa pace & abundantia iniquorum. *Antipas testis meus.* Antipas testis, Pergami tulit testimonium, cuius in hunc vsque diem seruatur martyrium, quum multa liberè loquutus fuisset aduersus insidiatores: & quantum in ipso fuit.

fuit, vsque ad mortem processit, de cuius fortitudine euangelista nunc fecit mentionem, vt productam in medium illius virtutem & patientiam ostendat fidelibus, vnà cum crudelitate errantiũ, vt qui de Satanæ sunt contubernio. Quoniam autem tangitur eorum quoque reprehẽsio qui sanctissimi erant, eo ꝙ in multis offendimus omnes, iuxta id quod scriptum est, Quis purus est à sorde? Ideo ait: Quanquam taliter me colatis, habeo tamen nonnihil in quo vos accusem, licet ea pauca sint. Siquidem hæc Pergamorum ciuitas, vt apparet, duo aduersa nacta erat, nempe plures Græcos siue infideles, & inter eos qui fideles dicebantur, obscœni Nicolaitæ, tanquam praua zizania inter triticum, seminati erant. Porrò vide quomodo hos ex veteri testamento quibusdam assimilatos in medium produxerit. *Doctrinam Balaam qui docuit Balac.* Balaam ait docuisse Balac, hoc est, factum fuisse præceptorem ipsius Balac. Historia est in libro diuini Mosi qui dicitur Numeri. Iosephus autem Iudæus scribit regem Balac consilio Balaam adduxisse populo Israel mulierculas vt scortarentur: quando etiam Phinees celebri memoria dignum peregit opus aduersus Zambri: & præter hanc lasciuiam attraxisse populum ipsum Israeliticum ad impuram comestionem, vtendo in cibum carnibus quæ Beelphegor immolata fuerant: ideo etiam perierunt. His verò similes quoque dicit Nicolaitas, & in scortatiõe & in impura comestione. Quòd si quis requirat quænam illa erant in quibus errabant, ex Epiphanio veluti iam diximus diuino Cyprensi episcopo discere licebit, qui ad multorum vtilitatem non indignum putauit manifestè ob oculos ponere Nicolaitarum fœtorem ac turpitudinem, omni seposito metu, tum quoad libidinosam lasciuiam, tum quoad maximè abominandã impuram comestionem.

A — *Iaco. 3.* — *Iob. 25.* — B — *Nu. 24. 25.* — *Lib. 4. Antiquitatum ca. 5* — C — *Hæresi. 25. tom. 2. libri primi*

Resipisce itaque: alioqui ueniam tibi cito, & pugnabo cùm illis in gladio oris mei. Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesiis. Vincẽti dabo edere ex manna abscondito, & dabo ipsi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

D O immensitatem abundantissimæ bonitatis dei, nã in minis quoque relucet benignitas. Pugnabo inquit, non tecum, sed cum Nicolaitis qui immedicabiliter ægrotant, & ad nihil sunt vtiles. Siquidem eorum qui Pergami erant tanquam fidelium amore captus erat, indignatus ipsis ob solam vnam cõuersationem cum Nicolaitis. Sed & id quod ait se cito aduersus illos venturum, an non prouidentis est, & non sinentis diutius sortem ac substantiam suam corrumpi, sed velocem designantis retributionem? *In gladio oris mei.* Quisnam sit gladius oris, & quam ob caussam vtrinque incidens dictus sit, paulo antè proposuimus. *Vincenti dabo edere ex manna.*

E Quoniam, veluti ex diuino Epiphanio sumptum proposuimus, à Nicolaitis attentata erat indignissima comestio, digna ipsorum impietate in impura sui commixtione, ideo vincenti daturum se manna edendum proponit loco impuri & abominandi cibi. Manna verò tropicè dicitur panis vitæ,

Iohan. 6. qui propter nos de cœlo descendit: quanquam omnia quoque futura dicantur bona, tanquam & ipsa cœlitus deuolãtia, vbi etiam est superna Ierusalem. Vincenti autem diabolum, pollicetur etiam se daturum esse calculum candidum, hoc est opinione & fama fulgentem. Posuit autem hoc loco calculum candidum, quod is notus esset ab his qui in theatris ac stadiis certabant, & vincentibus tradebatur. No-

Iesa. 64. men verò nouum hoc est, quod præsenti vita ignoratur. Si-

1. Cor. 2. quidem ea bona quæ præparauit deus his qui se diligunt, o-

F culus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt (hoc autem nomen sancti hæreditate possidebunt) quomodo enĩ possibile est vt corruptibili notitia apprehenderentur incorruptibilia?

CAPVT VI.

Quæ scripta sunt angelo ecclesiæ Thyatirorum.



ET angelo ecclesiæ Thyatirorũ scribe: Hæc dicit filius dei qui habet oculos suos tanquã flammam ignis, & pedes eius similes chalcolibano: Noui opera tua & charitatem ac ministerium, & fidem ac patientiam tuam, operáque

tua noe

tua nouißima plura primis. A

Apertius præbet sui indicium is qui loquitur cum euangelista, filium dei seipsum annuntians: qui oculos quidem habeat igni assimilatos, tanquam paratos ad illuminationem iustorum, exustionem verò peccatorum: pedes autem assimilatos chalcolibano. Chalcolibano inquam, siue qui à medicis masculus dicitur, qui dum adoletur, odoriferos emittit vapores: quandoquidem & qui Christo adhæserunt, inter afflictiones veluti in igne versantes, non cessant sui exploratione circunstantes suaui afficere odore. Hinc etiam Paulus à lege transmutatus, Christi inquit bona fragrantia sumus, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt: in his quidem qui salui fiunt, sua inter seditiosos tumultus tolerantia, veluti suaui vnctione eos inungentes ad perfectiorem vitam fidei quæ in Christum est, dum illi affixi essent vitæ in primis elementis ad diuinum cultum institutæ à lege Mosaica: quẽadmodum sanè & in his qui pereũt emortua vita, vita inquã reuera affectibus exposita, & crasse instituta iuxta mortem quæ est in insania circa idola: quos etiam irreprehensibilis secundum Christum vita nouit suaui odore aspergere: vt & hos cum Paulo pulchrè exornent dicentes: Viuo ego, non amplius ego, viuit verò in me Christus. Hoc itaque modo se habet meditatio de masculo libano. Potest quoque intelligi chalcolibanum veluti iam dictum est, incarnatio domini siue æterni verbi dei in nouissimis temporibus, vtens veluti quibusdam pedibus, humanitate quæ videbatur: vbi duarum naturarum, diuinitatis nempe & humanitatis, inconfusam vnionem mens humana colere nouit, & incomprehensam obseruare, veluti scrutationem eminentissimæ mortalis cognitionis. *Noui opera tua.* Opera intellige sola ea quæ apud deum reposita sunt. Nosse autem, hoc loco designat familiaritatem ac beneuolentiam, tanquam diceret: Per omnia hæc familiariter apud me perseueras. Sic & quum ad Mosen dicit, Noui te supra omnes: &, Nouit dominus qui sint sui, non aliud quicquam demonstrare intendit quàm familiaritatem ac beneuolentiam · beneuolo videlicet animo sum affectus erga eos qui sua studia apud me deposuerunt. Charitatem verò, confidentiam erga diuina, similiter & fidem. A-

[Margin: 2.Cor.2. B — Gala.2. C — Exo.33. — 2.Tim.2.]

D dem. Amor namque syncerus mutuo continetur officio. Ministerium autem, dicit auxilium erga egenos: & patientiam, tolerantiam in afflictionibus & tentationibus. *Nouissima plura primis.* Hæc dicens ostendit quòd in augmento progredientes ad id quod melius est, indefesso labore laborauerint per operationem diuinorum præceptorum.

Sed habeo aduersum te pauca, quòd permittas mulierem tuam Iezabel, quæ se dicit prophetissam, docere & seducere seruos meos ut scortentur, & de his edant quæ idolis immolata sunt. Dedique ei tempus ut
E *resipisceret, & non uult resipiscere à scortatione sua. Ecce mitto eam in lectum, & eos qui commiscentur cum ea in afflictionem magnam, nisi pœnitentiam egerint ab operibus eius, & filios ipsius interficiam*
Psal.7. *morte. Et cognoscent omnes ecclesiæ quòd ego sim qui scrutor renes & corda: & dabo unicuique uestrũ iuxta opera uestra.*

Si propter fidem, inquit, ac subsidium in egenos, vestram suscipio pietatem ac tolerantiam, iustè tamen vobis indignor, quòd Nicolaitarum hæresim vigere sinatis in medio
F vestri. Hanc autem tropice significat per nomen Iezabel quæ regi Achab nupserat: huic etiam comparans Nicolai sequaces propter libidinem ac impietatem. Indignatur itaque quod non persequantur ipsam, hoc est non expellant, confundentes ipsam impudenter blasphemantem, sed sustineant vt ij qui solo nomine Christiani sunt secum participent: vnde simplicioribus seruis meis, inquit, præbet offendiculum non modo scortationis, sed iam sceleratæ quoque comestionis: scortationem dicens aut sensibilem ac carnalem, aut declinationem à deo, iuxta id quod etiam dictũ
Psal.105. est: Fornicati sunt in studiis suis, & illud, Adulterium per-
Iere.3. petrabant in ligno. Per esum vero eorum quæ idolis fuerant immolata, videtur & alias quoque diuisiones connectere: quæ & ipsæ pios inuadebant, qui sanè tropus solet accidere. Siquidem Nicolaitæ non proponebant edenda idolothyta,

sed alia

sed alia tamen habebant quæ vel cogitare extremæ fœditatis est ac impietatis. Quænam autem illa sint frequenter à nobis dictum est in libro Panarion demonstrari. Nec id tantum abominandum esse testatur in hæresi Nicolaitarum, sed & fingitur esse prophetissa quæ prauo agitatur spiritu, diuinúmque donum vanitati accommodat, vt etiam Mosi non parere deprehendatur qui apertè clamat: Non assumes nomen dei tui in vanum: & à beatitudine dei patris aliena inueniatur, à spe dei aberrans, & in vanitatibus ac insaniis falsis toto animo conuersans. *Et seducere seruos meos:* eos qui in morum simplicitate degũt trahẽdo per errorem ad scortationem, & comestionem eorum quæ vetita sunt. *Dedique ei tempus.* Ego, inquit qui nolo mortem peccatoris, sed cõuersionem quæro, dedi ei tempus pœnitentiæ, vltionem interim differendo: illa vero tolerantia mea abusa est ad impœnitentiam, in sui perditione occupata, nec firmiter hærens considerationi suæ salutis. *Et non uult resipiscere* Nam hoc tanquam deus cognosco, iccirco etiam dictum est, Scrutans renes & corda deus. Quoniam igitur dato ipsi spatio ad pœnitentiam non est vsa, *Ecce mitto eam in lectum,* hoc est, in ægritudinem. Solet enim scriptura lectum ab imbecillitate accipere, vt quum dixerit, Vniuersum lectum eius vertisti in infirmitate eius, lectum dicens morbum, & versum esse in melius siue ad sanitatem. Ipsam itaque malis afficiam. Eos vero qui cum ea commiscentur, id est qui cooperantur & auxilio sunt ad abominanda fœdáque dogmata, calamitatibus affligam. Filios vero (successores huiusmodi abominationis appellans filios) in mortem, inquit, transmittam. Et illos quidem ita tractabo. Porro vobis quibus nihil commune est cum adultera, quum simpliciores sitis, & ob morum simplicitatem in innocentia ambulare in medio domus vestræ dicti estis, quoniam non est fortitudo quæ adeo malis & loquacitate præditis, in versutia verborum posset repugnare: & veluti qui profunda illius maligni vt dicunt, & insidias ipsius non nouistis, vobis inquam nullum pondus superimponam: pondus autem vocat pugnam verborum: sufficit, inquit, mihi exploratio diligenter peracta per opera, ex custodia eorum quæ vobis ab initio tradita fuerant. *Nisi pœnitentiam egerint.* In

minis

[Margin: A; Exo.20. Psal.39. (beside "parere deprehendatur…"); B; Iezec.18. (beside "ationem…"); Psal.7. (beside "hoc tanquam deus…"); Psal.40. (beside "ad pœnitentiam…"); C (beside "versum esse…"); Psal.110. (beside "ciores sitis…")]

D minis quoque benignitas conſpicitur : neque enim protinus dignam infert vltionem , ſed impetum terriculamento attollit, quo vrgendo eruat pœnitentiam. *Et cognoſcent omnes eccleſiæ*. Quia hæretici occultè abominanda patrant, quę videlicet vulgo abſcondita ſunt: latet enim fideles quòd illi ſub Chriſtianorum vocatione occultentur , ego qui deprehendi , notum faciam omnibus eccleſiis quòd ego ille ipſe ſim, qui renes & corda ſcrutatur : de quo etiam ait Ieſaias : Occultabitur in abſcondito, & ipſe non videbit? An non cœlum & terram ego impleo, dicit dominus? Quoniam igitur hæc ita ſe habent, vnicuique rependam mercedem ſuæ nequitiæ debitam.

Habetur Iere.23. totū ī perſona domini dictum.

Vobis autem dico & cæteris qui Thyatiræ ſunt, quotquot non habent hanc doctrinam, quique non cognouerunt profunditates Satanæ ueluti dicunt, Non mittam ſuper uos aliud pondus: tamen id quod habetis, tenete donec ueniam. Et qui uicerit & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo ipſi poteſtatem ſuper Gentes, & reget eas in uirga ferrea: ut uaſa fictilia conterentur. Sicut & ego accepi à patre meo, & dabo ipſi ſtellam matutinam. Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat eccleſiis.

Citat E ergo noſter autor hoc ſicut & pleraque alia ex memoria quæ admodū la bilis eſt.

Vbi denuntiauit vnumquenque ſui laboris dignam ſorti-
F ri retributionem, ſubiūgit quoque deinceps in quibus dans operam conſequetur id quod dignum eſt. Qui igitur nō habent erroneam hanc hæreticorum doctrinā, hos inquit ego ſuſcipiens contentus ero incorrupta obſeruatione ſimplicitatis quam acceperunt, ex quo etiam profunditates ignorare Satanæ omnino conuenit eis, veluti dicunt. †Pondus verò dicit moleſtiam quæ ex verboſa contentione inducitur inter eos qui pugnant verbis: ſeruum autem domini nō oportet pugnare. Deinde digna comminatᵘ ſupplicia his qui obſcœna operantur, ad eos transfert ſermonem qui ſimpliciorem degunt vitā: nihil aliud ab ipſis expetens, quàm vt pium fidei depoſitum ſeruent incorruptum vſque ad ſuum aduentum. Aduentum autem dicit aut poſtremum, quando omnes

†Aliàs, profunditatem.

2. Tim.2.

ſecundo

secundo suo aduentu iudicabit: aut cuiusque interitũ, quãdo nos ad eum abimus, quãdo relicta hac turbulenta vita in securum reponemur statum, infallibilem habẽtes spem de his quæ in vita peregimus, quod etiam magis †congruere nõ est improbabile. *Et qui uicerit, & custodierit.* His qui ob simplicitatem sunt expertes pugnæ, satis erit obseruatio præceptorum, vt mihi placeant: ei verò qui ex pugna & lucta præmiũ retulerit, dabo ad triumphum victoriæ potestatẽ super Gentes: siue quemadmodum ait dominus in Euangeliis, illi qui minas & talenta rectè dispensauerat, Præsis decem ciuitatibus, & alij, quinque ciuitatibus: quendam enim principatum ac potestatem hæc significant sanctis datam super infirmiores, & eos quibus dirigi opus est. Ideo quoque scriptum est: Virga directionis, virga regni tui. Solet enim quod dictũ est per virgam directionis designari: veluti indicando quòd punitiuam correctionem non inducat, sed quæ emendet. Ferream verò virgam nemo ob aliud quicquam datam esse dicit, nisi ad contritionem, per supplicium eorum qui inobediẽtia vestiti sunt, ac vasis fictilibus assimilati. Quemadmodum etiam virga potẽtię non alterius rei gratia ex Sion missa est, nisi ad dominãdũ. Et quia omni vincẽti danda ꝓmittitꝰ virga ferrea, erãt autẽ hi qui per prõptã obediẽtiã deo acquisiti erant: hi etiã incredulorũ iudices erũt, quoniã & Niniuitas excitandos ait dominus ad iudicium, siue condemnationem prauę generationis. Quòd autem & ipse à patre virgam accepisse dicitur, dationis & acceptionis voces propter carnis assumptionem subintroierũt, imò etiam propter suæ demissionis & humilitatis emphasim. Quòd si in diuina quoq; natura quispiam hoc considerare nititur, nihil erit negotij, ad manifestãdũ per dationem & acceptionem id quod proprium est personarum patris ac filij. *Vsque in finem.* Vsque ad finem vitæ suæ: ex quo etiam manifestum est, quòd aduẽtus eius non nouissimus dicebatur, sed cuiusque nostrum ad ipsum accessus. *Vt uasa fictilia conterentur.* Dictio ὡς hoc loco accipi solet nõ comparationis aut similitudinis gratia, sed caussaliter ꝓ ἵνα, id est vt. Propterea, inquit, virga datur ferrea, vt fictilia vasa conterantur. Quòd si non sit apta compositio: nunquam enim verbum indicatiuum (sicut in proposito συντριβήσεται, id est conterentur) subiunctiuæ dictioni coniun-

Margin: † συνχῶν ... A; Luc. 19.; Matt. 25.; Psal. 44.; B; Psal. 2. & 109.; Matt. 12.; C

D coniungitur: nihil curæ erit his qui sola intelligentia, & non exacta dictionum consideratione salutem conquirunt. *Stellam matutinam.* Stellam matutinam dicit propheta Iesaias de
Iesa.14. Assyrio siue Satana, quem etiam Christus visum esse tãquam
Luc.10. fulgur de cœlo cadentem, & sanctis datum esse in conculca-
Rom.16. tionem denũtiauit, de quo dicit & Paulus quòd veniat deus vt conterat eum sub pedibus discipulorum suorum. & Dauid
Psal.90. confirmans eum qui accessit ad deum excelsum, Super aspidem, inquit, & basiliscum ascendes, & cõculcabis leonem & draconem. Aut igitur stellam hanc dare promittit dei inuo-
2.Pet.1. catio: aut illam quæ à Petro dicitur lucifer in cordibus fidelium exoriens, lux videlicet Christi. Porrò stella ante Christi aduentum exorta, est Iohannes baptista, aut Elias Thes-
E bites prænuntius secundi aduentus Christi: cum quibus partem habituros speramus illos qui vicerint diabolum. Non est autem admirandum, si plurimum diffidentia per idem intel-
Infra.5. leximus: quandoquidem & leo excitatus dicitur de tribu Iuda, & leo de Basan proficiscens iuxta diuinam scripturam dicitur Antichristus, aptando vnumquodque ad id quod proponitur. Intelligitur autem & Oriens futuri seculi: siquidem tenebræ præsentis vitę licet lux videantur, obscurabũt: quum sanctis apparuerit sol iustitię, & caliginẽ hanc disperserit: & angelus est qui hunc orientem annuntiat, præit enim ante ipsum.

CAPVT VII. *Quæ scripta sunt angelo ecclesiæ quæ est*
F *Sardis.*

CAP.III. † Quãquã nostrũ exẽplar nõ habuerit καὶ ἤκουσας καὶ, τήρει: restituim' tamen eò quòd id omnia habeãt exẽplaria.



T angelo ecclesiæ quæ est Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem spiritus dei, & septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes quòd uiuas, & mortuus es. Esto uigilans, & confirma cætera quæ moritura erant: non enim inueni opera tua plena coram deo meo. Memento quomodo acceperis † & audieris, & serua ac resipisce. Quòd si non uigilaueris, ueniam ad te tanquam fur, & non scies qua hora ueniam ad te.

Septem stellas, id est diuinos angelos, vt prædiximus septem

ptem quoque spiritus eosdem intelligimus, iuxta id quod di A
ctum est, Qui facit angelos suos spiritus: aut operationes vi- Psal. 103.
uificantis spiritus, quæ vtraque sunt in manu, siue in potestate
te Christi: illis namque tanquam dominus præsidet, hũc autem
tem tribuit tanquam eiusdem essentiæ, iuxta id quod scriptũ
est: Alium paracletum mittam vobis à patre. Nihil enim in Ioh. 14. 15
beata & supersubstantiali trinitate appropriatum conspici- Citat autē
tur, præter ipsas proprietates personarum cõstitutiuas. *Scio* ex memo-
opera tua. Quod hoc loco dicitur Scio, simplicem designat ria non ab
notitiam, non familiaritatem. Vnde etiam ecclesiam obiur- iis tãtùm
gat, vt quæ solum nomen vitæ fidei habeat, mortua verò sit uerbis, sed
à bonis actionibus. Quemadmodum enim vitam appellare & sensu
solet scriptura probitatem, vitam inquam secundum deum, immutato,
iuxta id quod dictum est, Eloquium tuũ viuificauit me; hoc B nisi ua
est in semitis eius quæ verè vita est collocauit: ita & mortem ria loca in
appellat vitam vitiosam, veluti significat diuus Paulus de his unum sen-
qui ab incredulitate ad Christi fidem transierant, quum ita sum cõiũ-
scribit ad illos: Et quum mortui essetis Christo per delicta. gantur.
Et in libro Pastoris dicitur ita quosdã in aquam lauacri de- Psal. 118.
scendisse, nempe mortuos, & ascendisse viuentes. *Esto uigi-* Ephe. 2.
lans, & confirma cætera. Excusso somno socordiæ, mẽbra tua Liber Pa-
quæ ob incredulitatem perfectè moritura erant confirma. storis.
Neq; enim bonorum initium operatorem coronat, sed perseuerantia vsque in finem. Non autem vtcunque dictum est Confirma, sed quasi dixisset, Solida facito ac robora, quæ & mollia sunt, & ad casum paratissima. Quatenus igitur modica tibi reliqua sunt virtutum exercitia, attende inquit ne pe- C
nitus intereas. Hæc itaque conserua quæ adhuc viuunt, illa verò confirma, quæ iam ad mortem vergunt: nihil enim tuorum studiorum plenum est, sed hęc quidem iam mortua sunt, illa verò moritura. Quod autem ait, Coram deo meo, veluti sæpius dictum est, tãquam ex humanitatis assumptione magis cõdescendendo prolatum est de filio dei. *Memẽto quomodo acceperis.* Traditionẽ, inquit, serua quam ab Apostolis accepisti, ac de segnitie resipiscito: & ea quidem opera quæ adhuc viuunt serua in vita, his autem quæ mortua sunt per pœnitentiam conquire reuiuiscentiam. Porrò resipiscẽtiam dicit mutationem à malis ad id quod melius est. *Et non scies qua hora.* Ignotum est enim tempus. Et quemadmodũ

cuique

D cuique nostrum ignotum est tẽpus mortis cuiusque nostrũ, ita & multo magis tempus secundi aduentus domini.

Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt uestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui uicerit, hic uestietur uestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro uitæ, & confitebor nomen eius corã patre meo, & coram angelis suis. Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.

Animaduertendum est vsum accipiendi hoc modo Nomen, alienum esse à Græca phrasi, nec satis probatum esse,
E sed abiectum: Satis enim fuisset dixisse, Paucos habes, & non pauca nomina. Quanquam enim proprietas cuiusque personæ separetur per nomen domini, attamen electa Græcæ linguæ vox non nouit in numerum assumere, quæ cuique conueniunt ad cognitionem numeri, sed quæ speciem propriissimè denotent: dicit enim multos aut paucos, duos aut tres homines, non autem duo aut tria nomina: tãquam illud quidem maxime proprium, sit naturæ significatiuum, quæ permanere nata est, cuique autem specialia successionem significent, quæ fermè corrumpitur sublata de medio cuiusque subsistentia. *Qui non inquinauerunt.* Hoc bonum, inquit nacta es, quòd aliquot habeas, qui hoc carnis indumentum nõ inquinauerũt sordidis actionibus, qui mecum in regeneratio-
F ne fulgebunt. atque per hos etiam placatus differo, & lõganimis sum erga vos. Vestimenta autem non inquinata dicit corpora sanctorum: quemadmodũ etiam patriarcha Iaacob vaticinatur de eo, qui ex Iuda germinaret, qui est Christus
Gen. 49. Iesus: Lauabit, inquit in vino stolam suam, corpus dicens ipsius domini, quod in purissima sua passiõe ad nostri illustra-
Iesa. 53. tionem mundatum est. Nam ipse peccatum non fecit, ait Iesaias: ob iniquitates populi mei ductus est ad mortem: nam ipse peccatum non fecit, neque dolus inuẽtus est in ore eius. Huic domino veluti opus quoddam dramaticum agens Ie-
Iesa 63. saias, ait: Quare rubra sunt vestimenta tua plena tanquam à calcato torculari? Et de vestimentis quidem ita contemplari dignum est, vt mundicies eorũ puritatem corporis designet.

Porrò qui vicerit,inquit: Quænam vicerit? Affectus carnis: A
hic ergo vestietur suarum virtutum vestimentis,quæ emundauit piis laboribus: & splendebit sicut sol in futuro seculo, eiusque nomen quod scriptum est in libro viuentium indeficienti vita,manebit indelebile,tanquam is quem ego confitebor coram patre meo. Huius autem scripturæ & confessionis coram patre promissæ, documentum ipsum tunc in Euangeliis traditur, quum paciscitur se illum confessurum coram patre in secundo suo aduentu, qui se coram hominibus confiteretur: quod omnibus quidem sanctis repositum est, præcipuè tamen martyribus. *Coram patre meo & coram angelis suis.* Coram patre & angelis suis dictum est, quòd tanquam angeli sint fideles, ac beneuoli cultores. Et interdum quidé dicit angelos patris, interdum autem suos, B vt quum ait: Mittet filius hominis angelos suos cum voce magna tubæ. Nunc igitur dicendo angelos patris, non tollit quin ipsius quoque sint sancti angeli: Nihil enim eorum quæ in diuina natura conspiciuntur, inuenire licet appropriatum alicui trium ipsius personarum,præter id vnū quod hypostaticè ipsi conuenit.

Matt.10.

Matt.24.

CAPVT VIII.

Quæ scripta sunt ad angelum ecclesiæ Philadelphorum.



*ET angelo Philadelphorum ecclesiæ scribe: Hæc dicit sanctus ille uerus,qui habet clauem Dauid,qui aperit, & nemo claudit ipsum,nisi is qui aperit: & nemo aperiet,nisi is qui claudit:Scio opera tua,*Ecce dedi coram te ostiū *apertum: nullúsque potest illud claudere, quia modicam habes uirtutem, & seruasti sermonem meum, & non negasti nomen meum.* C

Sanctus quidem est verus ille sanctus, qui & filius dei est, & triplici seraphicorum spirituum hymno sanctum prædicante veritas denuntiatur: quemadmodum etiam in contemplatiuo Iesaia appellat* est,triplici sanctificatione in vnā conclusa dominationem, vt & ternarius demonstretur personarum supersubstantialis trinitatis,& harum inseparabilitas vnione dominationis. Hoc autem quātum supereemineat *Iesa.6.*

D inferioribus ac mortalibus naturis, quis posset verbis exprimere? Clauem verò Dauid dicit, omnipotentem demõstrando potentiam, per quem solum diuinæ sapientiæ thesauri aperiuntur. Primam itaque potentiam iuxta humanam suscipit naturam, veluti etiam ab illo hoc audire contigit, dum

Mat. 28. ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Secundam verò habet iuxta æternitatem diuinitatis. Est enim Immanuel deus verus, etiam repugnante Nestorio, quanquam homo factus sit. Et sanè etiam verè homo, non phantasticè exhibẽs hominem, quanquam id grauiter ferat odibilis deo Eutyches. Sed quòd est, verè deus est, non ex relatione, vt Nestoriani nugantur: & verus homo non iuxta apparentiam & phantasiam quemadmodum volunt stupidi Euty-

E chianistæ, ac stupidum Manichæorum genus. Verum quòd nonnulla exemplaria non habeant Clauem Dauid, sed inferni, ne in hoc quidem accedit aliquid diuersitatis. Ostenditur enim ex hoc, quòd Christus vtpote deus, vitæ ac mortis habeat dominium. *Qui habet clauem Dauid.* Clauem vocat potestatem. Qui enim habet potestatem claudẽdi & aperiendi domum, huic etiam domus commissa est. Et hoc manifestius est discere in euangelio ex eo quod ad Petrum dicit

Mat. 16. Christus: Et tibi dabo claues regni cœlorum. *Et nemo aperiet.* Quandoquidem clauis potestatem designat: qui seipsum dicit clauem Dauid habere, quid aliud dicit, nisi quòd quemadmodũ Dauid carnali Israeli dominabatur, ita & ego inquit, carnali ac spirituali? quanquam longe est alia potestas

Luc. 1. hominis à Dei potestate. Ideo quoque Gabriel dixit ad virginem, thronum Dauid tanquam temporarij, dandum esse fi-

F lio à patre: at ipsi, tanquam æterno & finem non habituro: & similiter regnum ac potestatem. Quoniam igitur similitudinem regni Dauid ferebat Christus, meritò dicit: Qui habet clauem Dauid ad aperiendum & claudendum: Aperire quidem vocans iustificare, claudere verò vocans condemnare. Sua namq; vtens potentia & iustificat & condemnat. *Ecce dedi coram te ostium apertum.* Ostium bonorum datur apertum tãquam paratissimum, vt per ipsum quoque auxilium ad meliora, præbeat introitum ad fruitionem. Ideo etiam Domi-

Luc. 17. nus quum ait, Regnum Dei intra vos est, nempe proposito volentis iam traditum, ostendere videtur ingressum, à nullo im-

impediri posse. Et huius nūc promissio, quod eos qui introducuntur auidos reddit ad aggrediendum, rationem habēs difficultatis laborum, & commensurans his qui parua virtute ingredi statuunt, vbi per apertum ostium manifestauit cumulatam bonorum multitudinem his qui ingrediuntur, no iam anxium esse finit solicitudine cōtrahendorum laborum, qui iam ob diuinam fruitionem despiciuntur, sed, ne retro quidē aspiciendo, hortatur amplecti labores, reputando suauiorem esse susceptum propter ista laborem quauis alia electione. Porrò quòd per labores assequi oporteat æternorum bonorum hæreditatem, satis ostendit in Euangeliis diuinum oraculum, quo dicitur vim pati regnum cœlorum. Rursum etiā quòd is qui incipit degustare dulcedinem nouerit contemnere labores, diuinus ipsius Dauid spiritus docet quum ait: Gustate & videte quòd suauis sit Dominus. Aut etiam apertum ostium intelligitur ingressus docentis nos prędicationis, qui semel apertus, nullis claudi potest afflictionibus, vincente animi illorum promptitudine qui ingredi elegerunt, ob pulchritudinem eorum quæ reposita sunt, quæ laborem ac difficultatem afflictionum demulcent & quodammodo fraudāt. In his inquit, licet tibi modica sit virtus, sed à me datur apertum tibi ostium, tu verò etiam supra virtutem quæ in te est tolerasti propter nomen meum. Nō ergo ad modicam tuam virtutem commensurabo retributionem: sed ex munificentia, vt mihi moris est, præmium rependam. A Matt. 11. B Psalm. 33.

Ecce do de synagoga Satanæ qui dicunt se Iudæos esse & non sunt, sed mentiuntur, Ecce adigam illos ut ueniant & adorent ante pedes tuos, & cognoscant quòd dilexerim te, quoniam seruasti sermonem patientiæ meæ. Et ego *seruabo te ab hora afflictionis, quæ uentura est in uniuersum orbem, ut affligat habitantes in terra.* Venio *cito, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui uicerit faciam illum columnam in templo dei mei, & amplius non egredietur foras: & scribam super eum nomen dei mei, & nomen* C

D *ciuitatis dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cœ-*
* Quāquā *lo à deo meo: & nomen *meum nouum. Qui habet au-*
nostrū exē plar nō ha *rem audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.*
bueritMe Repensio, inquit, confessionis nominis mei erit Iudæorū
um, addidi conuersio & pœnitentia, qui meam illuminationem qua ipsi
mus tamē, ad me adducti sunt, commutabunt in eos qui in abscondito
eo qđ oīa cordis sese Iudæos esse demonstrant & non in propatulo, ve
habeāt ex luti Paulo quoque videtur. Sedem verò Satanæ dicit syna-
emplaria, gogam Iudæorum, tanquam præstantem auxilium menda-
quum ne- cio: quandoquidem etiam ille mendacij pater à condito secu
gligentia lo apparuit. Hos igitur accurrere dicit, non vulgari modo,
uideatur sed cum magno feruore & contritione: hoc enim designat
omissum. quod adorent, & inter extremos qui in ecclesia sunt poni ele
E gerint. *Sermonem patientiæ meæ.* Non quod is qui dat ora-
Roman. 2. culum, aliquid passus sit, sed suam patientiam dicit fidei tole
Iohan. 8. rantiam quæ propter ipsum est & erga ipsum: quemadmo-
Psal. 16. dum etiam vbi Dauid petit à Deo, De vultu tuo iudicium meum prodeat: hoc est, iustitia tua quæ fit propter me. *Seruabo te ab hora afflictionis.* Horam afflictionis aut vocat persequutionem sub Domitiano excitatam, quæ fuit secunda post Nerone, quemadmodum scribit Eusebius Pamphili: quando & ipse euangelista in Patmum ab ipso Domitiano relegatus est, aut eam quæ sub mundi consummationem ab Antichristo aduersus Christianos excitabitur per vniuersum orbem, qui Christianos interimet. Ab vtraque igitur harum se pro-
F mittit liberaturum suos sectatores & amatores, præripiendo illos per mortē ab his quæ tunc contingent, ne vltra id quod ferre possunt affligantur. Ideo quoque ait Dominus, Venio cito. Siquidem post illam afflictionem cito veniam, hoc est absque vlla dilatione: nam hoc significat cito, tanquam diceret: Euestigio veniam cum his quæ fient afflictionibus: propterea etiam denuntio, vt tutum conseruetis fidei thesaurum, ne pereat corona tolerantiæ vestræ. *In templo dei mei.* Prius dictum est quòd dei mei, non tollat diuinam quæ in Christo conspicitur naturam, sed coexistentiam & vnionem ostendit. Demonstrat enim indissolubilem esse duarum naturarum vnionem, diuinitatis inquam & humanitatis in persona domini Iesu, nisi solo intellectu quāquam

inconfuse

incõfuse. Familiariter namque sibi mutuò reddit ob humanitatis assumptionem, diuina humanis, & humana diuinis idiomatis. Porrò hic in templo dei columna constituitur, vt fulciat & dei circa se munificentiam, & eos qui debilius affecti sunt, ad perfectionem fidei Christi, quæ in nobis est, exhortans illos, vt & ipsi dono docendi similiter proficiant. In templo autem dei, vt semper lætetur. Nam hoc est columna in templo dei fieri. Siquidem qui vicerit aduersarias potestates, columna & firmamentum veritatis constituitur, & ipse firmiter & immutabiliter gaudens, & alios fulciens, ne in bono excidant à sua sede. *Et scribam super eum nomen dei mei.* Super columnam spiritualem, eum nempe qui diuinis iussis ad imbecilliorum fulcimentum perfectus est, scribi dicit nomen dei, & nomen ciuitatis Ierusalem nouæ: nouam Ierusalem eiusque nomen, ac dei nomen non aliud quippiam dicens, quàm gloriam siue cognitionem, sicut & Dauid: Quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra, hoc est honor & tui cognitio. In tabulis itaque cordis spiritualis columnæ scriptum est nomen dei, siue cognitionis siue gloriæ, similiter & ciuitatis Ierusalem: Dei quidem, nempe quòd sanctus sit, quòd iustus, ac reddens vnicuique iuxta opera, quòd omni bonitate plenus, talibusque gaudens cultoribus: ipsius autem Ierusalem, quòd dilectum sit dei tabernaculum, & suos ciues ad supernam trãsmittat metropolim: quæ inferior Ierusalem tanquam colonia supernæ constituitur, retinens eos qui interim in ipsa versantur tanquam literis vtentes, ac supernæ vitæ inferiorem aptantes. Eos igitur qui mutua hac scriptura tanquam indelebili memoria (huiusmodi enim est scriptura, nempe quæ stabiliora efficiat ea quæ facta sunt) & dei & supernæ Ierusalem gloriæ gestant insigne, an non diuos quosdam dignum est appellare? Porrò nomen nouum intelligimus sanctis impositum, quod etiam, præter delectationem diuini muneris, & fruitionem decoris incorruptibilium bonorum, ipsis in futuro seculo tanquã insigne additur: & præterea his qui nunc inuenientur Christi fratres & amici cultores.

A — 1. Timo. 3. — B — Psal. 8. — C

CAPVT IX.

Quæ significata sunt angelo ecclesiæ Laodicensium.

D ET angelo ecclesiæ Laodicensium scribe: Hæc dicit Amen qui est testis fidelis & uerus, principium creaturæ dei: Noui opera tua, quòd neque frigidus sis neque feruidus: utinam frigidus esses aut feruidus. Itaque quoniã tepidus es & neque feruidus neque frigidus, incipiam te euomere ex ore meo. Quoniam dicis: Diues sum & ditatus sum, & nullius egeo: & nescis quòd tu sis miser & miserabilis, & pauper & cæcus ac nudus.

Amen, est Profectò. Certè. Certè igitur est in omnibus
E quæ de ipso dicta sunt siue veritas, nullumque in ipsis est mendacium. *Principium creaturæ dei,* hoc est regnum & principatus omnium, tanquam dominium habens in ea quæ creata sunt. Principium enim creaturæ dicitur euidens caussa creaturæ. Fortassis autem hoc dicto calumniam strueret deo inimica Arianorum machinatio, tanquam dominus Iesus per hæc significaretur esse creatura. Non oportet autem malignis horum abduci conatibus, considerantes num quid tale in alia scriptura de hoc habeatur, vt possit quis ex similibus ad regulam similia reducere. Dicit itaque Paulus ad
Col. 1. Colossenses scribens de Christo: Qui est primitiæ primogenitus omnis creaturæ. primogenitus creaturæ, non pri-
Psal. 109. mo creatus. Et Dauid: Ex vtero ante luciferũ genui te, At
Prouer. 8 non Creaui te. Et Solomon: Ante omnes colles generat me.
F Porrò quod ait, Dominus creauit me initium viarum suarum, verbum Creauit, acceptum est pro Constituit: quem-
Ephe. 2. admodum etiam vbi dicitur: Vt crearet duos in vnum no-
Psal. 50. uum hominem. & illud: Cor mundum crea in me deus. Diuinus autẽ in sermonibus Gregorius sermone de filio, Creauit quidem, de dominico corpore anima rationali animato intelligit, Generat vero de diuinitate. Quum igitur tam multis testimoniis Principium creaturæ, sicut etiam diximus, nihil aliud significare velit, quàm ꝙ autor est & cõditor crea-
Iohan. 1. turę dei, iuxta illud quoq;: Oĩa p ipsum facta sunt: p hoc etiã datur vt dominetͤ creaturis quæ sub ipso sunt: siue confirmetͤ quòd apprehẽdat ac moderetͤ: nõ ꝙ hæc diminutionem inducant

ducant ſubſtantiæ ac gloriæ. *Quòd neque frigidus ſis neque feruidus.* Frigidus eſt qui caret operatione ac ſuperuentione ſancti ſpiritus: feruidus autem qui ſpiritu feruet, quemadmodum etiam Paulus dicit. Tepidus vero qui inſtabilis eſt, & in vtroque ambiguus, qui particeps quidem ſpiritus ſancti factus eſt per baptiſma, extinxit tamen donum quod animam viuificabat, accommodans illud ſolicitudini præſentium. Ideo quoque de diuino ſpiritu ait Paulus: Spiritum nolite extinguere. Quoniam igitur tu talis es qui quum ſpiritu feruidus fueris per baptiſmum, emortuus es per ſegnitiem, ſalutis in poſterum ſpem à teipſo amputaſti, condemnata quam primum elegeras fide. In operibus itaque non eſt condemnandum, quod medium eſt, quemadmodum legitimæ nuptiæ quum mediæ ſint inter virginitatem & ſcortationem, non ſunt reiiciendæ. In fide vero quod medium eſt ac tepor reprobatur, nec valet ſecum conſiſtere. Propterea vtinam, inquit, frigidus eſſes: hoc eſt, ne ſimul quidem particeps fuiſſes gratiæ diuini baptiſmatis, ſed manſiſſes non baptizatus & non tepidus. Siquidem is qui nondum ſpiritus gratiam accepit per baptiſmum, in ſpe verſatur quòd aliquando ea quæ ſibi ſalutaria ſunt accipiet: at tepidus, veluti iam declarauimus, parum habet ad feruorem, & eo bono priuatus eſt, quòd quandoque baptizandus ſit.

A

Roma.12.

1.Theſ.5

B

Incipiam te euomere. Metaphora tepidi decenti modo vſus eſt, quod medici ad vomitum procurandum aſſumunt. Vnde quum aliqui difficulter vomunt, tepidæ aquæ potione vomitum ſurſum educunt. hoc nunc quoque dicit: Incipiam te velut abominandum cibum euomere: hoc eſt per ſermonem oris mei reiectum à mea familiaritate oſtendere. Et quæ horum eſt cauſſa? Quia in incertis diuitiis ſpem poſuiſti, & ſemine verbi dei inter ſpinas ſuffocato, hoc eſt inter tentationes huius vitæ ac ſecularium diuitiarum, paternam tuam & perpetuam paupertatem ignoraſti. *Quoniam dicis: Diues ſum.* Diuitias vocat terrenas diuitias. Ignoras quòd tu te miſerum reddas inter eos qui pereunt: ideo quoque commiſeratione dignus es, vt qui à ſublimitate virtutum excideris, obtenebratione ac cæcitate captus in his quæ meliora ſunt eligendis, & denudatus ea quæ te paulò ante veſtiebat diuina gloria.

C

1.Tim.6

D *Suadeo tibi ut à me emas aurum probatum ex igni ut ditescas, & uestimenta alba ut induaris, & non appareat dedecus nuditatis tuæ, & collyrium quo inungas oculos tuos ut uideas. Ego quoscunque amo, arguo & erudio. Aemulare ergo ac resipisce. Ecce sto ad ostium & pulso. Si quis audierit uocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad ipsum, & cœnabo cum eo & ipse mecum. Qui uicerit dabo ei ut sedeat mecũ in throno meo, sicut & ego uici, & sedi cum patre meo in throno ipsius. Qui habet aurem audiat quid*

E *spiritus dicat ecclesiis.*

Si vis, inquit, locuples fieri, veras tibi compara diuitias à me qui possum manentibus diuitiis locupletare. Compara autem ardẽti desiderio sancta dei oracula septempliciter igne probata. Quænam autem sunt illa? doctrinalis ac diuinus sermo qui nõ frustra neque inaniter procedit ad eos qui docẽtur, sed ex eo quòd antea is qui docet ardenti studio ditatus sit. Demõstratam nanque fidem annuntiat iustus: & bonus negotiator de bono thesauro cordis profert vetera & noua: à veteribus quidem viris maiora ferens exempla bonorum operum, à recentioribus autem & qui feruenti ardore laborarunt, egregia facinora. Sed quoniam talibus ditescere non contingit alicui absque diuino auxilio, ideo dicit is qui tradit oracula, A me. Diuitiæ vero sunt vestimentorum amictus, qui possit indecentem virtutum nuditatem tegere, & non vulgari modo amicire, sed cum pompali gloria triumphum efficiens, ob victoriam de aduersariis dæmonibus reportatam. *Et collyrium.* Præceptum est ei qui cæcutit ad spirituale domini lumen, vt aptos oculos circũinungat. Per hoc autem suadetur progressus ad pœnitentiam. Aut collyrium demõstrat inopiam. Si enim dona excęcant oculos videntiũ, hos vtique aperiet donorum carentia. *Ego quoscunque amo, arguo & erudio.* Et merito. nam qui amat, studiose erudit: quod etiam argumentum est immensæ benignitatis domini erga immorigeros. Porrò opulentiæ huius benignitatis arrabo est dilectio qua illos prosequitur qui digni sunt supplicio. Et

Margin notes: Mat.13 (beside "nus negotiator"); F (beside "ctus, qui possit"); Deut.16 (beside "autem suadetur"); Exod.23 (beside "demõstrat inopiam").

cio. Et quæ est illa eruditio? Vt æmulentur potiora studia & A
per pœnitentiam ac resipiscẽtiam, nempe priorum delictorum mutationẽ, zelum siue imitationem assumant hi qui ex ruditate vel insolentia ad disciplinam declinarunt. Et quæ retributio benignitatem consequitur? assiduitas ad ostium non molesta: porrò ostium in sequentibus dicit cor eorum, qui vocantur ad resipiscentiam: quod vbi apparuerint salubriter ipsum pulsanti, cæteraque fecerint quæ sequuntur, mansueti boniquè conuiuæ ingressu magnificè ac liberaliter reficientur. *Sto ad ostium & pulso.* Violentiam, inquit, non habet meus aduentus: ostium cordis pulso, & vnà cum his qui aperiunt, super ipsorum salute lætor. Delitias enim ac cœnam duco salutem hominum qua ipsi pascuntur, famẽque audiendi verbum dei ac tenebras erroris effugiunt. *Qui* B
uicerit dabo ei. Iam dictum est quòd græcanica disciplina huiusmodi sermonis compositionem talemque phrasis seriem, solœcismum vocet, de quo minima est ecclesiæ cura.

CAPVT X.

De uiso ab ipso ostio in cœlo, & throno ac uigintiquatuor senioribus & his quæ consequenter ostensa sunt.



Post hæc uidi & ecce ostium apertum in cœlo. Et uox prima quam audiui tanquam tubæ loquentis mecum dicens: Ascende huc & ostẽdam tibi quæ oportet fieri post hæc. Statimque fui in spiritu. Cap. IIII. C

Non quòd sensibile ostium in cœlo viderit tempore quodam clausum & alio apertum, hæc differit, sed ita apparuit Euangelistæ, vt per apertum ostium interiora necesse esset videri. Et vocem, inquit, audiui quæ tanquam tuba insonuit dicens, Ascende huc: non dicens, vt hic loco ascenderet, sed mentẽ à pedestribus erigeret & humanis. Verum hi potissimum qui mentem purificant à maculis quæ in hac materiali vita cõtrahuntur, has & huiusmodi dignas de deo visiones assequuntur. *Et uox prima quã audiui dicens,* Et hoc præter sermonis dispositionẽ, & quam ob caussam iam dictũ est. Oportuit enim ita dicere: Et vox eius qui loquebatur mecum dixit: Ascende huc: nam ita apto modo processisset.

Et ecce

D *Et ecce thronus ponebatur in cœlo: Et super thronum sedens aspectu similis lapidi Iaspidi & Sardio: & iris in circuitu throni similiter aspectu smaragdino: & in circuitu throni uiginti quatuor sedes: & super uiginti quatuor sedes† uidi uigintiquatuor seniores sedentes circumamictos uestibus albis, & super capita ipsorum coronas aureas. Et de throno egrediuntur fulgura & uoces ac tonitrua. Et septem lampades ignis accensæ in conspectu throni ipsius, quæ sunt septem spiritus dei.*

†Addidimus, Vidi uigĩtiquatuor, eo ꝙ hæc haberent quæcũq; uidimus exẽplaria.

E Spiritu, inquit, immutatus vidi thronum, per quem significatur dei requies quam habet in sanctis: in ipsis enim collocatur, tanquam capacibus diuinarum specierum. *Aspectu similis lapidi Iaspidi* Quoniam visum hic demonstrat patrem, corporalem ipsi figuram non assignat, quemadmodum filio in prima sua visione: sed pretiosis lapidibus ipsum assimilat: Iaspidem quidem vtpote viridi, designante quòd semper floreat, vitamque mortalibus adferat, iuxta id quod dictum est, Et herbam seruituti hominum. Herba nanque omne semen adfert quòd à deo ordinatum est ad alimentum mortalibus: Iaspis autem appellatur eo quòd assimiletur ἰῷ, id est veneno aspidis: Sardio verò propter terrorem dei: habet nanque Sardius ignis speciem. Quoniam enim ferri non posset deus, si ad extremum vsque iustitiæ vteretur iudicio, merito clementis ac boni præbet argumentum Sardius, vtpote terrens quidem, & ignis speciem ferens lapis, vt aiunt, sed quem non solum terrori dicunt esse feris ac monstris, verumetiam virtutem habere curandi dolores ac molestias quæ nostris innascuntur corporibus. Ait enim magnus Epiphanius, ipsum, si inungatur, curare tumores & plagas à ferro illatas. Animaduertendum est autem assumptos esse hoc loco lapides non pretij gratia, sed ob eam significationem quam ex colore habebant. *Et iris in circuitu throni.* Iris quidem quæ sensu percipitur, quam diuina scriptura vocat arcum vbi dicit, Arcum meum ponam in nubibus, ex solis repercussione exoritur, quando in nubis, aquosæ

Psal.146 *Gene.9.* F

quosæ densitate conclusus obiicit ipsam lucem, eius per nubem emissione, & variam ac omnigenam colorum apparentiam assumit. Et illa quidem iris talis est. Porrò quæ thronum circumambibat, solius Smaragdi speciem præ se ferebat. Iridem verò ipsam vocauit ab iride diuersorum colorum quæ apud nos est, vt varietatem intelligamus studiosi diuinorum angelorum ministerij: quorum diuersitatem in vnum terminat efficax ministerium, ad imitationem domini, quandoquidem & huius beneficentiã qua cuncta nutrit, indicare voluit virens lapidis Iaspidis color assimilatus in speciem viriditati lapidis Smaragdi. *Viginti quatuor sedes.* Sedem non aliud quippiam oportet hoc loco intelligere quàm studiosum conatum ad operationem diuinorũ iustorum. Solo enim hoc modo præparata anima diuinum est vehiculum quemadmodum & ipsa Cherubin. *Seniores sedentes.* De numero vigintiquatuor seniorum hoc loco considerandum erit. Supereminens & diuinissima sanctissimaque trinitas numerum septenarium, quem etiam affinem posuit huic suæ multitudini, initio iuxta inscrutabilem suæ sapientiæ profunditatem æquali numero sibiipsi conuoluens, numerum vigintiquatuor ostendit. Siquidem ter septem viginti & vnum efficiunt, qui est numerus deficiens à vigintiquatuor ternario, qui ternarius diuinæ trinitati omniũ creatrici cõsecratus est: ideo quoq; septenarius numerus tertio circumuolutus vnà cum circũuoluente ternario numerũ vigintiquatuor perfecit. Septenarij autẽ numeri num totus hic mũdus sensibilis capax est secundum suam virtutem mortali naturæ cognitu impossibilem? Aequali autem numero cum sedibus sunt hi qui sedent, & seniores sunt non iuniores: quoniam promissio quoque hæreditas vetustissima est, vtpote parato nobis regno ante mundi constitutionem: porrò his qui præparatum habent ante mundi constitutionem præmium, non tanquam recentioribus, sed tanquam inueteratis in diuinis præceptis datur regnum æternum. Demum aureas dicit esse coronas: neque enim potuit quicquam auro pretiosius proponere his qui in hac vita versantur ad efficacem & operosam cognitionem. *Et septem lampades ignis accensæ.* Septem lampades ipse interpretatus est septẽ spiritus: quæ aut sicut habet Iesaias diuina spiritus dona oportet intelligere, nempe

A (margin, line 1); B (margin, beside "lo enim hoc modo..."); C (margin, beside "sensibilis capax est..."); Mat. 25. (margin, beside "promissio quoque..."); Iesa. 11 (margin, beside "sicut habet Iesaias...")

D nempe sapientiæ fortitudinis,cõsilij,& quæ post hæc sequũtur: aut sicut Irenæus & Clemens † qui varia consarcinãuit,ministrantes & eminentes supra cæteros ordines. Septẽ quidem,eo quòd huic mundo præsideant, qui cum numero septenario nescio quid cognatum habet: aut sicuti iam proposuimus: Accensæ vero,propter continuũ tenorem ac perpetuitatem sanctimoniæ circa diuina, talis est nãque & ignis hic materialis incessanter illuminans ac inflammans: ideo

† ὁ στρωματεύς

Psal.103. quoque ait Propheta: Qui facit angelos suos spiritus & ministros suos ignem vrentem.

Et in conspectu throni tanquam mare uitreũ simile E *crystallo, & in circuitu throni quatuor animalia plena oculis ante & retro: & primum animal simile leoni, & secundum animal simile uitulo, & tertium animal habens faciem hominis, & quartum animal simile aquilæ uolanti.*

Mari assimilat id quod est in conspectu throni, maximam & incomparabilem significans multitudinem diuinarũ virtutum quæ in circuitu throni dei sunt, quod & Daniel significare vult per millenarium & myriadicum numerum. Vitreum autem mare & crystallinam habens speciem, splendorem designat incorporearum naturarum & ipsius throni, F siue angelicæ vitæ tranquillitatem, vt quæ immobiliter cõglutinata sit sicut vitrum & crystallus, sic vt nulla sorde obtenebrata, ad insensatas turbationes circunflectatur. *Et in circuitu throni quatuor animalia.* Quatuor hæc animalia nonnulli & quatuor euãgelia & quatuor generales acceperunt virtutes: vt leo quidem significet fortitudinem, & euangelium secundum Iohannem, quod etiam sanctus Irenæus Lugdunensis dicit æterni regni significatiuum esse, per illud, In principio erat verbum: per vitulum autem iustitiam tanquã propriis contentam laboribus, & euangelium iuxta Lucam, tanquam legitime & sacerdotali modo Christi genealogiam describens: per aquilam vero temperantiam, nam de hac testimonium datur huic animali, & euangelium iuxta Marcũ vtpote compendiosum & à prophetico spiritu incipiens. Porrò per hominem prudẽtiam, & euangelium iuxta Matthæũ,

Dan.7.

vt qui

vt qui naturaliter & non lege prædicauerit Christi natiuitatem. Fortassis autem & per hæc significatur Christi dispẽsatio. per leonem, tanquam rex ostenditur: per vitulum, vt sacerdos, imo magis vt sacrificium: per hominẽ, quòd propter nos vir sit effectus: per aquilam, tanquam dator viuifici spiritus ac super omnes deuolantis. Aut ꝙ per quatuor hæc animalia, dei aspectum assequatur creatura ex quatuor elemẽtis commixta: nempe igne, aqua, terra, aere, tanquam hæc animalia visa, ad designationem mundanorum elementorum referantur: leo quidem, propter animositatem & audaciam ad ignem designandum: vitulus autem, propter operationes circa terram, ipsam terram quam exercet: homo vero aerem, siquidem homo cœlestis ac sublimis creatura est propter mẽtis subtilitatem, porro aquila ad aquam designandam, ex aquis enim nactæ sunt volucres generationem. A B

Et quatuor animalium singula habebant alas senas in circuitu, & intus plena erant oculis. Et requiem nõ habent die ac nocte dicentia: Sanctus sanctus sanctus dominus deus omnipotens qui erat, & qui est, & qui uenit. Et quandocunque dederint illa animalia gloriã & honorem & gratiarum actionem sedenti in throno qui uiuit in secula seculorum, procident uigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabunt uiuentem in secula seculorum. Et abiiciunt coronas suas ante thronum, dicentes: dignus es domine & deus noster sancte accipere gloriam & honorẽ ac potentiam, quoniam tu creasti omnia, & propter uoluntatem tuam erant & creata sunt. C

Postquam dixit quatuor animalia in circuitu throni, & cuiusque figuram retulit, quod & nos quãtum possibile fuit iuxta datum nobis donum debito modo enarrauimus, nempe ꝙ significent dei prouidentiam quam exhibet circa vniuersam suam terrenam creaturam: atque idcirco quatuor animalia æquali constituta sunt numero cum quaternione qualitatum quibus elementata corpora (vt ita loquamur) hu

ius ma-

D ius materialis mundi constituta sunt: nunc eorũ quoque demonstrat obsequia, quod & Dauid ostendit dicens: Potentes
Psal. 102. virtute faciẽtes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius: hoc est, non præuenit præceptum completionem eius quod prærordinatum est, sed simul vt præcipit, perfectũ est id quod vult. Porrò velocitatem per senas alas dicit cuique contingere: hoc enim subindicat, ne quis audiens senas alas, vulgari modo has adesse existimet. Quod autem ait In circuitu, non alarum, sed quatuor animalium statũ designat, ꝙ non erant more elementorum, sed in modum circuli. Numerus vero alarum perfectionem designat ministerij, & id
E circa quod versatur ministerium. Siquidem numerus senarius apud eos qui in huiusmodi rebus diserti sunt, non laudatur, verum apud eos qui sensum supergrediuntur nihil habet inutile, ne id quidem ꝙ supplementum suscipiat ex pœnitentia proueniens. Porro senis alis composita fuisse spiritualia animalia dicit diuus Dionysius, quarum duabus facies operirent, duabus vero pedes, & duabus quæ mediæ erant volarent: vt circa sublimiora ac profundiora suæ apprehen-
† δεῖ ἦμ τοῖς μέσοις προστάσσεσθαι τὰς ἀρχικὰς αὐγὰς θείοις ζυγοῖς ἀνατείνειν sionis videatur ipsorum esse cultus, † propter quem mediis præciperetur eximios splendores diuinis sedibus concitare. Quod autem additur In circuitu, propter vniuersorum inspectionem traditum est: int* autem, quia nihil latere potest
F ea quæ diuina sunt, ne ea quidem quæ à nonnullis fiũt in occulto. Cæterum requiem non habent: non ꝙ laboriosum aliquid subeant continuo cantu ministrando. Circa sensibilẽ enim creaturam est labor, infatigabilia autem sunt quæcunque dicuntur immaterialia: & ibi, vt ait ille, fugit dolor, luctus ac gemitus. Non igitur laboriosum aliquid significatur per hoc quod dicitur, Requiem non habent, sed continuus
Iesa. 25. tenor circa diuinã laudem, vt ꝙ delitiose versentur ac perfe
Infra 21. cta sint ad gloriam & laudem dei. Demum triplicatione gloriæ ac sanctitatis intelligere possumus personarum trinitatẽ. *Procident uigintiquatuor seniores.* Per hæc nobis significatur ipsos quoque seniores quos considerauimus participes esse cantus ac laudis cœlestium virtutum, quum deo referũt acceptam potentiam ac victoriam quam de spiritualibus hostibus retulerunt. Consideranda est autem diligentia in narratione distinctionem temporum. Siquidem à promissione

præsentium

præsentium procedit ad futura: non sine prudentia hoc faciens,* sed ostendens quod etiam ante nouissimum præconium eorum qui recte operatur, fit aliqua gratiarum actio his qui defunguntur præsenti laborioso stadio, concedentes præfixo termino, quum vnicuique definitum sit id quod vtile est: vtpote recipiendo etiam commensuratas ad futurum & indissolubile seculum retributiones: siue sit miraculorum accessus siue alia quæuis beneficia. Non igitur côfiguratio erga Iesum Christum dei filium incarnatum, à ministrantibus procedens spiritibus, pariterque cum illis & ab hominibus qui sese præstiterunt eximios operibus, & benedictio ac laudatio, vltimo duntaxat die reposita est, sed etiam in præsenti: quemadmodum is qui conspicitur transitus distinctionû temporum demonstrauit his qui acute possunt perspicere.

A *Loquitur de tépore inter mortê & extremum iudicium, idque iuxta græcorû opinionem de operû retributione in extremo iudicio. Porrò quâ quàm non omnino satisfaciat nobis propria uersio hoc loco, non tamen græca margini addidimus, eo quòd ægre his poni possent marginibus.

B

Et abiiciunt coronas suas. Coronas ante thronum abiicere victoriam significat, veluti nunc quoque in his videre est qui vincunt in certaminibus? Thronus vero dominationem ac potentiam designat. Est autem corona regni insigne, qui igitur coronas ante thronum abiiciunt, quid aliud quàm certû ac verum regnum & victoriam aduersus omnes, deo per omnia referunt? dicentes: Tibi domine ab omnibus debetur gloria tanquam conditori ac plasmatori, & qui, quum nô essent, produxisti vt essent, conseruas ac contines.

C

CAPVT XI.

De libro signato sigillis septem qui erat in manu domini, quê nulla creata natura potuit aperire.



ET uidi in dextera sedentis in throno librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et uidi angelum fortem prædicantem uoce magna: Quis est dignus aperire librû & soluere signacula eius? Et nemo poterat neque in cœlo neque in terra neque subter terram aperire librû neque aspicere illum. Et ego flebam multum quòd nemo dignus esset inuêtus aperire librum neque aspicere illum. Et unus de senioribus dicit mihi: Ne fleueris.

Cap V.

Quæ ad dexteram dei sunt, designant animæ bona, quæ etiam

D etiam parœmiastes Solomon ostendit in dextera sapientiæ reponi, per vitam ea significans dicendo: In dextera ipsius
Prou.3. vita. Quæ vero à sinistris, bona corporis & mortalem hanc vitam: quæ per gloriam ac diuitias innuit dicens: In sinistra ipsius diuitiæ & gloria. De throno vero dictum est ꝙ potestatem ac eminentiam significet eius qui super ipsum sedet. Quid est autem liber nisi sapientissima & incomprehẽsibilis dei memoria? quam & Propheta Dauid & Moses præsignarunt:
Psal.138. runt: ille quidem quum diceret, In libro tuo omnes scribẽtur:
Exo.32. tur: hic autẽ quum ait, Aut dele me de libro quem scripsisti. Porro intus & foris scriptum esse septemque sigillis signatũ,
E hoc erit, vt intus quidem scripti dicantur qui sunt ex Ierosolymis tanquam dei cultores legis ducatu: foris autem siue à tergo & deteriori parte, qui ex gentibus. Septem vero sigilla septenario numero insigne habentia & significantia dierum varietates ac successiones quæ in transitorio hoc mũdo contingunt, quid aliud intelligendum præbẽt, nisi ꝙ nemo præter solum deum exacte scire possit quæ in exitu vitæ cuiusque nostrũ expectentur? Aut igitur hoc ita est: aut clausum esse librum, hoc demonstrare volentis est, nullum diui-
Psal.13.52 no aspectu dignum haberi præter paucissimos. Siquidem o-
Roma.3 mnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, inutilitate quæ ex peccato Adam contracta est: & perdiderunt libertatem
F quæ est erga deum. *Et nemo poterat.* Hominum quidẽ nullus poterat, is autem qui agno similis erat, maxime: quemad-
Psal.5. modum etiam per Dauid iam dictum erat, Mane exaudies vocem meam, mane vocando aduẽtum domini per carnem, per quam præsentiam vel aduentum nacti sunt homines diuinum aspectum, siue vt ante illum sisterentur digni effecti sunt, ab eo qui collapsa erigit & contrita reparãdo cõstringit. Propter hæc etiam misericors illius ad nos accessus ordinatus est, & propter hunc prophetarum preces exauditæ
Psal.143. sunt: inter quas est & illa, Inclina aurem tuam & descende. *Et ego flebam quod nemo dignus esset inuentus.* Neq; enim an-
Iesa.63. gelus neque homo hæc assequutus est, vt inquit Iesaias, non senior non angelus, sed ipse saluos eos fecit. Neque igitur quisquam eorum qui carne carent, neque eorum qui in carne degunt, neque eorum qui carnem morientes reliquerũt, exactam accepit diuinarum rerum notitiam: nam hoc indicat com-

eat complicatum fuisse librum: hoc est vniuersæ creatæ naturæ incognita esse dei iudicia. Creatæ itaque naturæ complicatus fuit liber, nec solum impossibile fuit cuiquam aperire, sed nec aspicere illum potuit, hoc est neque fixis ad diuina iudicia oculis poterant respicere. Sed qui tãtæ erant indignitatis, postquam subsequutus est agni ad eos aduentus, quæ antea perplexa & inexplicabilia erant, facile peruia effecta sunt: & quæ difficilia, facilia ac prompta fuere. *Et unus de senioribus.* Vnus de senioribus, siue diuinioribus virtutibus, quæ & ipsæ ex rerum dispositione quæ circa nos contingit gaudio implentur, quemadmodum etiam dicit dominus, Gaudium fit in cœlo ob vnum peccatorem resipiscentem. Quod si id ob vnum peccatorem contingit, quantũ erit obsecro gaudium propter multos? propter quod etiam prouenit agni confidentia, qui aperuit librum vt cognosceretur is qui propter nostram salutem aduenerat. Quodque hoc ita sit docuit nos ipse dominus dicens: Non veni vt vocem iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

A B *Luc.15.* *Matt.9.*

CAPVT XII.

De agno habente cornua septem quomodo librum aperuerit.



Ecce uicit leo de tribu Iuda radix Dauid, qui aperit librum & septem signacula eius. Et uidi in medio throni & quatuor animalium & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem & oculos septem, quæ sunt septem spiritus dei mißi in uniuersam terram. Et uenit & accepit de dextra sedẽtis in throno librum. C

Vicit eum qui nos vicerat diabolum. Quis est autem qui vicit? is qui tanquam deus quidem est leo, de quo patriarcha quoque Iaacob decumbens vaticinatus est, Vt leo de tribu Iuda: tãquam radix vero ipsius Dauid, sicut creator propter diuinitatem: ex radice autem Dauid dictus est eo quod dictum fuerit de radice Dauid virgam produxisse florem propter humanitatẽ. *Agnum stantem tanquam occisum.* Agnus est Christus qui etiam præfigurabatur per agnum qui iuxta legale pascha immolabatur, & per Iesaiam tanquam ex personа Chri-

Gene.49. *Iesa.11.*

D

Iesa.53. na Christi dicit: Ego autem sicut agnus innocens qui ducitur vt immoletur, non cognoui, & illud: Sicut agnus coram
Iere.11.
D tondente se sine voce, & si quid huic sententiæ cõforme est quod hominis passionem nobis manifestissime figurauit. Quòd autem occisus non dicatur, sed tãquam occisus, significantis est quòd in morte non permanserit: reuixit enim
Psal.15. Christus: Nam hoc est quod dicitur non dari sanctum vt videret * non interitum sed corruptionem: tanquam interitus quidem, separationem animæ à corpore designet: quod etiam verè Christo accidisse nullus piorum cultorum recusat suscipere: corruptionem vero non. Neque enim perfectæ humanorum membrorũ dissolutioni subiectus fuit, sed quo tempore corruptionem subingredi oportuisset, eo superueniens
E resurrectio corruptionis vim retudit. Ideo quoque triduana fuit Christi in morte remoratio. Siquidem probatus est is qui scripsit naturalem historiam, dicẽs corpora moriẽtium quæ ab igne consumpta non sunt, tres dies sustinere, naturali vita in eis agente, ac deinde interitui, imo potius corruptioni tradi. *Habentem cornua septem.* Cornua potentiam designant & gloriam, quemadmodum vbi de potestate dici-
Psal.74. tur: Et omnia cornua peccatorum cõfringam: de gloria vero, Et exaltabitur cornu iusti. *Quæ sunt septẽ spiritus dei.* Septem spiritus sunt septem operationes spiritus, nempe sapiẽtiæ, intellectus, scientiæ, consilij, fortitudinis, pietatis & timoris domini: quæ operationes efficaciam habuerunt in san-
F ctis qui sunt in vniuersa terra. *Et accepit de dextra sedentis in throno librum.* Agnum accepisse de dextera sedentis in throno librum, iuxta humanitatem intelligendum est, quemadmodum occisum esse: iuxta diuinitatem namque nihil proprium est tribus personis ex his quæ deo conueniunt, præter modum productionis ingeniti & geniti ac procedentis.

* οὐχὶ φθορὰν ἀλλὰ διαφθοράν

Quumq; accepisset librũ, quatuor animalia & uigintiquatuor seniores prociderunt coram agno habẽtes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt precationes sanctorum: & canunt canticum nouum dicentes: Dignus es accipere librum & aperire signacula eius quoniã occisus fuisti & re-

demisti

demisti nos deo per sanguinem tuum ex omni tribu & lingua & populo, & natione, & fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes: & regnabimus in terra. A

Quidam sanè interpretati sunt hæc quatuor animalia excellentes diuinas virtutes qualescũque illæ sint, quę dei potentiam designarent circa mundum ex quatuor elementis constitutum: alij verò virtutes quidem, sed quæ elementis præficiuntur, vnde ipsum subsistit vniuersum, & quæ ipsum conseruant vt permaneat. *Prociderunt coram agno.* Agnũ qui accepit librum adorarunt omnes qui præscierunt salutẽ quã hominibus exhiberet, & supplicium quod impuris dæmonibus infligeret. Porrò seniores habere citharas, concinnum ac suauem sonum significat glorificationis erga deum: aureæ B vero phialæ, mentes quæ grata deo opera perficiunt (ideo quoque per aurum designatæ sunt, materiam apud nos pretiosam) quæ ex eo quòd assiduè eriguntur ad id quod diuinũ est, præmium iuxta progressum in virtute inuenerũt. Ex his etiam procedunt odoramenta euaporantia iustæ dei aduersum nos iræ curationem quæ praua oppugnat studia: ideo etiam Odoramenta dixit, non Aromata. Curatio enim vt dixit ille, cessare faciet peccata magna. Quòd autem ad animi curationem sanctorum precationes interpellũt apud deum, & ex veteri testamento manifestum est, quum ait Samuel. †Si quis in deum peccauerit precabitur pro eo: ex nouo autem, quum sancti Christi domini acceperunt potestatẽ soluendi peccata ac ligandi. Porrò nouum canebant canticum, quia nouum erat quod iram placaret, quod occisus sit agnus Christus ad expiationem ac salutẽ vniuersi orbis: ideo quoque dat' est illi liber vt aperiret ac solueret signacula, vt qui per sanguinem suum redemerit nos ex omni natione omnique lingua: nam hoc est nouum canticum: propter quod qui ex omni terra illustrati sumus, discedentes ex vetustate legis scriptæ, & ambulantes in nouitate vitæ, edocti sumus canere munera per spiritum sanctum donata. *Ex omni tribu & lingua.* Dicere ex omni tribu & lingua, & non Tribum & linguam, distinctionem docet quod non omnes sed quidam digni habiti fuerint qui à suis laborib' cæde agni & per ipsius sanguinem redimerentur. *Et fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes.*

Eccl. 10. C 1. Re. 2. *ponuntur quædã huiusmodi uerba, non à Samuele sed ab Eli prolata, ac longe diuersum sẽsum habẽtia, quare opinamur autorẽ ex memoria.*

ut sæ- pius solet, nō satis re ctè citasse. D *sacerdotes.* Hæc etiam iuxta literam iam sortiuntur effectū, propterea quod & reges & sacerdotes, dei cultores ac fideles perseuerant. Potest autem & sublimius intelligi vt reges quidem sint qui regiam victoriæ coronam aduersus affectus capiti habent impositam, sacerdotes verò qui hostiam viuam deo acceptabilem seipsos exhibuerunt. Qui iuxta hanc interpretationem tradit haberi terram, mansuetis à domino iure hæreditario promissam, nequaquam inter eos qui à scopo aberrant censeri potest. *Matt.5.* *Et regnabimus in terra.* Quòd dicūt Regnabimus in terra, iuxta promptiorē intellectum, & qui in uitis videtur, modum viuendi iuxta legē designat, qui magis introductiuus est, & veluti tradens elementa perfectissimæ conuersationis secundum Christum, quatenus nihil ad perfectum duxit lex. E Iuxta verum autem intellectum eā designat vitam beatam perpetuamque ac indissolubilem, quæ in futuro erit sæculo: ideoque in fine hoc insinuatur.

Et uidi & audiui tanquam uocem angelorum multorum in circuitu throni & animalium & seniorum. Et erat numerus eorum myriades myriadum & millia milliū dicentia uoce magna: Dignus est agnus qui occisus fuit accipere potentiam & diuitias, & sapientiā & fortitudinem & honorem, & gloriam & benedi- F *ctionem. Et omnem creaturam quæ erat in cœlo, & in terra & subter terram & in mari, & quæ in ipsis sunt, omnes audiui dicētes: Sedenti in throno & agno benedictio & honor & gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Et quatuor animalia dicentia amen. Et seniores prociderunt ac adorauerunt.*

Spiritualiter vox erat, at non sensibiliter & per strepitum in aere resonans: ideo quoque calculus præconij agni quod futuro erit tempore describitur, non quod iam completum est: quatenus omnis qui deo adhæret, & vsque ad consummationem per memoriam benignarum pro nobis agni passionum prudenti dementia vrgetur, ad domini retributionem,

nem, quanquam seruus sit, properare solet. * Nam de æqualitate honoris superfluum esset loqui. Quid enim magnum fecerit seruus, si eadem patiatur quæ dominus? Quodam autem ordine separata esse diuitias, potentiam, sapientiam aliaque huiusmodi, ex decreto quo illa per eminentiam accipiatur quum res ita se non habeat, humana opinione assumptum est: diuinitas enim his non eget, vt quæ omnem excedit honorem, & quum omnia suum esse ab ea acceperint, & deinceps procedant, deducente ea diuinitate ad dignum ipsis honorem *Et omnem creaturam &c.* Ab his omnibus tam intellectualibus quàm sensum sequentibus, tam viuentibus quàm simpliciter esse habẽtibus per naturales rationes, deus glorificatur tanquam principium & autor omnium, & vnigenitus ac consubstantialis huius filius, & sanctissimus ac viuificans spiritus. *Et quatuor animalia.* His quoque ostenditur vnum ouile angelorum & hominum per Christum perfectum, sub vno pastore Christo agens, vnaque ecclesia per Christum qui interstitium maceriæ diruit, quod primi parẽtis Adam inobedientia construxerat. Amen vero ex lingua Hebraica sumptum est, ad firmitatem approbationis inductum, eandem habens vim quam Næ, Profecto, Certe & Immutabiliter. *Et seniores prociderunt.* Et seniorum procubitus siue prostratio vnà cum quatuor animalibus (de quibus animalibus dictum est quorum figuræ sint) & qui designant complementum hominum qui salui fiunt, per adorationem ostenderunt quod agno postquam occisus fuit, datur potestas cœlestium, terrestrium & inferorum: quemadmodum & ipsum audire possumus dicentẽ postquam resurrexit à mortuis: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

*τὸ γὰρ ἐξ ὁμοτίμου

A

B

Ephe. 2.

C

Matt. 28.

CAPVT XIII.

Solutio primi sigilli designans doctrinam apostolicam.



ET uidi quòd aperuerit agnus unum ex septẽ sigillis, & audiui unum è quatuor animalibus dicens tanquam uocem tonitrui: Veni & uide. Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcum, & data est ei corona: & exiuit uincens & ut uinceret.

Cap. V I.

D Si signatum esse librum significat non esse liberum dicere quæ in ipso scripta sunt, & clausa esse omnium ora coram deo, ad omnem caussæ defensionem, iuxta ea quæ iu superioribus dicta sunt: paulatim certe aperiri sigilla significare potest factam sensim subleuationem in libertate ac familiaritate erga deum, quam nobis conciliauit vnigenitus incarnatus, suis operibus nostra corrigens delicta. Præterea quoque significatur hinc debitus modus seruatus in cœlestibus, à primis ordinibus ad secundos descendens. Iccirco ab vno quatuor animalium facie videlicet leonis, primam vocem editam fuisse audiuit, qua iubebatur, Veni. Referendũ est autem Veni ad insinuandum præfigurationem visionis, quum

E ita conspexerit apostolus visioné. Primũ vero animal quod est leo, significare mihi videtur regiam apostolorum aduersus dæmones constantiam. ideo dictum est, Reges terræ cõ-

Psal. 46. gregati sunt, & alibi, Constitues eos principes super omnem

44. terram. Sunt autem nonnulli qui cuiuslibet sigilli solutioné intellexerunt de salutari domini propter nos incarnatione: primum referentes ad natiuitatem quæ soluit nos à vinculis carnalis generationis, quemadmodum & Paulo videtur quũ

1.Cor.7. scribit: Alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: immundi, propter assumptam substantiam à corruptione iuxta carnem: sancti vero, tanquam cõformes effecti

F incorruptæ natiuitati eius qui ad nos venit ex virgine. Secũdum auté ad regenerationé diuini baptismatis, quod abluit nos turpitudine generationis secundum carné. Hæc de primo & secundo, & de generatione ex virgine & ea quæ est per sacrum baptisma, quæ tãquam & ipsa pellucida similis ei quæ fuit ex virgine, cõiuncta est. Tertij vero sigilli solutionem, ad diuinorum miraculorum domini operationem quæ post hæc successit. Quarti ad præsentationem coram Pilato. Quinti ad affixionem in cruce. Sexti ad depositioné in sepulchrum. Septimi ad spoliationem factam in inferno. *Et ecce equus albus.* Equus quidem albus symbolum est apostolicæ prædicationis, vtpote per ipsam & eorum generationé maximo beneficio hominibus præstito. Porrò equo vectus

Habba.3. est is ad quem Habbacuc ille sanctissimus canit diuinitus: Induxisti in mare equos tuos, & ipsum arcum idem quoque Habbacuc, vaticinatur dicens: Intendens intendes

arcum

arcum tuum. Porrò coronā acceperunt ipsi beatissimi Apo- A
stoli, eo quòd per veritatem deuicerunt principatum erroris ob spem secundæ victoriæ, quæ est per confessionem dominici nominis seruatam vsque ad mortem. *Et exiuit uincens & ut uinceret.* Christus erat vincens vt vinceret, qui vbi prima vicisset victoria, nempe Gentium ab idolis conuersione, à qua & vincens cognominatus est, ad secundam victoriam instructus est, qua de mortali hoc corpore per correctiones illos inungit, qui confessioni sui nominis firmiter adhæserunt, & coronati sunt corona, nempe signo suæ victoriæ.

CAPVT XIIII.

Solutio secūdi sigilli significans bellū infidelium aduersus fideles.

Et quum aperuisset secundum sigillum, audiui secundum animal dicens: Veni & uide. B
c *Et exiuit alius equus rufus, & sedenti super eum datum est, ut tolleret pacem de terra, ut inuicem se interficerent: & datus est ipsi gladius magnus.*

Secundum animal est vitulus qui sanctorū martyrum sanctas designat & rationabiles hostias: primum enim animal apostolicam designauit potestatem, vt iam dictum est. *Vt tolleret pacem de terra.* Coniectura assequor hanc secundam esse ab Apostolis successionem, quam per martyres & doctores expletam cognouimus: in qua cum iam se predicatio dilataret, mundi pax soluta est, diuisa aduersus seipsam huma- C
na natura, iuxtà illud quod à domino dictum est: Non veni *Matt.10.*
vt mittam pacem in terrā sed gladium, & vt excitem patrem & filium & filiam, & matrem, & nurum, & socrum in cædem mutuā, vnde & martyrū occisiones ad superius altare sublatæ sunt. Porrò rufus equus, aut signum est effusionis sanguinis martyrum: aut spirantis ignem affectus martyrum erga Christum propter quem & mors ipsis vita suauior apparuit. Quod autē scriptū est datum fuisse sedēti super equū, vt tolleret pacem de terra, sapientissimam dei permissionē ostendit, qua fideles seruos probat tentationibus. *Et datus est ipsi gladius magnus.* Sedenti super equum rufum datus est gladius magnus, vt inuicē se homines occiderēt: hoc est vt tol-

D lerent ac amputarent concordiam ad malũ, eorum qui erant in terra. Siquidem concordia inter ipsos erat: cæterum vbi immissus est dei cultus, à se inuicem tollere cœperũt fœdera ad malum, hoc enim designat insurrectio patris aduersus filium,& nurus aduersus socrum.

CAPVT XV.

Solutio tertii sigilli eorum significans excisionem, qui non firmiter Christo crediderunt.

Et quum aperuisset tertium sigillum, audiui tertium animal dicens: Veni & uide. Et ecce equus niger, & qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua. Et audiui uocem de me-
E *dio quatuor animalium dicentem: Chœnix tritici denario, & tres chœnices ordei denario: & uinum & oleum ne læseris.*

Tertium animal hic dicitur homo, significãs hominũ excisionem: & propterea minus inducens supplicium, nempe excisionem. Cæteri vero, sicut prædictum est, tertij sigilli solutionem, Dei erga nos misericordiã significare dicũnt, qui non æqualis momenti ducens nostras iniquitates cum retributione ad condemnatorum auersionem, sed salutarium suarum doctrinarum & diuinorum signorum beneficiis nos afficiens, auctarium prębuit dissolutionis diaboli. *Et ecce equus niger.* Equus niger mœroris ac luctus symbolum est, aucta
F & exhibita Diaboli subuersione ꝑ diuinas exhortationes, & idcirco suam luget dissolutionem: quòd qui tam multis temporibus aduersus humanam præualuerat naturam, martyrũ
Psal.9. sanguine demersus sit. Porrò statera æqualitatis ac iustitiæ indicium est. Ait enim Dauid: Sedisti super thronum qui iudicas iustitiam. Statera igitur signũ est iusti iudicij Dei: ideo quoque ausi sunt homines libere loqui deo dicentes: Fecisti iudicium meum & caussam meam. *Chœnix tritici denario.*
μετον λ- Triticũ † paruo distrahi futuræ famis signum est, quę etiam
κεῖσθ. facta est, vt in sequẽtibus dicetur. Potest autem triticum moraliter eos designare qui legitime propter Christum certauerunt, qui etiam donario digni inuenti sunt, vtpote datæ sibi diuinæ imaginis diligentes obseruatores ostensi. Tres vero

chœni-

chœnices siue semimodia ordei eos designant, qui quum mo A
re brutorum ex animi pusillanimitate & ignauia iudicibus
succubuissent, pari modo postmodum resipiscentes, sordidā
animam lachrymis abluerunt. Porrò tres hi chœnices dena
rio vno appretiati sunt, tāquam vnius Christi triduana sepul
tura oblata pro vniuerso mundo, qui datam sibi diuinam ima
ginem per peccatum defœdauerat. Ipse siquidem Christus
primo die apud inferos hæsit pro his qui ante Moysi legem
peccauerant, secundo pro his qui in lege. tametsi enim non-
nulli resipiscentiam ostendissent ob praua opera à se perpe-
trata, pariter hanc illis opponentes: attamen licet vere spe- B
rassent veniam, quum is nondum apparuisset qui hanc dare
posset, nondum ipsam assequuti erant, propterea sane & se-
cundo die apud inferos permansit: tertia vero mora fuit in
qua & resurrexit, quoniam impossibile fuit ipsius vitam à cor
ruptione superari. Præterea triticum quidem euangelicus ac
salutaris sermo dici potest, & qui perfectos decet viros qui
sensus habent exercitatos ad discretionem boni ac mali or-
deum vero erit Moysi legislatio. Nam sicut ordeum ante tri
ticum maturescit, ita & hæc ante prædicationem euangeli- C
cam, alens homines magis brutales, nempe Israelitas ita cras
se affectos ad diuina. Ait ergo is qui diuina nobis dat respon
sa in medio quatuor animalium, tritici quidem chœnicem
vendi denario, ordei vero tres chœnices etiam denario,
tanquam maior sit euangelicæ prædicationis inopia ob li-
bri perfectionem.

CAPVT XVI.

Solutio quarti sigilli manifestans inducta castigatoria flagella in eos, qui dominum negauerunt ob defectum tolerantiæ.

ET quum aperuisset quartum sigillum audi-ui quartum animal dicens: Veni & uide, Et ecce equus pallidus, & sedēti super ipsum nomen erat mors, & infernus sequebatur ipsam. Et data est illis potestas super quartam partem terræ, ut interficerent gladio & fame & morte & à bestiis terræ.

Quartum animal nempe aquila, vtpote acuti aspectus &
velo-

D velociter tendens ad escam, supernè venit ex illata à Deo ira plagas inferens ad vltionem piorum. *Et ecce equus pallidus.* Equus χλωρὸς, id est pallidus aut viridis, gerit iræ symbolum: sicut & χλόη, id est herba quæ à medicis χλωρά appellatur. Mors autem & infernus steterunt, vt spiritualiter pugnarent aduersus scelestos dæmones & supplicium inferrent propter hominum interemptionem. Nondum tamen hoc sermone infertur perfecta dæmonum interemptio, sed ex quarta duntaxat parte: quoniam iuxta præsentem visionem nondum perfecta est Christi passio ex tribus partibus. Porrò vastationem tropicè nominat occisionem: & famem, illorum defectionem qui ipsos olim adorauerant: & interi-

E tum tyrannidis ipsorum, dicit vastationem vel corruptionem eorum à bestiis: vocans bestias terræ dæmonum aduersum nos vexationes & insolentias ad afflictiones, quæ adducant interitum. ALIO MODO. Eusebius vero Pamphili octauo capite libri noni ecclesiasticæ historiæ in hunc scribit modum. In feruore persequutionum sub Maximiano qui Romanis imperabat, fame & peste inter hæc præter cæteros casus grassante, innumera multitudo moriebatur, adeo vt ipsis sepulchra tradi non possent: quanquam christiani tunc enixè ac liberaliter circa funera occuparentur, & seductos, humanitate inducerent ad veritatis agnitionem. Ab Armeniis vero qui in Romanos insurrexerunt, non paucos dicit gladio fuisse trucidatos & morientium corpora à canibus

Ex monumētis Andreę.

F fuisse consumpta: sic vt postmodum cæteri qui relicti erant, ad canum interemptionem conuerterentur, veriti ne & ipsi morientes, hos, si viuerent, sepulchra sortirentur. Non est autem absurdum vt canes in ipsis quoque alimentis participes faciant feræ agrestes, propter escæ abundantiam. In nostra etiam natione horum singula contigisse cognouimus ex his quæ nunc apparent.

CAPVT XVII.

Solutio quinti sigilli significans clamorem sanctarum animarum ad Dominum ut fiat consummatio.

T quum aperuisset quintum sigillum, uidi e subter altare animas interfectorū propter uerbum dei, & propter testimonium agni quod

quod habebant: & clamauerunt uoce magna dicentes: A
Vſquequo domine qui es iuſtus & uerax, non iudicas & uindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra? Et data eſt ipſis ſtola alba, dictúmque eſt eis ut requieſcerent adhuc ad tempus, donec complerentur conſerui eorum & fratres eorum, & qui occidendi erant ſicut & ipſi.

Quinti ſigilli apertionem, hi qui prædictorum quatuor ſolutionem Chriſti paſſionibus attribuunt, & his quę diſpenſatorie peracta ſunt circa ſalutarem nobis incarnationem, ſicuti iam propoſuimus, hanc etiam querelam & clamorem meritò prophetis tribuunt antea mortuis, & dei ſapientia B
plenis viris, Chriſti aduentum exoptãtibus, eiusque moram ægre ferentibus, qui diuinam longanimitatem ad crucē vſque prorogatam, clamore fatigant: ad vltionem videlicet malorum ac impiorum hominum, aut dæmonum qui debacchantes impulerant hos vt ad huiuſmodi procederent iniurias, aduerſus ſuos contribules & eiuſdem ſortis homines, qui hæc propter pietatem pertulerunt. Siquidem vſque ad ſaluatoris paſſionem & crucem non erat adeo manifeſta vltio quæ aduerſus impios à deo ſumeretur: ſed ab eo tempore innumeras paſſi ſunt afflictiones, ſi fidedignus eſt Ioſephus, qui non Iudæos tantum ſed & Græcos ſcripſit fame & peſte mutuiſque ſeditionibus fuiſſe cōſumptos, vt paulò ante propoſuimus. *Vidi ſubter altare.* Altare merito dicebatur C
cui nō deerãt ſacrificia ꝑ ſanguinem, & victimę ſubter ipſum ſeparatæ erãt, tãquã terrenę & mortalē habētes ſubſtãtiam, quod ex ipſo loco ſuſcipit euaporãtem à victimis gratã deo fragrãtiã, nō ſenſibilē, quū neq; ſēſui ſubiecta ſit, quãquã etiã ſenſibilis ſit traditio quę emittit à victimis, ſed quę ſolo intellectu cōuenicter ab his cōſpiciat, & ab oib⁹ is qui cōpletione bonorū certaminū referunt † cōmodã mercedis acceptionē. ἐυαπό-
Hinc etiã magis ꝓpriū eſt, vt quę de ſigilli ſolutiōe dicūtur δεκτον.
eis attribuãt, qui tēpore Chriſti aut poſt Chriſtū ꝓbitatē retulerūt, quã ad eos qui ante Chriſti aduētū ꝓ pio ſermōe veteris teſtamēti decertarūt. *Vſq; quo domine nō uindicas.* Non aduerſus homines vltio dirigitur (neque enim hoc charitatē

decet

D decet vt aduersus eos insurgat qui eiusdem sunt generis)sed sancti hanc aduersus dæmones expetunt,qui homines inducunt ad sui interemptionem. Deinde accipiunt primam stolam albam,&per hanc stolam etiam cognitionem dilationis, non absurde, quanquam non vsqueadeo profundè considerando. Alio quoque modo. Et per hæc apparent sancti petere mundi consummationem : ideo longanimiter expectare iubentur vsque ad consummationem fratrum, ne absq; ipsis consummentur, iuxta diuinum Apostolum. Albæ autem stolæ florentem in ipsis virtutum splendorem designãt quo induti sunt, quanquam promissiones nondum reportarunt: horum igitur spe quæ per intellectum veluti in speculo contemplantur, omni crassitie liberati, merito lætãtur, quiescentes in finibus Abraham: nam id à multis sanctis dictum est, vnumquenque virtutis cultorem sortitum esse dignum locum,vnde etiam de futura sua gloria certam quandam assequatur coniecturam. *Et data est ipsis stola alba.* Alba stola indicium est quòd suo sanguine purificati sint, & omnes exuerint sordes. Simul autem & hoc innuit stolæ candor,quòd non oporteat eos qui apertè & cũ splendore Christum liberè confessi sunt, propter quod etiam viriliter passi sunt, vt è corruptibili mũdo excederent, vbi nunc ad vitam incorruptibilem & labore carentem appulerunt, tanquam sumpta huius satietate, euulsionem ex satietate accipere. Vnde etiam angelorum ad æterna bona prospectus, à quodam afflato diuino numine sumptus est propter desideria: F tanquam per prospectum nihil aliud ipsi requisierint quàm vel modicam illorum accipere cognitionem,assiduo desiderio semper affixam,

Ex monumẽtis Andreæ.

Heb.11

Sequitur dogma Græcorum. E

1.Pet.1

CAP. XVIII.

Solutio sexti sigilli significans eas quæ inferentur in consummatione plagas.



T uidi quum aperuisset sigillum sextum: & terræmotus factus est magnus, & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est tanquam sanguis, & stellæ cœli ceciderunt in terram, sicut ficus abiicit grossos suos quum à uento magno mouetur.

Sexti

Sexti sigilli solutio perfectissimam nobis salutem operata est: ex hac enim Christus mortem dissoluit, vitã reduxit, ab eo qui homines deuicerat triumphando, coronam abstulit: iuxta id quod scriptum est, Ascendisti in altũ, captiuitatẽ duxisti captiuam. Quæ est autem sexti sigilli solutio? Crux & mors domini, vnde sequuta est optanda cunctis tam fidelibus quàm sensum sequentibus resurrectio, quæ non viuos solum beneficio affecit, verumetiam illos qui antea dormierãt. A Psal. 67

Et terræmotus factus est magnus. Manifeste describit nobis visio signa quæ in Christi passione facta sunt: terræmotum & quassationẽ terræ, solis tenebras, & totius lunæ mutationẽ in sanguinem. Ex maxima autem diligentia significatum est in luna quòd tota mutata fuerit in sanguinem. Quum enim esset pleno lumine, vtpote decimoquarto die, & ex diametro distaret à sole, quomodo possibile fuit, vt solem repentino suo aduentu obscuraret? Nam ita solarem eclipsim fieri dicunt, qui circa eam inuestigandam sese occupant. Rursum quomodo possibile fuit, vt luna in medio die constituta talis appareret? Vnde etiam Dionysius Areopagita ad diuinum refert miraculum quod tempore passionis in sole contigit, non iuxta affectiones in corporibus cœlestibus fieri solitas. Quidam autem prædicta omnia moraliter intelligendo, ad ciuitatis obsidionẽ quæ sub Vespasiano facta est, retulerunt. Plurimi verò interpretum terræmotum hoc loco dixerunt transitum ex persequutionibus quæ propter Christum inductæ sunt ad tempus Antichristi: ex consuetudine scripturæ dicentes terræ motum vocari mutationem rerum: quemadmodum vbi dicitur, Adhuc semel ego concutiam: significat enim translationem eorum quæ commouentur, veluti declarat diuus Paulus. Et in veteri testamento egressus Israelitarũ ex Aegypto dictus est terræ motus: quemadmodum ait & Dauid, Terra mota est, etenim cœli distillauerũt. Siquidem tantas afflictiones fore dicunt quantas nunquam antea fuisse cognouimus, idque sapienter prædixerunt, vt his præmeditatis homines nõ fatiscerent ad inducta ab Antichristo supplicia. Porrò solis nigredo & lunæ obscuritas colorque sanguineus, lucis ostendit carentiã in his qui sub diuina ira fuerint deprehensi. Stellas autem cadere est, eos qui videntur luminaria in mundo, cadere tanquam labefactos ad ea quæ contige-

B EX MONVMENTIS ANDREAE. Aggæi. 2 C Heb. 12. Psal. 67.

D contigerint: Ideoque imperfectis fructibus ficus, nempe grossis assimilati sunt.

Et cœlũ recessit sicut liber qui circũuoluitur: & oĩs mõs & insula de locis suis mota sũt. Et reges terræ & primates, & tribuni & diuites ac fortes, & oĩs seru⁹ ac liber abscõderũt se in spelũcis & in petris mõtiũ, & dicũt mõtib⁹ & petris: Cadite super nos, & occultate nos à facie sedẽtis super thronũ, & ab ira agni, quoniã Nescio an *uenit dies magn⁹ iræ ipsi⁹, & quis poterit † salu⁹ fieri?*

mendũ fuerit quòd pro σαθῆναι stare, habuerit nostrũ exẽplar σωθῆναι. i. saluus fieri.

Cœlum in modum libri cõuolui, aut simpliciter designat E secundum Christi aduentum: liber nanque sine strepitu ac repentè aperitur: aut quòd cœlestes quoque virtutes his cõdolent qui à Christi fide exciderunt tanquam circumuolutionem ac mœstitiam habituris. Per hoc autem etiam aliud libri circumuolutione intelligi admonemur, nempe quòd corpus cœli non sustineat perfectam abolitionem, quemadmodum ait Irenæus Lugdunẽsis quinto redargutionis libro aduersus electionem falso dictæ sapiẽtiæ. Neque enim persona neque essentia obscurabitur in creatura: verus est enim & firmus qui ipsam constituit: sed formã adducit mundi hu-

Psal. 103. ius, etiam vbi transgressio facta est. Ideo quoque Dauid, Renouabis, inquit, faciem terræ, non autem immutabis. Arbi-

ἠλιτάριον γὰρ οἱ Ἑβραῖοι ἀντὶ τῶν παρ᾽ ἡμῖν βιβλίων ἐκέχρηντο.

tramur veteri consuetudine vsum fuisse Apostolum, † Hebræus enim, ea re quæ circumuoluitur vsus est, sicut fieri so- F let in libris qui apud nos sunt, quorum euolutio non obscurationem, sed eorum quæ scripta sunt manifestationem efficere solet. *Et omnis mons & insula.* Montes & insulas dicit superborum dæmonum cœtus, iuxta illud quod de ipsis scriptum est: Et transferentur mõtes in cor maris: ac si dicat ipsos in falsis huius vitæ distractionibus circumagitare istos pu-

Psal. 45

*πρὸς τὸ ἑαυτῶν ψυχῶν ὄλεθρον περισπασμα.

sil'animes* ad vehemens studium in animarum suarum perniciem. Hos quoque eosdẽ vocat insulas, vt qui in dictis variarum cupiditatum inundationib⁹ nobis molesti sint. Nam hi sunt callidi artifices ad præstandum impedimenta bonæ famæ nostræ quæ secundum deum est. *Et reges terræ & primates.* Reges terræ & primates omneque huiusmodi præstigium eosdẽ intelligas ac principem eorum Satanam, terrenis

renis dominantes per dolum ac fallaciam. Seruos vero ac liberos, eos qui inter dæmones sunt aut superiores aut subiecti: ideo quoque tropicè dictum est quòd studeant incitare montes, petentes vt super se cadant quo occultentur: designat enim quòd fugere cupiant supplicium quod super ipsos inducetur à Christo. Inuenies autem & hæc alio modo declarata in his quæ sequentur. *Cadite super nos.* Quorum est deprecatio ad montes? Eorum qui non struxerunt super fidem pretiosum aliquid in operibus & dogmatis, sed ligna & fœnum, quæ ne odorem quidem occurrētis ignis ferre possunt, neque ignis minas. Nam ignis, vt ait ille, Deus consumens est: & maxime quum exusserit eos ob contempta præcepta sua, & ob cauillationem aduersus inæstimabilem compassionem filij sui. *Quoniam ueniet dies magnus iræ ipsius.* Sub mundi cōsummationē excessiuè & supra modū, non in parte sed in toto mundo cōtinget maxima afflictio per aduentum Antichristi, in quo his qui in sublimiori erunt dignitate: siue mundana præditi sint potestate, quos per reges significauit: siue in ecclesiastica sint disciplina & ordine, quos montes & insulas tropicè nominauit: his inquam omnibus tremenda illa afflictio inferetur. Montes vero & insulas non simpliciter accipimus eos qui præsunt ecclesiis, sed, quod etiam apud Iesaiam scriptum inuenitur, innouatas insulas, quæ sane fugient, locum è loco commutantes propter Antichristum. Quinam vero sunt reges terræ & primates & tribuni & seruus & liber, nisi ij qui potestatem exercēt inter terrenos homines, quum nihil illis curæ sit de gubernatione hominum? Serui autem, qui vanitati huius mundi seruierunt: quemadmodum & liberi, qui à Christi seruitute se separarunt, & remisso animo viuere elegerunt.

[Margin: A; 1.Cor.3; Deut.4; Heb.11; B; Iesa.41; C]

Et post hæc uidi quatuor angelos stātes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor uentos terræ, ne flaret uentus super terram, neque super mare, neque super ullam arborem. Et uidi alium angelum ascendentem ab ortu solis habentem sigillum dei uiui & clamauit uoce magna quatuor angelis, quibus datum est ut nocerent terræ & mari, dicens: Ne nocueritis terræ Cap.VII.

neque

D *neque mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos dei nostri in frontibus suis.*

Hinc consequenter ipsi Euangelistæ ostenduntur quæ aperte manebant Iudæos in bello aduersus Romanos in vltionem afflictionum domini. Quatuor enim angeli seruabãt excubias super quatuor angulos terræ Iudæorum, fugæ timorem illis immittentes, aut difficultates quasdam & molestias, aut intempestiuam patriæ afflictionem ac dilectissimarum vxorum: quæ tropicè designantur imminere Iudææ, sed & ventos prohiberi nequando flent aut cadant neque super terram, neque super mare. Super terram quidem, ne vel in minimo refrigerium inueniant tempore belli aduersum
E Romanos: neque agricolæ plantarum diligentia assurgant, quoniam & arbores ventorum commotione gaudentes refocillantur: neque pedestri pugna certãtes, quoniam nauali quoq; pugna impetebantur iuxta Iosephum. nã omnia mala cõprehenderunt illos. Sed quanquã hęc iustissime ita fierẽt, apertius tamen cõtingent circa Antichristi aduentum, non in parte terræ Iudæorum, sed in vniuerso orbe: quem etiam sortiti erant ministeriales spiritus, tanquam sua complentes obsequia secundum quatuor terræ angulos, nempe oriẽtem, septentrionem, occidentem & meridiem. Ventorum autem prohibitio manifeste designat debiti ordinis solutionem, & malorum ineuitabilitatem. Per ventos enim & mare nauigatur ad obsequium hominum, & plantæ ventis refocillatæ nu
F triuntur. *Angelum ascendentem ab ortu solis.* Diuinum angelum ab ortu solis, & non ab occasu & hespero venire, pręclarum facinus designare videtur ac beneficium, quod cõtem-
Psal. 4. plans in spiritu domini progenitor, Signatum est, inquit, super nos lumen vultus tui domine. Recte quoque iubet, vt nulli interim noceatur quousque signarentur, qui è Iudæis merebantur salui fieri, ne iusti similia paterẽtur cum his qui iniquè extendissent manus suas ad iniquitatẽ aduersus Christum. Quòd si hæc ita sunt, certe vt dictum est tempore aduentus Antichristi signum viuificæ crucis eminentiores demonstrabit eos, qui super se portauerunt inscriptionem sacri baptismatis, nam hi sunt Christi hæreditas. *Ne nocueritis.* Creaturæ vtpote propter nos factæ, quum nos castigamur,

vna

vnà nobiscum participes sunt flagellorum: quemadmodum etiam glorificatis sanctis simul collætantur. Ex hoc autem etiam discimus, eis qui secundum virtutem viuunt, ad cooperationem opus esse angelico auxilio, vt afflictiones ac tentationes ferre possint. A

CAPVT XIX.

De his qui seruantur à plaga quatuor angelorum, nempe centum quadragintaquatuor millibus.



T audiui numerum signatorum centū quadragintaquatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda signati erant duodecim millia: ex tribu Ruben duodecim millia signati: ex tribu Gad duodecim millia signati: ex tribu Aser duodecim millia signati: ex tribu Nephthalim duodecim millia signati: ex tribu Manasse duodecim millia signati: ex tribu Simeon duodecim millia signati: ex tribu Leui duodecim millia signati: ex tribu Isachar duodecim millia signati: ex tribu Ioseph duodecim millia signati: ex tribu Zabulon duodecim millia signati: ex tribu Beniamin duodecim millia signati. B

Multi siquidem erant maximoq; numero qui è Iudæis in Christum crediderant: cuius rei testes erant, qui diuo Paulo quum Ierosolyma venisset, dicebant, Vides frater quot myriades sint eorum qui crediderunt Iudæorū? Hos autē is qui Euangelistę dat oracula ait, non fore participes internecionis inducendę à Romanis: nōdum enim Iudæos comprehē-derat vastatio à Romanis adducta, quum euāgelista hæc suſciperet oracula: nec id Ierosolymis, sed in Ionia quę est iuxta Ephesum. Siquidē quatuordecim duntaxat annis à Christo passo pmansit Ierosolymis, quibus etiam tabernaculū matris domini quod deum in se susceperat, in hac temporali vita post passionem ac resurrectionē sui incorrupti partus seruatum est: cum qua hic semper aderat, vt cui mater tradita fuerat à domino. Post huius nanque interitum fertur non C *Acto. 21* *Nō hoc solū loco sed & antea sæpius dixit euāgelistā de futuro Ierosolymorū excidio fu*

E amplius

scipere D oracula: ueluti ante Apocalypsis exordiũ diximˀ. Itaq; nõ à Domitiano qui aliquot annis ipe rare cœpit post Ierosolymitanũ excidiũ, sed à Nerone fuerat relegatus. Siquidẽ iam cap. 1. dixit se fuisse relegatũ ante huius reuelationis uisionẽ, ibiq; eã accepisse nõ Ephesi ut hic dicitur.

ampliˀ permãsisse in Iudea, sed trãsisse in Ephesũ: in qua etiã vt dictum est, cõscripta sunt quæ in hac habẽtur Apocalypsi, quæ est significatio futurorum: eo ꝙ post quadragesimũ annũ ab assumpto domĩo successit afflictio aduersus Hebræos. Quòd autem vehemẽti numero seruati fuerint, manifestum est. Neq; enim soli fideles effugerant interitum à Romanis prouenientem, sed & hi qui ignoranter ad domini passionẽ cooperati fuerãt. Aequalem autẽ exacte positum esse numerum in singulis tribubus ostẽdere videtur plurimum multiplicatum esse semẽ apostolicum, adeo vt duodecies factũ sit duodecuplum ad perfectum numerum millenarium, quo ita perficiat dictas chiliades. Animaduertendum est autem tribum Dan cæteris nõ esse annumeratam, eo ꝙ producendus sit ex ipsa Antichristus, sed pro ea supposita est tribus Leui, quasi sacerdotalis ad diuisionẽ pertingat. Porrò Ioseph pro filio suo Epphraim positus est. Non fuerit quoq; intempesti uum mentionẽ facere nominum cuiusq; patriarchæ harum tribuum. Statim enim tribus orta ex Iuda, qui interpretatur Confessio, designat eos, qui per pœnitẽtiam & amorem erga Christum qui ab eo processit, salui fiunt. Tribus autẽ Ruben, qui significat tanquam videns filius aut visio filij, ostendit puros corde qui cernunt per spiritum. Tribus vero Gad, qui significat tentationem aut locum tentationis, eos innuit qui per afflictiones ac tẽtationes tanquam aurum igne examinati sunt probatione fidei. Porrò tribus Aser, per quem significatur beatitudo, eos designat qui obseruatione traditarum à deo beatitudinum, nacti sunt beatitudinem nunquam desituram. Cæterum tribus Nephthalim qui interpretatur intelligens, aut ramo vel stirpi appensus, eos designat qui cum ramo vel trunco qui est crux Christi contendunt & intelligentia coronati sunt, ac dæmones per illud veluti cornu petunt. Rursum tribus Manasse, qui ab obliuione sumit interpretationem, eos innuit qui gentis aut familiæ suæ obliti sunt propter Christum, iuxta illud: Obliuiscere populi tui & domus patris tui. Tribus autem Simeon, qui obedientiam significat, diuinis obtemperantes præceptis per bonas ac puras actiones designat. Tribus vero Leui, qui significat præuentum, eos qui à deo præuenti sunt ad electionem designat, iuxta Psalmicum oraculum, & eos qui inhabitaturi sunt in diuinis

Psal. 44

Psal. 14
64. 83

in diuinis tabernaculis. Porrò tribus Isachar, quod est merces, designat eos qui virtutes cōstituerunt in acceptionē futurorum præmiorū pro mercede. Tribus autē Zabulon, quod interpretatur præoccupata liberatio, eos designat qui diuitias pauperibus diuidunt, & à Christo accipiunt. Tribus vero Ioseph, quod est bonorum additio, eos designat qui ad regnum cœlorum in parte augmenti assumpti sunt, & vitæ necessaria ab eo qui non mentitur accipiunt. Demum tribus Beniamin quod interpretatur filius doloris aut filius diei, eos denotat qui ad curandam multitudinem dolorum qui in corde sunt, diuinas ediuerso accipiūt inunctiones. Porrò cognominationem Dan, quanquam & ipse sit princeps tribus, cæteris non coniunxit, ob id quod ab initio dictum est, nempe quòd manifeste ex ea tribu oriturus sit Antichristus.

A

Psal. 93

B

CAPVT XX.

De innumerabili turba eorum qui ex Gentibus unà cum Christo regnabunt.



Ost hæc uidi & ecce turba magna quā dinumerare nemo poterat, ex omni gente & tribubus & populis & linguis stantes ante thronum & ante agnum, amictos stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant uoce magna dicentes: Salus deo nostro qui sedet super thronum & agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni & seniorum & quatuor animalium, & procubuerunt ante thronum illius in facies suas: & adorauerūt deum dicentes Amen: Benedictio & gloria & sapientia & gratiarum actio, honorq; & uirtus ac fortitudo deo nostro in secula seculorum, Amen.

C

Considera quibus verbis ostēdat quod innumerabilis hęc & omnigena multitudo, manifestans agni cædem, ipsi quoque immolata sit. *Et clamabant uoce magna.* Clamabant, inquit, vt nos ab agno confirmaremur ad vincendum principem tenebrarum, hominesque idololatras qui ab eo obsidentur. *Et omnes angeli stabant in circuitu throni & seniorum*

D *& quatuor animalium.* Ecce vna ecclesia angelorum & hominum. Stare vero angelos simul cum hominibus quid aliud ostendit quàm excellentiam humanæ naturæ in honore?

Et adorauerunt deum dicentes Amen. Spiritus ministrantes inter homines vnà cum senioribus obaudierunt Amen. Ad septenarium autem numerum ab ipsis processum est in religiosa veneratione diuini numinis, non solum quòd affinis sit hic numerus, vt iam proposuimus seculo præsenti: verumetiam quòd quemadmodum hic numerus non gignitur ex alio numero eorum qui intra denarium continentur, ita neque deus cui hæc acclamantur, aliunde accipit has diuinas excellentias.

E *Et respondit unus de senioribus & dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & unde uenerunt? Et dixi illi: Domine mi tu nosti. Et dixit mihi: Hi sunt qui ueniũt ex afflictiõe magna & lauerũt stolas suas, & dealbauerunt per sanguinem agni: ideo sunt ante thronum dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo ipsius, & qui sedet super thronum habitabit super illos. Non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol neque ullus æstus: quoniam agnus qui in medio throni est pascet illos, & deducet eos ad fontes aquarum uitæ.*
F *Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum.*

Martyres dei dicit qui crucem Christi tulerunt, & mortem ipsius imitati sunt. Nam, hoc est, quòd lauerunt stolas suas, non alibi quàm in sanguine agni. *Et seruiunt ei die ac nocte.* Incessabilitatem significare vult aut certitudinem gratiarum actionis in his qui à deo gubernãtur: siue manifestè hoc fiat, siue iuxta inscrutabilẽ suæ sapiẽtię ꝓfunditatem dirigantur: non est enim ibi nox, sed dies vna, quum omnes à sole iustitiæ illuminentur. Fortassis autem per noctem intelliguntur occulta ac profunda sapientiæ mysteria, per diem vero manifesta facileque comprehensibilia. Porrò dei templum est omnis creatura, quæ ab ipso renouatur per spiritum:

Ex monumẽtis Andreę.

ſpiritum: maxime vero hi qui arrabonem ſpiritus inextinctum ſeruauerunt, in quibus ſe inhabitaturum & inambulaturum pollicitus eſt. *Non eſurient.* Semper quidem ſancti ex alia afflictione proceſſerunt ad aliam, magis tamen qui ex Gentibus fuerint in aduentu Antichriſti: poſt illud autem tempus ſine intermiſſione ſatiabuntur inenarrabilibus bonis: panem quidem habentes cœleſtem illum, qui propter eorum ſalutem deſcendit in terram, aquam vero abundantem ſpiritus infuſionem, de qua etiam à domino dictum eſt: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Eſurire nanque ſolet appellare ſcriptura indigentiam diuinorum bonorum. Porrò ſolem aſſimilauit tentationibus ſiue afflictionibus. Idque tibi perſuadeant ſemina ſuper petram ſparſa, breui quidem exorta ſimulque enata, ſed continuo à ſole exuſta. *Quoniam agnus qui in medio throni eſt paſcet illos, & deducet eos ad fontes aquarum uitæ. Et abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* ἀναμέσου τοῦ θρόνου, hoc eſt è medio throni, ac ſi diceret: E paterna gloria ſiue dominationis principatu, per acceſſum diuinarum illuſtrationum, imò incommutabilis diuinitatis cum carnis diſpenſatione. Hinc autem libere diuina attribuit filio ac domino noſtro Ieſu Chriſto. Siquidem conuenit ipſi paſcere ac deducere greges per gubernationem à ſe creatos, quibus lachrymæ poſthac non erant moleſtæ.

A Leui.26 Iohan.6 Iohan.7 Mat.13 B

CAPVT XXI.

Solutio ſeptimi ſigilli, quòd angelicæ uirtutes ad deum ferant ſanctorum preces tanquam thymiamata.

C Cap.VIII

ET quum aperuiſſet ſeptimum ſigillum factum eſt ſilentium in cœlo dimidia fere hora. Et uidi ſeptem angelos qui ſtabant ante thronum: & datæ ſunt ipſis ſeptem tubæ.

Septimi ſigilli ſolutio deſignat ſolutionem tumultus terrenis illati per ſeptem angelos miniſtrantes ad ſupplicia impiis debita. Silentium autem angelicam ſignificat modeſtiam ac reuerentiam, & circa ſecundum domini aduentum & circa primum ignorantiam. Porrò quòd dimidiæ ſit horæ, temporis deſignat breuitatem: in quo poſt omnia quæ inducuntur, & quæ in terra peraguntur, regnum Antichriſti

D manifestabitur. *Et datæ sunt ipsis septem tubæ.* Tubæ septem dantur tanquam adueniente rege. Ipsæ autem iuxta
1.Thes.4 diuinum Paulum ad Thessalonicenses scribentem, expergefacturæ sunt mortuos, quos præcessisse dictus est primogenitus ex mortuis Christus. Sciendum est autem quòd licet ea quæ videntur ad materiam quandam ac colores effingantur, siue id altare sit siue thuribulum, siue quippiam aliud, inuisibilia tamen ac spiritualia sunt. In huiusmodi igitur stans angelus, & thus tenens, nempe thuribulum, quod thus continet, preces sanctorum tanquam aromata porrigebat. Porrò aureum hoc fuisse dicit, eo quòd hæc materia pretiosissima sit apud homines & maxime desiderabilis, per quod etiam designatur, quòd apud deum quo-
E que preces sanctorum dignæ habeantur huiusmodi susceptione. Adducuntur autē preces ad deum ab angelis, qui nobis præsūt, tanquā pretiosæ primitiæ siue primęfruges: quę suapte quidē natura sunt odoriferæ, magis tamen fragrantes redduntur, angeli qui eas tractat auxilio. Petebant autem, vt per vniuersalem mundi consummationem, punitiuis flagellis aduersus impios & transgressores merito præparatis, finis adduceretur abbreuiatione illatæ afflictionis, neque ad plures homines pertransirent: sibiipsis autem mercedem postulabant per aduentum illius, qui solet certantibus in pręsenti vita pro virtute pręmia iuxta victoriæ dignitatē diuidere: porrò luctantes nō alij sunt, quàm hi qui agonotheten suis glorificarunt corporibus.

F *Et alius angelus uenit & stetit super altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret orationibus sanctorum omnium, super altare aureum, quod erat ante thronū. Et ascēdit fumus incensorum cum precibus sanctorum, de manu angeli coram deo. Et accepit angelus thuribulum: & impleuit illud de igne altaris, & proiecit in terram: factaq; sunt tonitrua & fulgura. Et septem angeli habētes septem tubas præparauerunt se, ut tuba canerent.*

Altare hoc Christus est, in quo sita est oīs sancta ac mini-

ſterialis ſynodus, & ad quod martyrum victimæ adducuntur, cuius typus erat oſtenſum Moſi in monte altare quod erat in tabernaculo. Porrò incenſa ſiue thymiamata ſunt orationes ſanctorum, †quibus in votis eſt ſi quid etiam aliud ſit quod deo offerri poſſit, in parte incenſorum ipſi recenſere: flagitioſa hac & graue olenti vita igne amoris erga ipſum euaporata: tanta enim dilectio erga Chriſtum habuit feruorem & ardorem, adeo vt vniuerſas præſentis vitæ delitias ruderа eſſe ducerent, ſolum præ eo vt eis contingeret vnà cũ Chriſto deo vitam agere. Fumus autem aſcendit à ſupplicatione incenſorum, quia fumus iram deſignat, ſicut in eo loco vbi dicitur, Aſcendit fumus in ira eius. Hoc igitur nõ ob aliud contigiſſe figuratum eſt, niſi vt oſtenderetur gratia: & manifeſtaretur ardor dilectionis ſanctorum in modũ ignis erga Chriſtum, aut quòd ira eorum tanquam fumus aſcendat. quaſi ipſi, quum † eandem cum angelis ſortiti ſint naturam, non annisi ſint præſtare eandem cum his animi placabilitatẽ. *De manu angeli.* Vides quòd ab angelo proueniat vt ſuauioris ſint fragrantiæ preces ſanctorum, ac dignæ ſint vt deferantur coram deo? *Et accepit angelus thuribulum.* Per λιβανωτὸν quum pro thuribulo capiatur, & item per altare ſignificari Chriſtum: per fumum vero iram, per ignem autem qui ab altari ſumitur, ardorẽ qui eſt in ſanctis erga deũ, paulo ante inquirendo propoſitum eſt. Porrò quod proiectus ſit in terram ab angelo qui ſupplicij miniſter erat diuinus hic ignis, ſimilis apparet igni Iezecielis ſumpti de manu Cherubin, qui acceptus quidem fuit ab altari, ſed datus angelis emiſſis ad vltionem impiorum habitatorum Ieruſalem. Huic angelo Andreas qui ante me dignè ſortitus eſt epiſcopatum Cæſareæ Cappadociæ, aſſimilat vnumquemque præſulem ſiue præfectum.

A †Al. Cum quibus rectè ordinandũ eſt ut ſi quid ſit &c. receſeatur, ut ἐυτακτικὸν legatur. nõ ἐυκταῖον B Pſal. 17.

†Eandem naturã dicit, nempe rationales ſeu intellectuales ſicut & illis in ſequentibus enim C oſtendit angelos eſſe alterius ſpeciei & incorporeos. Ieze. 10.

CAPVT XXII.

De ſeptem angelis, quorum primo tuba canente grando & ignis ac ſanguis in terram feruntur.

E T primus tuba cecinit, & facta eſt grando, & ignis mixta ſanguine, & miſſa ſunt in terram, & tertia pars terræ exuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & o-

D mne fœnum uiride combuſtum eſt.

Varia ſunt ſupplicia ab effuſione ignis ſumpti de altari: quoniam uariæ quoque ac multæ ſunt manſiones eórum qui deum amant, ipſis ad retributionem repoſitæ: ideo quoque
Iohan.14. ait dominus: Apud patrem meum manſiones multæ ſunt.

Et facta eſt grando & ignis mixta ſanguine. Manifeſtū eſt ꝙ per hæc grandinis ac ignis ſanguine mixti ſupplicia, nō deſignet præſens reuelatio vltionem quæ in nouiſſimo die peccatoribus expoſita eſt, ſed eam quæ ante extremum diē per
E afflictiones fiet vt prædictum eſt: Neque enim tertia pars peccatorum, ſed omnes ſimul abſque vllo remedio abiicien-
Mat.25. tur. Nam quid de his ait diuus Euangeliſta? Et abibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam. *Et tertia pars arborum concremata eſt.* Qui hæc ad poſtremum diem reiecerunt, fœnum & arbores intellexerunt peccatores, iux
1.Cor.3. ta diuum Paulum apoſtolum qui vaticinatur diē in igne reuelandum. Qui vero nō ita, ſed ad afflictionem quæ præcedet diem extremum retulerūt, hi & incendia & cædes oſtēderunt quæ per manus barbarorum multis inducentur.

CAPVT XXIII.

De ſecundo angelo, quo tuba canente pereunt quæ in mari uiuebant.

F *E T ſecūdus angelus tuba cecinit: & tāquā mons magnus igne ardens proiectus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis: & mortua eſt tertia pars creaturarum quæ in mari uiuebant: & tertia pars nauigiorum interiit.*

Mons magnus diuinam deſignat iram. Quanquam enim diuinum numen benignum ſit ac humanum, eſt tamen & iuſtum quod tunc oſtenditur, quando neglectum iuſtam merito infert iram ſuam. Porrò iniectio ipſius in mare, deſignat inſtabiliter inundantem præſentis vitæ compoſitionem, quę ob varios caſus mari ferocior efficitur. Cæterum tertiam maris partem fieri ſanguinem innuit terrenam creaturam expletione martyrij rubricari. Quoniam autem numerus ternarius initium eſt multitudinis, veluti tradit Arithmetica diſciplina, per tertiam partem ſignificauit maximum eſſe numerum

merum eorum qui pereunt, non tamen vniuersos, quemadmodum paulò ante proposuimus. *Et tertia pars nauigiorũ interiit.* Sanctorum animas tropica nauigia appellat, quæ etiã dracones in mari versantes illudunt, veluti Psalmo centensimotertio allegorice datur intueri. Hoc autẽ loco ita potissimum suscipere oportet signa rerum, & nõ effectum ipsum præsenti reuelatione adductum. Quoniam igitur verisimile erat quosdam seduci ex his qui ad salutẽ assumpti sunt, per timorem ne prorsus hoc patiantur, tertij angeli prænuntiatione ab omnimoda afflictione præmuniuit. A

CAPVT XXIIII.

Tertius angelus aquas fluminum reddit amaras. B



T tertius angelus tuba cecinit: & cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula: & cecidit in tertiam partem fluminũ & in fontes aquarum. Et nomen stellæ dicitur Absinthium. *Et uersa est tertia pars aquarum in absinthium, & multi hominum mortui sunt ex aquis, quia amaræ factæ erant.*

Tertij angeli buccinatione stellam cecidisse ait magnam tanquam faculam ardentem: hanc autem ipsum esse diabolum arbitramur. Flumina verò tropicè appellat Gentes: fontes autem, ipsarum familias. Porrò huius casus impetum manifestat aduersus eos qui ab illo seducendi sunt, cum quibus in ignem gehennæ tradatur, ad perennem & nũquam finiẽdam exustionem. C *Et nomen stellæ dicitur Absinthium.* Absinthium herba amara est: porrò edentibus visum acuere tradunt medici. Conuenienter igitur stellam quæ omnem adducit perditionem vocauit Absinthium: nam per voluptatem dat hominibus potandam amaritudinẽ ac dolosam subuersionem: & ob id pręmittitur hic seuera flagella in eos inducere: vt qui perspicere possunt, per patientiam ac tolerãtiam gratias illi agant qui ad ipsorum vtilitatem permisit vt afflictionibus probarentur. Itaque qui per afflictionum ignominiam adeo acutè videre possunt, hi per cõtemptum & infamiam, vnde damnum referre videbantur, magis lucrifecerunt gloriam & bonam famam, insuper & regnum æternum, pro-

D nũ, propter quod etiã ab agonothete probari permiſſi ſunt. *Et uerſa eſt tertia pars aquarũ in abſinthiũ.* Cõmutat ea, quæ ex affectu tentatoris affligunt ac tentant: tranſmutat autem nõ in eo ꝙ amara ſint, ſed in eo ꝙ ſalutari modo per amaritudinem viſum ſibi corroborent. Deinde ſubiungit ꝙ multi ex aquis mortui ſint. Quinam autem ſunt hi? Qui humano more afflictiones ſuſtinuerunt in amaritudine abſinthij.

CAPVT XXV.

Quartus angelus tertiã luminis ſolaris ac lunaris partẽ obſcurat.

e *T quartus angelus tuba cecinit, & percußit tertiam partem ſolis ac tertiã partẽ lunæ & tertiã partẽ ſtellarum, ita ut*
E *obſcuraretur tertia pars earũ: & diei nõ luceret pars tertia, & ſimiliter noctis. Et uidi & audiui unam aquilam uolantem per medium cœli dicentem uoce magna: Væ uæ uæ habitantibus in terra à cæteris tubarum uocibus trium angelorum qui ſunt tuba canituri.*

Animaduerte, ꝙ dicendo tertiam partẽ ſtellaris diſpoſitionis, non ipſas ſtellas dixit obſcurari, ſed id quod ab eis illuſtratur, quod eſt terrena creatura: ideo quoq; ſubiũgit: Et diei non luceret pars tertia, hoc eſt vt terrena creatura non illuminaretur cœleſti ordine, ex quo & diurnus & nocturnus ſtatus perficitur. *Et uidi & audiui unã aquilã uolantem.* Quis di
F citur hoc loco aquilę volatus? Angelorũ, vt opinor, qui interim emiſſi ſunt vt ſupplicia miniſtrantes inferrent, aduerſus eos qui per in obedientiã & improbitatẽ contemnerent, dũ moderate quidẽ & ex miſericordia & ad conuerſionem pœnis ſubiiciuntur, ſui autẽ nullã habent curã, vt accedãt ad id quod melius eſt. Ad hos ergo qui nõ reſipiſcũt, vt diuinã manifeſtet iram, & volat & clamat aquila, vt vel huius timore fiãt ſuæ ſalutis memores. Per medium cœli loquebatur, quia neq; vltra hoc procedere poſſunt, neq; eſſe abſq; hoc throno ac vectore. Aquila verò erat ex illis animalibus, quæ quadriformia erãt: nec aliud inter ea quæ manifeſtata ſunt fuiſſe circa thronũ, eo ꝙ nullum aliorum volare dicatur. Vnde etiã huic facilè fuit mediũ cœli occupare: Et ſimiliter eo ꝙ acuto

acuto aſpectu (quod aquilis naturale eſt) futura videatur nõ ignorare, poteſt eá propter quæ vociferatur ſiſtere ante eos qui non obediunt. Triplicatur autẽ væ, nõ ſolum ad cognitionem affluentiæ dolorum, verumetiam vt ſanctiſſimæ trinitatis indignationẽ deſcribat, & propter cœleſtiũ erga nos condolentiã, propter quam etiam potiſſimum væ ipſis triplicatur: ad ſignificandum lamentationẽ maximam quã noſtri gratia ſuſcipiunt, tanquã ob ſuos conſeruos: ideoq; cõtingit vt illi affluenti triſtitia afficiantur. *A cæteris uocibus.* Vnde declarauit aquila eſſe væ? A voce inquit tubæ, nõ ꝙ ipſa vox ſuperueniat quæ futura mala efficiat, ſed quoniã ex præcedentium angelorũ buccinatione animum non appulerũt ad reſipiſcentiam, nil aliud reſtat niſi vt tuba rurſum excitentur tãquã à ſomno, vt vel ſic operẽtur quæ ſibi ſalutaria ſunt. A B

CAPVT XXVI.

De quinto angelo & ſpiritualibus locuſtis aſcendentibus ex abyſſo terræ, déque uaria ſpecie ipſarum.

ET quintus angelus tuba cecinit, & uidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram: & data eſt ipſi clauis putei abyſſi, & aperuit puteum abyſſi: & aſcendit fumus de puteo ſicut fumus fornacis ardentis, & obſcuratus eſt ſol & aer à fumo putei: & de fumo exierunt locuſtæ in terram, & data eſt ipſis poteſtas ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ.* Cap. I X. C

**Addidimus Et aperuit puteũ abyſſi: opinamur enĩ per oſcitãtiam omiſſum, quũ id habeant quæcũque uidimus exẽplaria.*

Stella quæ è cœlo cecidit eſt diabolus, clauis autem putei quæ huic ipſi data eſt, dicitur certitudo, quod illi non effugient qui ab ipſo poſſidentur, maximè ſi peccatores ſint: puteus vero in terra eſt, neque enim alio modo ſignificaretur ineuitabilitas, niſi per puteum: abyſſus quoque in terra eſſe dicitur: nam in terra eſt ſupplicium & in abyſſo puteo. Siquidẽ abyſſum vocant vehementẽ primi elemẽti profunditatẽ, aut per priuationẽ τοῦ βυθίσθαι, id eſt occultationis, ꝙ ſemper hiando, nõ occultet id quod ſuppoſitũ aut iniectum eſt, aut per intenſionẽ (Nã α, & priuationẽ ſignificat & intẽtionem) ꝙ vehemẽtem oſtendat profunditatem. Quod autem

D in terra futurum sit iudicium, quidam sanctorum propheta-
Ioel.3. rum per vallem Iosaphat insinuauit, in qua sessurum esse deũ ad iudiciũ vaticinatus est: quòd multa ibi bella contigerint, multique exercitus fusi sint. Fumum autem à puteo produci dicitur, quòd memoria ac narratio de impiis qui ibi detinẽtur, proferat ea quę maximam continent iram, & tantum luctus quantum fumi verisimile est à camino produci. Et quẽadmodum ille fumus caligine ac tenebris replens quicquid circũadiacet, solare lumen obscurat: ad eũdem quoque modum renouata impiorũ memoria, si quod est cõpassionis lumen, omne illud extingui coegit ob eorũ magnitudinẽ quę ipsi patrare ausi sunt. *Et de fumo exierunt locustæ.* Mẽtio fit locustarũ ad designandum violentissimam peccatorum con-
E uersationem in hac temporali vita, sic vt eorum quoque memoria sit grauissima: ideo quoque ait ex fumo eas ortum habuisse, quandoquidem & corporalium locustarum generatio occasionem sumit ex corrumpente aliqua circumadiacẽte materia, sed & nomen ἀκρίδων, id est locustarum, non abs re assumptum est, sed ad significãdum supplicia induci κατ' ἄκρας, id est in summo, siue iuxta extremam acerbitatẽ. Porrò datam ipsis esse potestatem tãquam viuis animalibus, per prosopopœiam dispositum est, quòd nullo metu nulloq; impedimento supplicia exequantur. Sed ne quis sciens quales sint locustarum morsus, vt qui non magnum adferant cruciatum, tolerabilem suspicetur dolorẽ: scorpionum subiun-
F git exemplum, qui maiorem præbent aculei punctione sensibilem dolorem. ideo quoq; dictum est non † fructibus sed locustis, etiam hic in prosopopœia manendo, ne nocerent, non quidem hominibus, sed his quæ ex terra producuntur. Quidam verò patrum locustas in vermes transmutarunt, vt sit conformis hæc assumptio cum Iesaiæ prophetæ sententia, qua dicit quòd vermis eorum non morietur.

† *Aliàs, hominib', ut legatur ἀνθρώποις, non καρποῖς.*
Iesa. 66.

Et dictum est ipsis ne læderent fœnum terræ, neque omne uiride, neque omnem arborem, sed homines tantum qui non habent signum dei in frõtibus suis. Et datum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarentur mẽsibus quinque. Et cruciatus earum ut cruciatus scorpij,

quum

quum percusserit hominem. Et in diebus illis quærent hominem mortem, & non inuenient ipsam: & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. A

Si iuxta prædictam allegoricam acceptionem velit quis ordinare, quæ tanquam diuina ænigmaticè ac mysticè efferuntur, oportet accipere fœnum terræ, & quod viride exoritur & omnem arborem, vt referantur ad homines, qui tãquam paleis similes & veluti arbores irrationalitate degenerarunt, & quasi ad arboream quandam insensibilitatẽ accesserunt: quos hominum amator deus venia dignos habens, præcipit ne eadem sustineant supplicia cum iis facinorosis, qui consultò & ex deliberatione peccarunt, de quibus iam conclusum est quòd hanc repulerunt. Quòd si quis conetur iuxta ipsam literã intelligere, & verè fœnũ ac verè arbores vaticinio significari putet. Dauid citando teste qui ait, Renouabis faciem terrę: certè posset quis ferre intellectum, nisi ille renouationem accepisset pro vita renouationi creaturę conuenienti. Itaque si & iumentorum renouationi intendere oportet, fieri poterit vt & fœnũ & arbores æternitati respõdeãt: quòd si horum nihil est, literalis intellectus de terra facie renouata habendus est pro inconsiderata ac temeraria acceptione, & illis conformi qui post vitæ decursum in mille annorum Christi regno, in conuiuiis ac delitiis hilariter se victuros opinantur. *Sed homines tantum.* Ex hoc manifestum est, quòd non de fœno & arboribus sit cohibitio à læsione, sicut sonare videtur præceptum, sed de his qui fœno comparantur, eo quòd ad virtutem non accedant. *Vt nõ occiderent eos, sed ut cruciarentur mensibus quinque.* Illud nõ occidere demõstrat eis qui experientia cognoscere possunt intolerabilitatem tormentorum, quòd ad mortem viam parare soleant: ab hac igitur pœna intolerabili, prȩceptum, quod ad bonum tendit, iubet supplicij ministros abstinere. Porrò mẽsibus quinq; hoc fieri, quoniam & menses sensibilis mũdi mensuræ sunt, vnde & sensus ipsi acceperunt, vt exhiberent huius cognitionem, merito designat peccare per exhibitionem in æquali numero: ad memoriam hominibus inserẽdam eorum per quæ deberent iudicium sustinere: ex his enim & de his est retributio. Cruciatum verò comparauit percussioni scor-

B

Psal. 103.

C

D ni scorpionis, quoniã & hic dolor omnino mortalis est. *Quærent homines mortem.* Quærere mortem nihil aliud dat intelligere, nisi intolerabilitatem cruciatus, tanquam mors omnem ableget dolorem, ideò quoque mors dicta est requies. Iob.17. Quoniam igitur in incorruptibili vita mors expulsa erit, sic vt non inueniatur, subiungit quòd fugiet. Afflictum est autẽ morti corpus, ad maiorem emphasim eorum quæ per enarrationem declarantur.

Et similitudines locustarum similes equis paratis ad prælium: & super capita earum tanquam coronæ aureæ, & facies earum sicut facies hominum, & ha- E *bebant capillos sicut capillos mulierum, & dentes earum quasi leonum erant, & habebant loricas quasi loricas ferreas, & uox alarum ipsarum sicut uox curruum equorum multorum currentium ad prælium: & habent caudas similes scorpionum & aculeos, & in caudis suis habent potestatem lædendi homines mensibus quinque, habentes super se regem angelum Abyssi, cui nomen* Hebraicè *Abbadon, Græcè uerò nomen habet Apollyon.*

F Equis assimilatæ sunt locustæ, & non alij animali, propter velocem motum impetus & animositatẽ equi, maximè quum instat prælium: quod ipsum etiam præsens reuelatio designauit, quum ait similem esse præparationem eorum quæ dolorem inferrent, equis qui ad prælium parati sunt. *Et super capita earum tanquam coronæ aureæ.* Corona veluti aurea victoriam demonstrare solet, quæ relata est aduersus miseros qui deuicti sunt: hæc autem tanquam aurum est, sed non aurum: non enim supplicium verè præmiũ est quod refertur ob perditionem diuini plasmatis. Quòd verò aspectu quoque assimilentur faciei hominum, id est, quòd similitudine speciei eos referunt qui seducuntur, quos propter seductionem exceperunt ipsæ vltiones huius fraudulenti conatus. Sunt & muliebres capillorum cæsaries tanquam contegentes seductores. Tales enim sunt & carnales voluptates, quæ primo

A suo aspectu delectare videntur, sed ad sui ruinam inescatos detrahunt. Ideo quoque parœmiastes Salomon ait verba meretricis ad tempus quidem delinire guttur, postmodum verò sui gustum bile amariorem immittere. Ex hoc autē præsens effictio post muliebres capillos, etiam leonum dentes addit vltoribus, & loricas tanquam ferreas: quasi dentes quidem leonini, sæuitiam velint ostendere: ferreæ verò loricæ, firmitatem ad resistendū iaculis pugnantium aduersus ipsas, quod non facile sit ferri cōtra id quod semel iussum est. Quoniam autem & volatum in ipsis est intueri, vt quæ locustis assimilatæ sunt, volatus designat quod velociter superueniāt, & quod superne accedant. Voces verò siue sonum alarum dicit impetum ipsarum ad bellicum assultum, quod non in silentio fiat, quia neque in certo aliquo loco, sed in vniuerso mundo conficitur. Et hinc est quod non in omnes hominum mores tanquam in socordes regiones insultum faciant, sed duntaxat in quosdam, nempe in eos qui † firmitatem non omnino præbent eis: aut præbent quidem, sed firmior est per impetū vnde etiam vox siue fragor constituitur tanquam rotarum curruum per mutationem ac recidentiam radiorum. *Et habebant caudas similes scorpionum & aculeos.* Scorpionum caudis & aculeis assimilati sunt dæmonum insultus aduersus homines, quoniam & dæmones non statim vt loquuntur manifestant nocumētum, sicut neque scorpius forficulis in morem cancri denticulatis, sed à tergo cauda lædit per aculeum. Interim quoque exitiales dæmones quum aliquos insidiando ceperint, non statim habent immissum supplicium propter ipsorum deceptionem, sed fināli igni seruati cum his quos seduxerunt, digna consequentur præmia. Porrò quid sibi velit quod ad quintum duntaxat mēsem protendatur potestas inferēdi cruciatus, iam à nobis dictum est. quis enim ignem peccatorum auferre potest quin perpetuò duret, aut aliud quod ibi sit sensibile? Sed quemadmodum neque oculus aptus est advidendum bona, neque auris ad audiendum, neque in cor hominis subire possunt: sic nec illa quæ affligunt, donec experimento probentur. *Habentes super se regem angelum abyssi.* Angelus hic licet quibusdam visus sit esse prauus dæmon, attamen non recte. Quo enim pacto, quum Dominus sententiam tulerit retrudendum esse diabolum & angelos

Prouer. 5.

B

† Habuit quidem Græcum exemplar βεβηκὸς: attamē legendum opinor βέβαιον. i. firmum, tū propter

C sensum conuenientiorem, tū quod protinus sequatur βεβαιότερον. i. firmius. Atque etiam hoc modo uereor ne mendosus sit hic locus

Iesa. 64.

Matt. 25.

D los ipsius in ignis supplicium, quispiam eorum qui ad supplicium designati sunt, regia potestate dignus haberetur? Non ergo malo angelo potestas constituta est, sed ei cui commissum est debitum ac conueniens ministerium. Neque enim omnes ministratorij spiritus mittuntur ad salutis ministeriũ,
Heb.1. iuxta diuum Paulum qui hoc dixit, sed etiam ad inferẽdum
4.Reg.19 supplicium: quemadmodum is qui Assyriorum exercitum
Iesa.37. congregatum cum Sennacherib super Ierusalem deleuit, &
Gen.19. qui super Sodoma ignitum immisit interitum. Quod autem in præcedentibus significauimus, etiam nunc dicimus, quòd hæc quanquam in præterito annuntientur, attamen de futuro intelliguntur: verum id duplicem ob caussam fit, siue quòd certissimò futurum sit vt fiant, nulla re impedimẽtum
E præstãte: aut etiam quòd is qui euangelistæ ea tradebat oracula, de quibus nunc tractamus, iuxta prophetæ dignitatem procedat. *Cui nomen Hebraicè Abbadon.* Nomen Hebraicæ linguæ ab exitu sumptum est, sicut ex Græco manifestũ est. Quid enim aliud significat Apollyon, quàm perdens vel corrumpens.

CAPVT XXVII.

De sexto angelo: & solutio angelorum, qui super Euphraten alligati erant.



VAE unum abiit, & ecce ueniunt adhuc duo uæ post hæc. Et sextus angelus tuba cecinit. Et audiui uocem unam ex quatuor cornibus
F *altaris aurei, quod erat ante deum, dicẽtem sexto angelo qui habebat tubam: Solue quatuor angelos qui ligati sunt super flumen magnum Euphraten. Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam & diem & mensem & annum, ut occiderent tertiam partem hominum. Et numerus equestris exercitus uicies millies decem millia: & audiui numerũ eorũ.*

Væ aduerbium est miseriæ indicatiuũ, miseria autem vocatur quod adfert dolorem. Non ergo aduerbiũ abiit: quomodo enim quod contingenter accidit, & non habet substãtiam, sed simul cum suo ortu corrumpitur, progressum habere posset?

re possset? sed transeuntibus illis quæ dolorem efficiunt, propter quæ data est huiusmodi appellatio, meritò quoque væ dictũ est trãsiisse. *Et audiui vocẽ unã de quatuor cornibus.* Procedebat vox de quatuor cornibus quæ habebant altare: quæ cornua intelligenda sunt esse diuinæ virtutes stipantes: aut quòd perfectò altari in quo victimæ deo igne accendebantur, ad singulos angulos pars eminens in speciem cornu cõstituta erat, quæ fissuras contineret, quibus præberet altare, vt accensis victimis super illud litaretur. Vnde Moysi quoq; præceptum fuit in monte Sina, vt inferius faceret ad similitudinem superioris altaris. Ait enim qui ipsi dabat oracula: Vide vt omnia facias iuxta typum, qui tibi monstratus est in monte. Has sanè eminentes partes quas intellectuales virtutes esse diximus, verisimile est continere supersubstantialem & humanæ naturæ inaccessum mysterium: * sic vt neque facile sit iuxta naturam comprehensibile ab his qui illud sequuntur, neque rationales hostias in ipso oblatas temerè diffluere. Est autem altaris figura quadrangularis, æquali figura cum hoc mũdo quatuor ordines habente. Vnde etiam ex omni ipsius parte rationales hostiæ puræ iuxta prophetã offeruntur. *Solue quatuor angelos.* Hos angelos super magnum flumen alligatos quidam diuinos esse dicunt, tãquam assidue ibi degentes, & spirituali contemplatione circa illud occupatos & delectatos: nam illud deum esse dicunt: de quo Iesaias quidem dicit tãquam ex persona ipsius dei: Ecce ego declino ad ipsos tanquam fluuius pacis, & tanquam torrens inundans gloriam Gentium. & Dauid: Fluminis impetus lętificãt ciuitatem dei. Dicunt autem hos quatuor angelos esse Michaelem, de quo apud Danielem, Gabrielem apud Matthæum, Raphaelem apud Mardochæum, * & Vrielem: ipsos verò solutos esse ab huiusmodi diuina occupatiõe ad nõ ingratum ministerium, tum redditionis diuinæ iustitiæ, tum gloriosi aduentus ipsorum. Alij verò non angelos, sed prauos dæmones esse astruũt, alligatos quidem in aduẽtu Christi iuxta diuinum præceptum, porrò egressos à superhumano altari solui à diuino angelo, vt liceret turbare gentes: & ex hac turbatione manifestum fieri quid sit triticeum in fidelibus, quod in horreum Christi recondatur: & quid paleaceum in peccatoribus, quod paratum est ad exustionem

F inextingui-

A

Exod.25.

B

τοῦ μήτε προχείρως τοῖς μετ' ἐκεῖνο τὴν φύσιν εἶναι ληπτὸν, μήτε τὰς λογικὰς θυσίας προσαγομένας αὐτῷ ὡς ἂν τύχοι διαῤῥυΐσκεσθαι.

C

Iesa.66.
Psal.86.
Dan.10.12
Matth.1.
* Arbitror hoc loco memoriæ

lapsum D inextinguibilem. Neque improbabile esse dicere dæmones
subrepsis- ligatos esse ad Euphraten: quum inde breui venturus sit An-
se, & pro tichristus, à Iudæis qui Ierosolymis seruati fuerant captiui,
Tobia & in locis illis commorantur. *Et numerus equestris exerci-*
Mardo- *tus.* Quum de exercitibus nihil præmiserit, huius numerum
chæū esse reddit. Manifestum est igitur, quòd qui quatuor ordinū du-
positū. Vi- ctores acceperunt, Michaelem, Gabrielē, Vrielem, Raphae-
de Tobiæ lem, nō sine causa adducti sunt: cupit enim quodāmodo tur-
3.5.8.12. ma sequi ordinū ductores. Porrò mille millia & decies mil-
Dan.7. lies decem millia ministrantiū discere licet apud Danielem.
nūc autem duplicatam in numerum myriadum narrat se vi-
disse multitudinē quæ exercitus duces sequebatur, eo quòd
liberius & absquè metu post domini incarnationem versen-
E tur homines cum angelis: ideo quoque dictū est quòd visuri
Iohan.1. essent angelos ascēdētes & descēdentes super filiū hominis.

Et ita uidi equos in uisione, & sedentes super eos habentes thoraces igneos & hyacinthinos & sulphureos: & capita equorum tanquam capita leonum, & ex ore eorum egrediebatur ignis, & fumus, & sulphur. Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, nempe ab igne & fumo ac sulphure, quæ egrediebantur ex ore ipsorum. Potestas enim equorum in ore ipsorum est, & in caudis eorum. nam caudæ ipso-
F *rum similes erant serpentibus habentes capita, & per hæc nocent.*

Equorum ascensores aut accipiendæ sunt diuinæ virtutes quæ sortitæ sunt vim corrigendi mores & affectus: & ad melius dirigendi. Ita enim & equorū domitores conscendentes equos, dirigunt eos camo & freno: aut diuina iussa, ob eorum zelum qui pereunt, assimilata igneæ & hyacinthinæ ac sul-
Psal.17. phureæ armaturę. Vnde & Dauid (diuino sanè zelo) indicat quòd ascēdit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, & carbones succensi sunt. Ad vtrumuis horum sensuum cuique licebit accedere: mihi magis arridet similitudo, qua erga prauos exercetur correctio & directio. *Et capita equorum tāquam capita leonum.* Siue quis diuinorum iudiciorum veluti vehiculum

culum ad spirituales & angelicę vitæ homines transferat, siue etiam ad mores & affect᷒, nihil diffidebit in ea quę nobis proponitur visione, apud eum qui sui non est amator. Capitibus autem leonum assimilata sunt, ad ostendendũ quòd eos qui diuinis rebus inseruiunt, nõ oportet ad ministeriũ deiecto animo accedere. Viuus est enim sermo dei, & quouis gladio magis secans. Ideo tanquam centurio caput manifestat, nempe indignationem cum vehementia leonina: quasi non alio quàm hoc modo habitur᷒ sit auditorẽ promptum ad assentiendũ. Neque ab hac intelligentia dissidet Paulus, quãdo Corinthiis minatur se cum virga ad ipsos venturum. Hoc itaque designabat capita. Ora verò perniciosam anxietatem è proximo, & non procul à visione expectatã, & ineuitabile vinculũ propinquissimè viciuũ: vt ignis quidem id designet quod adfert interitũ, fum᷒ id quod cum ira venit (nam ascẽdit fumus in ira eius) sulphur autem id quod etiam à diuina est ira, sed permanentiore: †aut quòd hæc voluntate diuina lasciuis & incontinentibus illata sint. Quòd autẽ his soleat vti diuinitas, qui vitam ducunt angelicam, tanquã suorũ iudiciorum ac mysteriorũ vehiculo, satis demõstrat id quod ipse domin᷒ de Paulo dixit ad Ananiam, Vbi ait Paulum vas electionis esse, vt indefesse ferre posset diuina dogmata, quæ per nomen suũ significauit dicens, Vt portet nomẽ meũ: nomen vocans gloriam & maiestatẽ, omneque id quod sermonem excedit siue intellectũ, non tãtum mortalẽ, verumetiam angelicũ. *Potestas enim equorum in ore ipsorum est.* Quid hoc? an potestatẽ ori attribuit, veluti caussam dicẽs cur missi sint equi? an quod ait Ab ore ipsorum, minas ostendit earum rerum quę homines exterrent, vt à prauis abstineant studiis, ne caudis illorũ tradantur? Per ipsas enim caudas finem ac euẽtum designans eorum qui pereunt: & iam ipsum quoq; euẽtum effigians, serpentib᷒ cõparat, qui similia habeant capita: ex ipso videlicet impetu & accessu ostendens adferre exitiũ ineuitabile, & pręsentem magis quàm futuram afflictionem, quum nulla iam solertia valeant afflictionem effugere.

A

Heb. 4.

1. Cor. 4.

B

† Hæc ait, eo quòd θεῖον quod sulphur denotat, etiã significat supremũ numen siue diuinitatem.

C Act. 9

Et cæteri homines qui non sunt occisi his plagis, non resipuerunt ab operibus suis prauis, ut non adorarent dæmonia & idola, aurea & argentea & lapidea

D *dea & lignea, quæ neque uidere possunt, neque audire, neque ambulare: & non egerunt pœnitentiam de homicidiis suis: neque de ueneficiis suis, neque de scortatione sua, neque de furtis suis.*

Maximam designat hic sermo insensibilitatẽ siue indolétiam ac lasciuiam eorum, qui tẽpus quod interim deus benignè parcendo côcesserat ipsis ad salutem, vanè contẽpserũt, vt referant retributionẽ quæ digna sit segnitie ipsorũ. atqui exercebatur etiam ante oculos malorũ retributio, hi tamen tantum abest vt terribilium quę sibi parata erant aspectu seipsis meliores efficerẽtur, vt etiam peiores magisq; pęccatis immersi, cursum suũ côsummarent. *Non resipuerũt ab operi-*
E *bus suis prauis.* Non hoc ait ꝙ non resipuerint in futura vita: quomodo enim, aut quæ posset esse resipiscentia in immutabili vita? sed quòd adhuc viuẽtes, & ex auditu & aspectu eorum, quæ tunc futura sunt non resipiscentes ab operibus quę videbant esse praua, addiderunt ad prima, puta ad insanam dæmonum ac idolorũ culturam, etiam ea quæ odium & inuidiam vnà cum adoratione adferrent, non quòd insensibilitatem solum designet eorũ quæ manu facta sunt, sed quòd peccatis addiderunt peccata. Ideo quoque à vera iustitia exclusi sunt. Quæ est enim iustitia in eo qui aliũ sui generis interimit, aut gladij impetu, aut venenorũ insidiis? Porrò quis eum non oderit, qui ne sibi quidem parcit, nec tardior est vt excogitet aduersus seipsum, quantum faceret inimicus, qui
F insidiose erga ipsum affectus esset? Aut quis nô execrandam & abominandam duceret scortationis spurcitiam & assiduitatem, qua seipsum quis priuat ne diuinum sit habitaculum, si diuo Paulo credimus? Demum is qui in furtis perseuerat as-
1.Cor.6. siduè, illud sibi vẽdicauit, vt sibiipsi factus sit incommodus.

CAPVT XXVIII.

De angelo circundato nube ac iride, qui communem omnium finem pronuntiabat.

CAP. X, *T uidi alium angelũ fortem descẽdentẽ de*
E *cœlo amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius sicut sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis: & habebat in manu sua libellum apertum,*

apertum, & posuit pedem suum dextrum super mare, A
sinistrum uerò super terram, & clamauit uoce magna
quemadmodum leo mugit: quúmque clamasset, loquuta
sunt septem tonitrua uoces suas.

Nubes quidem id demonstrat, quod nec tactu percipi possit nec visu. Porrò iris in capite, summam describit angelici ordinis, qui ex fabricatione virtutum deo placentium, & ex varietate circa amandationem magnificat suam proximitatem ac stationem. Huiusmodi namque est iris in nubibus, ex obiectione radij solaris variis coloribus apparens. Porrò faciei ad solem assimilatio, quid aliud significat quàm cādorem in modum solis, & quòd vbicunque fuerint, qui or- B
dinationem diurna operum fecerint, ab inaccessa & supersubstantiali luce illustrabuntur. *Et pedes eius tanquam columnæ ignis.* Pedes descensum designant, qui non alterius gratia fit quàm ad puniendos impios: ideo etiam tanquam columna ignis. Columnis autem ignis assimilati sunt, non ob illuminationem, sed ob exustionem. Porrò quod in manu sua libellū habeat apertū, quidnam sibi vult? Libellus hic aper- *Dan. 7.*
tus etiam à Daniele dictus est, quando iudicium apud ipsum sedet, & aperiuntur libri continentes omnium, qui ab initio seculi vixerunt acta & nomina. Quod si apud Danielem libri sunt, hic autem libellum ostendit se videre, nihil in hoc dissonātiæ est. Siquidem apud Danielem libri sunt vniuersæ creaturæ, ostendentes cognitionem iustorum & ini- C
quorum, hic autem eorum duntaxat qui in nefariis operibus vixerunt: quorum etiam potissimum actiones nō in libro sed in libello scriptę sunt, significante per hoc Apostolo in nomine diminutiuo & eorum quæ imminent paruitatem, si advniuersalem iudicij sententiam conferantur, & ea quæ ipsam complendo perficiuntur. *Et posuit pedem suum dextrum super mare.* Pedum altero quidem inniti humidę aquarum congregationi, altero verò terræ, designat eius magnitudinem qui vtrunque complectebatur. Quòd autem dextrum super mare, sinistrum verò super terram posuerit, nō ob aliud dictum opinor, quàm quod horum elementorum ordinem sequatur. Aeri nanque qui subtilis est substantię, crassior aqua subiacet

D quemadmodum aquæ terra. non igitur alio modo id dictum opinor quàm quod dextra ſemper robuſtior eſt ſiniſtra, pluribus videlicet in mari impiè agentibus: piratas dico & eos qui nauali prælio cæteros in mare demergũt, aut aliquo alio modo ipſis inſidiantur: quòd maris ſubſtantia minus laborioſum præbeat facinoroſis exitũ aduerſus eos quibus inſidiantur. Quum hæc igitur ita ſint, meritò ac cõſequutiuè id quod potentius eſt ſceleratis attribuit. Et iccirco Dei progenitor
Pſal. 90. fide dignus qui rem confirmet, quum impetum inſidiantium aduerſus nos dæmonum, nobis altiſſimi adiutorio vtentibus deſcriberet, ex ſiniſtra quidem declinantes millecuplum caſum eorum ponens, qui in tenebris perambulantes nobis inſidiantur, dextræ parti decuplo maiorem numerum cõſtituit.
E Et hæc de pedum acceſſu & diſpoſitione. Quòd autem voce magna clamauerit ac leonino ſono, indignationis eſt ſignum, ideo quoque rugitui comparatus eſt ſonus. poſt clamorem vero conſequutiuè loquuta ſunt tonitrua. Porro ſeptem hæc tonitrua aut ſeptem voces ab vno & eodem angelo terribiliter expreſſas, exiſtimamus angelicas eſſe poteſtates, ideo quoque tonitruis aſſimilatæ ſunt: aut ſeptem ſpiritus de quibus dictum eſt in præcedentibus. *Quemadmodum leo mugit.* Non eſt conſuetum vt in leone vox exprimatur per μυκᾶσθαι, id eſt mugire, nam hoc boum magis eſt, leonibus vero βρύχειν, id eſt rugire ſiue ſtridere attributum eſt. Hoc ſanè qui iſta tranſcurrendo declarat, non negligenter ab ipſo dici commemorat: quod videlicet non hæſerit in vſu verbi
F bi μυκᾶσθαι, id eſt mugire, ſed tranſierit ad verbum ἔκραξε, id eſt Clamauit. Et hæc quidem de clamore leonum his dicta ſint, qui ſingula exactè diſcutiunt. Porro in voce doloroſa peccatorum qui ſuſtinent ſupplicia, quid magis conſentaneum eſt, quàm βρύχειν, id eſt ſtridere, vnde & βρυγμός, id
Matt. 13. eſt ſtridor dentium? Sumptum eſt autem verbum βρύχειν, eo
22. 24. 25 quod ſimile ſit βρώσει, id eſt cibo, quod tanquam in edendo dentes inter ſe concutiantur & collidantur.

Et quum loquuta fuiſſent ſeptem tonitrua, ego ſcripturus eram, & audiui uocem de cœlo dicentem: Obſigna ea quæ loquuta ſunt ſeptem tonitrua, & ne ſcripſeris ea. Et angelus quem uidi ſtantem ſuper mare

& ſu-

& super terram, leuauit manum suam dextram in coelum: & iurauit in eo, qui uiuit in secula seculorum, qui creauit coelum & ea quæ in illo sunt, & terram & ea quæ in illa sunt, & mare & ea quæ in ipso sunt: quòd tempus non erit amplius, sed in diebus uocis septimi angeli quando tuba caniturus est, consummandum est mysterium dei, sicut annuntiauit seruis suis prophetis. A

Manifestissimè hîc datur intelligi, quòd tonitrua sint angelicæ potestates: substantia nanque est quæ loquitur, non tonitru quod solum est sonus, statimque vt incipit esse, tollitur è medio. *Audiui uocem de coelo dicentem.* Prohibitus est B
scribere, siue per scripturam hominibus manifesta facere, quæ videbantur, sed obsigna, inquit, hoc est firma retentione in mente tua cõserua, sed nequaquam per scripturam diuulges: fortassis quòd nihil prodesset manifestare illa ante postrema aduentus Christi tempora, quandoquidem & Daniel docebatur, vt obsignaret huiusmodi sermones. Quòd Danie.12
autem prosit ea recondi, coniectura discere licebit esse vehementiam constitutorum suppliciorũ, quum misericors de⁹ sua benignitate retributionem supplicij non inducat æquali põdere cum peccatis. Vnde etiam ait Psalmographus, quòd Psal.102
non iuxta iniquitates nostras, neq; iuxta peccata admetiatur nobis retributionem. *Quæ loquuta sunt septem tonitrua.* Existimandum est autem tonitrua esse virtutes angelicas, quæ C
tonitruis assimilantur ob horrorem qui incutitur per ea quę ab ipsis dicuntur. Huiusmodi nanque sunt incorporalium sanctorum angelorũ voces, quæ ab ipsa manifestatione horrorem secum ferant: quemadmodum manifestum est ex eo quòd Daniel ne lenem quidem angeli visionem nihil habentem comminationis ferre potuerit. Datum est autem Dani.10
præceptum vt obsignarentur quæ septem tonitrua nuntiauerant, hoc est, secreta seruarẽtur: quòd perfecta horum apprehensio, apertaque cognitio extremis temporibus vtiliter reponatur. *Leuauit manum suam dextram in coelum.* Dextræ manus eleuatio efficax ac firmius designat esse factum eius qui iurauit. Ideo quoque dictum est: Dextera domini fecit Psal.117.

 virtutem.

D virtutem. Quòd autem ſequitur, *In eo qui uiuit in ſecula.* videtur quidem Græcam non habere phraſim: dicitur enim iurare per aliquem, & non in aliquo. Nec tamen incongruum fuit iurare in eo qui viuit, ad oſtendendum eſſe iuramentum iuxta voluntatem eius per quem aſſumptum eſt. Et deus quidem quoniam per nullum maiorem potuit iurare, quod moris eſt iurantibus, iurat per ſeipſum, & ait: Per memetipſum iuraui dicit dominus: angeli verò tanquã creaturæ per creatorem iurant, per diuini numinis aſſumptionem confirmantes noſtram diffidentiam. *Iurauit deinceps nõ fore tempus.* Rectè ac verè: nam poſtea non erit tempus. Spatium enim temporalis ſubſtantiæ quod tunc fluet, ſine veſpera ac interpellatione erit, & ita non erit tempus. Quis

Heb.6.
Gene.23.

E enim vſus luminis ſolaris, quum animalia requieſcunt à diurnis laboribus? Nam ſine his quæ eſt ſolaris luminis neceſſitas, vel etiam vſus? Sol quidem erit, quia neque ad interitũ tendet præſens mundus, ſed ad innouationem. Quemadmodum verò nunc, aſtra ſunt quidem etiam in die, non tamen conſpiciuntur vincente ſplendorem illarum ſolis fulgore, adeo, vt neſciantur eſſe in cœlo: ita & tunc. Siquidem ignorare quòd nulla ſit cauſſa cur præſens mundus tenderet ad perfectum interitum, nõ vulgaris eſſet ignorantia. *Quod tempus non erit amplius.* Tempus non fore iurauit, non ab eo tẽpore quo hæc loquebatur, ſed quo ſeptimus angelus tuba caniturus eſſet. Ideo quoque ita intelligendum eſt, cum additione quòd tempus deinceps ab eo inſtanti non erit. Neque

F enim de præſenti factum eſt iuramentum, ſed in diebus, inquit, vocis ſeptimi angeli. Dictum eſt autem per figuram ellipſis, id eſt, defectus: deficit enim, Tunc erit temporis finis vel abſentia, vt ſol non dimetiatur temporalia interualla. Siquidem vbi caniturus eſt ſeptimus angelus, tunc etiã temporalia ſpatia ſeu interualla deficient: & vniuerſa impiorũ punitio imminebit, quæ variis pœnis perficiatur. Quum igitur cõgruo tẽpore caniturus eſt, erit conſummatio, non nunc quãdo in contemplatione tuba canit. Conuenienti autem tempore finem quoque accipient quæ tuba canuntur, inquit, & myſterium quod annũtiauit deus ſeruis ſuis prophetis. Nam vſque ad iudicium & eorum repẽſionem quæ quiſque in vita peregit, vaticinati ſunt prophetæ: quod & diuo Paulo videtur

detur, nempe linguas eo tẽpore cessaturas esse, & prophetias 1.Cor.13
abolendas. Horum autem euentum vocat εὐαγγελισμόν, id A
est lætam annuntiationem, propter paratam sanctis requiẽ.

Et uox quam audiui de cœlo rursum loquens mecum, & dicens: Abi, & accipe libellum apertum de manu angeli stantis super mare & super terram. Et abij ad angelum, dixiq; illi ut daret mihi libellum, & ait mihi: Accipe, & deuora illum: & faciet amaricari uentrem tuum, sed in ore tuo erit dulcis tanquã mel.

Oportet ad apertiorem eorum quę dicuntur intelligentiam, aut prædictæ sententiæ aptare verbum substantiuum, vt B
sit sensus: Et vox quam audiui de cœlo, rursum erat loquens mecum & dicens: Aut, hanc vocem audiui rursum dicẽtem mihi: hoc autem est, Audiui rursum dicentem, Abi, & accipe libellum apertum de manu angeli stantis super mare & super terram. Et hîc alia quædam eminentior angelica potestas videtur præcipere euangelistæ, vt per librum cognitionem accipiat eorum quæ oraculo tradebãtur. Quid autem loquebatur? Vt caperet librum ab angelo. *Accipe & deuora illum, &c.* Iuxta quod mihi præceptũ erat, inquit, abij ad angelum petens libellum, & acceptũ comedi iuxta illius præceptũ, qui, vt ei quoq; visum fuerat qui dederat, in initio dulcis erat, propter futurorum cognitionem: nam hoc designat per os, quia per ipsum fit initium comestionis: porrò amarus erat in ventre, vẽtrem dicens animi recogitationẽ, siue pro- C
gressum rationalium alimentorũ. Quoniã enim nouerat impiorum supplicia, quæ ab eorum quæ à deo separati erant operibus procedebant: nouerat etiam ꝙ hæc notitia, nempe quòd homines sui generis deo abominandi essent, & ob id meritò in supplicia abiiciẽdi, caussa foret amaritudinis in eo qui contemplatione dignus haberetur, ob compassionẽ erga illos qui sui generis essent. Potest hoc etiã modo de his dici: Quoniã in hoc libro descripta erãt vniuersa studia eorum qui in hac vita versati fuerãt, merito iuxta initia quidẽ in fœlici bonorũ operũ successu dulcescere videbatur: porrò vbi lõgius processisset, quod indicat deuorãdi vox, & in prauorũ abominationes perductus esset, cruciatu & amaritudine replebatur:

D plebatur: cruciatu quidem, propter eiulatum peccatorũ ex tormentis: amaritudine verò, quia contrà illi qui sui generis erant, ne eos quidem tulerãt qui egregia facinora præstiterant. Alioqui quomodo compleretur oraculũ, Gaudete cum gaudentibus & flete cum flentibus?

Rom. 12

CAP. XXIX. *Quòd libellũ de manu angeli euãgelista acceperit.*

ET accepi libellũ de manu angeli, & deuoraui illũ eratq; in ore meo tanquã mel dulcis, & quũ deuorassem illum, amaricat⁹ est uẽter meus: & dicũt mihi; Oportet te rursũ prophetare in populis & gẽtibus & linguis & regibus multis.

E Potest & alio modo de amaritudine ac dulcedine haberi contemplatio. Quoniam enim sanctus qui hæc intuebatur expers erat huiusmodi impietatũ, iubetur per libri deuorationẽ, in quo & noĩa & actiones impiorũ cõtinebantur, omniũq; punitiones: iubetur inquã nõ simpliciter edere, (nam hoc vulgarẽ & qualẽcunq; experiẽtiam designat) sed deuorare, hoc est, plenam rei experiẽtiam sumere, & quasi rei autor deportari, tanquã multa experientia ad hoc peruenisset: ꝓpter quod in initio quidẽ, propter cognitionẽ quæ semper ab hominibus magno studio affectatur, dulcedinis demonstrationẽ præ se ferre videtur: amaricationis verò ꝓpter infallibilem cognitionem eorum quæ reposita sunt in retributionẽ impietatum. *Oportet te rursum prophetare.* Per hęc ostenditur ꝙ nõ statim post visionẽ reuelationis sequeret̃ eorum euẽtus quæ visa erãt, sed ꝙ oporteret hunc beatũ virum multo tẽpore, quod protẽderetur vsq; ad corruptibilis huius mundi cõsummationẽ, dum hæc cõplementum acciperent, multis ꝓphetare: siue per cognitionẽ sui euãgelij, in quo futura nõnulla inseruntur, aut etiã per presentem reuelationẽ, vt iam dictum. Non est autem ignorandum ꝙ ex hoc dicto, Oportet te rursum prophetare, opinantur multi beatum hũc virum vsque ad seculi consummationem viuere, ac venturũ esse circa tempora Antichristi cum Enoch & Elia, vt vnà cum illis corrigat eos qui tunc viuent homines, & quòd sub Antichristo interimendus sit.

F

Cap. XI. *Et datus est mihi calamus similis uirgæ dicẽs: Surge, ac*

ge, ac metire templum dei & altare ac adorātes in eo: & atrium quod extra templum est eiice foras, & ne metiaris illud, quia datum est Gentibus: & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadragintaduobus. A

Si quis calamum quem sibi datum ait euangelista cognitionem appellare velit rerum intelligibilium, iuxta id quod & Dauid gloriatur linguam suam nactam esse calamum scribæ velocis, nequaquā errabit. Proinde euangelista quoq; cognitionem quæ spiritualiter sibi contigit appellari dicit per calami dationē, qui etiam in virgæ similitudinem effigiatus est, virga siue baculo rursum designante fulcimentum. Non fuerit itaque ineptum, vt hoc etiam in loco is qui subministrat oraculum per calami dationem intelligat spiritualium cognitionem, quemadmodum per alia inanimata, altare dico & thronum aliaq; huiusmodi. Neque enim cōmodum est inanimata hęc intelligere velnti præ se ferunt, sed iuxta meliorem existendi modum & spiritualem poterit quispiam allegoricè referre, nempe vt detur notitia discernendi ea quæ videntur. Quomodo enim diceret inanimatus calamus, Surge & metire templum dei? ex hoc igitur intelligitur per angelicum intellectum mēsuratum esse templum dei. Verum quoniam nonnulli de his alio modo & multipharium protulerunt, dico sanè de templo & altari quæ etiam mensurari præcipiuntur, & de adorantibus in ipso: templum dei & altare vetus testamentum declarantes, atrium verò, nouum nō attingentes scopum: Nam hoc modo spiritualiora ac sacratiora fuissent illa, quàm testamētum quod tradidit Christus: siquidem templum ac altare honoratiora sunt atrio: Non ita verisimile est procedere quod narrando præceptum est. Si tamen eò tendat quòd illa essent rudiora elementa ad nouū testamētum primaq; ad dei cultum initia, quum etiam mensurentur qui iuxta illud præmia retulerunt, ratione non caret intellectus ille. Si verò ad diuinam respiciat humanorum morum instaurationem, vtque apertius dicam, conditoris erga nos amorem quo nos gubernat, conferri non potest hoc modo legale testamentum nouo testamento. Potest itaque atrium esse dei ecclesia, quòd circunscribi non possit, tum propter locum, tum propter innumerabiles Gentes quę

Psal. 44 (margin, beside "& Dauid gloriatur linguam suam nactam esse calamum scri-")

B (margin, beside "strat oraculum per calami dationem intelligat spiritualium")

C (margin, beside "tiora fuissent illa, quàm testamētum quod tradidit Christus:")

D in eius loco continentur. Non turberis autem ꝙ pręceptum iusserit extra templũ illud eiicere : nihil enim aliud hoc est quàm ꝙ ostendat liberam esse ecclesiam ab angustia exquisitarum examinationum, circuncisionis, sabbathorum aliarumque superfluarum purgationum. Est autem ratio & causa, quia datum est absque vlla obseruatione atrium illud Gẽtibus quæ secundum Christum viuere volunt. Porrò ciuitatem sanctam calcari mensibus quadragintaduobus, ciuitatẽ sanctam vocauit ecclesiam, quam à Gentibus calcari nouimus, quibus videlicet datũ est vt in ea conuersarentur, Christiani quidem piè, increduli vero contemptim & ad perdẽ-
E dum. Quoniam autem nonnulli eiectum esse atrium, acceperunt de synagoga infidelium Gentium ac Iudæorum, qui vt aiunt etiam contumeliosè in eo insectari dicuntur fideles, idque maximè tempore Antichristi : aduersus Christianos hoc intellexerunt. *Et ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadragintaduobus.* Tempus quadragintaduorum mensium opinamur significatiuum esse contractionis moræ circa aduentum Antichristi: propter quam afflictionem dei cultoribus
Matt. 24. inferendam, verus deus Christus breuiandos esse ait dies illos. Sunt autem quadragintaduo menses, tres anni & dimidius, in quibus continget fideles ac probatos conculcari ac persequutionem pati.

F

CAPVT XXX.

De Enoch & Elia, qui Antichristum coarguent.



T dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ & duo cãdelabra in conspectu domini terræ stantia. Et si quis ipsos uoluerit lædere, ignis egredietur de ore eorum, & deuorabit inimicos ipsorum. Et si quis uoluerit ipsos lædere, ita oportet eum occidi. Hi potestatem habẽt claudendi cœlum ne pluat tempore prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutiendi terram quotiescunque uoluerint omni plaga.

Quoniam

Quoniam in visione repræsentata sunt euangelistæ quæ dominicæ incarnationis concernebant dispensationem, nēpe natiuitas,tentationes,prædicatio,crux,& præter hæc etiā resurrectio ac secundus aduentus: Ad hæc sanctorū quoq; ac peccatorum retributio : sola autem ea prætermissa erant quæ secundum concernebant aduentum : iure postliminij nunc de his edocetur. Et certe ꝙ Elias propheta vēturus sit manifestum est,quū scriptura hoc prædixerit, quæ per Malachiam vaticinatur : Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem priusquam veniat dies domini magnus & manifestus, qui conuertet cor patris ad filium & cor hominis ad proximum suum. De Enoch vero testimonium quidem ꝙ ad aduentum spectat ex scriptura non habemus, præter transpositionem ne gustaret mortem.Fertur aūt ex traditione præconum Christi quod inuariabiliter in ecclesia recipitur, ipsum quoque venturum cum Helia Thesbite. Venient enim ambo vt protestentur his qui tunc erunt ne fallacibus Antichristi signis fidem adhibeant:& in hoc suo testimonio agēt ad tempus trium annorum & dimidij:nam mille ducenti sexaginta dies tantum explent temporis spatium. Saccorū autem amictus demōstrat hos duos præcedere cum abiectione luctus atque mœstitiæ, quos Zacharias propheta oliuis assimilat & duobus candelabris:oliuis, eo ꝙ producant oleū lucis nutrimentum: candelabris verò, quia vehiculum facti sunt veritatis,quæ & per virtutes nomen verę lucis suscipit, & prælucet his qui accedunt,ꝙ etiam his contingit qui libere & ingenue loquuntur. Cæterum in conspectu domini terræ stare,quid aliud significare potest,quàm ꝙ accessus horū propinquissimus erit aduentui iudicis viuorum ac mortuorum? *Ignis egreditur de ore eorum.* Signis inquit, vtentur & ipsi potentibus, veritate illorum coarguentes ea quæ in errore ac seductione fient, & eos qui viderint ad fidē & assensum attrahentes.O admirandam diuinam bonitatem quę ex aduerso erroris ordinauit remedium veritatis : nam per potestatem verorum signorū & prodigiorum sanctos istos obarmans,vt doctrinæ sermonibus homines conuertant: præterea etiam flagellis, nempe pluuiæ carentia & igne, variis etiam elemētorum mutationibus,ad hoc tendentibus, vt iis noceat qui ita affecti sunt vt conuerti nequeant,suos aduersarios

A

Mala. 4.

B

Gene. 5.

Eccl. 44.

Zacha. 4.

C

D sarios veris signis pudefacit. Et ita quidem tractantur amentes. Porrò saniores & qui ad conuersionem respiciunt, iuxta

Prouer. 3. illud, disciplina domini aperit aures meas: & illud, Quem di-

Hebr.12. ligit dominus castigat, salutem lucrifecerunt, quanquā violente, attamē sibi designatam ab eo qui non vult mortē pec-

Ieze.8. catoris sed resipiscentiam. *Et percutiendi terram.* Iuxta diuinam bonitatem correspondenti modo ad plagam etiam subiungitur sanatio. Postquam enim Antichristus per omnia signa & prodigia mendacia cunctis factus fuerit illustrior se-

2.Thess.2. cundum operationem Satanæ, benignus deus sanctos suos obarmabit per potentiam verorum signorum: vt mendaciū

E coarguant, & eos qui fuerint seducti cōuertant, ac seductorem palam traducant, nihilque aduersi ab eo patiātur vsque ad terminum suæ prophetiæ.

Quumq; expleuerint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso committet prælium aduersus ipsos, & uincet eos, ac occidet ipsos, & cadauera eorum iacebunt in platea ciuitatis magnæ, quæ uocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus, ubi & dominus eorum crucifixus est. Et uidebunt de populis & tribubus & linguis & gentibus cadauera eorum tribus diebus &

F *dimidio, & cadauera eorum non permittent poni in monumentum: & inhabitantes terram gaudebunt super illis, & lætabuntur ac munera dabunt inuicem: quoniam hi duo prophetæ cruciauerant habitantes in terra.*

Quumque expleuerint testimonium. Quodnam? Quod is qui tūc præsens erit non sit Christus, sed impostor ac perniciosus seductor: sed paulo post venturus sit dei filius, cui etiam credendum sit tanquam Saluatori: qui ad benefaciendū hominibus iam olim aduenerit, & nūc rursum sit venturus. *Bestia quæ ascendit de abysso.* Bestiam dicit Antichristū, propter crudelitatem & inhumanitatem, ac humani sanguinis auiditatem: abyssum vero vitam hominum, amaram propter peccata, & tristem ac instabilem ob aduersos vndique flatus ac

sibilos malignorum spirituum. Neque enim ex alia natura A
exurget sceleratus ille, sed ex nostra & humana substantia:
nam homo erit secundum operationem Satanę, vt iam dictũ
est. Hæc igitur bestia, inquit, pugnabit aduersus hos sanctos
prophetas, & occidet eos, & corpora ipsorum insepulta pro-
iiciet in plateis Ierusalem: in ea enim regnabit, tanquam rex
Iudæorum quos seducet, & in omnib⁹ habebit ministros si-
biq; obtemperãtes. Et dominus apud Iohannem, Ego ve- Iohan. 5.
ni inquit, nomine patris mei, & non recipitis me: si alius ve-
nerit nomine proprio, illum recipietis. Sodoma vero & Ae-
gyptum dicit vocari Ierusalem spiritualiter, hoc est iuxta al-
legoriam: Sodoma, propter impudicitiam & hospitum affli- B
ctionem, quæ tunc erunt in Iudæis ipsam inhabitantibus:
Aegyptum autem, tanquam in seruitutem redigẽtem ac in-
iurias inferentem Christi seruis, quemadmodum illa Israeli-
tis. *Vbi & dominus eorum crucifixus est.* Eorum, nempe horũ
duorum testium. *Et uidebunt de populis.* Videntes Iudæi qui
ex omni tribu ab Antichristo seducti fuerint, occisionem
duorum martyrum siue testium, gaudebunt, nempe ꝙ rex
suus vicerit: ac donis gratulatoriis benignè inuicẽ excipient,
& corpora eorum insepulta manere faciẽt, id in pœnam re-
pendentes duobus prophetis.

CAPVT XXXI.

Quod occisi ab Antichristo Enoch & Elias resurgent, & eos qui seducti fuerant, terrore consternabunt. C



ET post tres dies ac dimidium spiritus uitæ qui est ex deo intrauit in illos, & steterunt super pedes suos: & timor magnus cecidit super eos qui uiderunt ipsos. Et audiui uocem magnam de cœlo dicentem ipsis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in ipsa nube, & uiderunt eos inimici eorum. Et in illo die factus est terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit. Et occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia, & reliqui territi sunt & dederunt gloriam deo cœli. Væ secundum abiit, & ecce tertium uæ cito uenit.

Vbi æquali dierum numero mortui fuerint cū annis prophetiæ ipsorum ait eos resurrecturos: † rursum adhuc ex temporali significatione à futura rei consummatione ad præteritam transpulsus, & in hoc incommutabilem eorum quæ significantur manifestationem sapienti quodam modo cum debita diligentia ostendens. *Et timor magnus cecidit.* Timor magnus dictus est, siue qui etiam sensibiliter tunc continget quum hæc fient: aut etiam alio modo: sed parum circa hæc occupari oportet, quum vtrumque iuxta diuinum beneplacitum præbeat id quod salutiferum est animo eorum qui vigilare cupiunt. *Et ascenderunt in cœlum in ipsa nube.* Semper *nubes ministra est in diuinis rebus, illisque familiaris est, iuxta illud: Nubes & caligo in circuitu eius, νεφέλη enim, id est nubes, dicta est ἀπὸ τῶν νεφῶν, id est à nebulis, vbi densitatem & aquositatem abiecerunt: quę nebulæ ex exhalatione humidæ substantiæ natæ sunt per euaporationem accipere subsistentiam. Igitur quum nebulæ fiunt appropriatæ ad esse nubis, cōspicitur in ipsa quædam obscuritas cum aliquo splendore, qui à refractione radij solaris ex incidentia perficitur, ideoque semper diuinis manifestationibus attestando commiscetur: illud designans, ꝙ diuina neque omnino nobis incerta sunt, neque omnino manifestè præbētur: sed veluti puræ lucis illustratio per obscuritatē manifestatur. Iuxta hunc ipsum sanè modum etiam nūc ministra fit nubes ascensui prophetarum in cœlum, atque ob id, vt moris est in huiusmodi, cum articulo assumpta est: siquidem in ipsa nube eos ascendisse dicit, ita tradente articulorum initiatione quę rei alicuius præcognitæ expensionem admonet, veluti paulo antè suggessimus. Et de nube quidem hactenus consideratum sit, ꝙ νεφέλη, id est nubes, quantum ad etymum spectat dictionis, ex eo dicta sit ꝙ substātiā habeat ἀπὸ νέφους, id est à nebula, quæ omnem crassitiem & aquositatē excussit, humida namque exhalatio nebulas constituit, qua exhalatione in pluuiam discussa, & velut emissione facta, quod ex ea manet indigestum, ad nubis cedit generationem: in qua propter raritatem & quandam obscuritatem, caliditas etiam siue solare lumen libenter immoratur, vt sit veluti nebula illuminata ac pellucida. *Et occisa sunt in terræmotu nomina.* Specialiori vsus est promulgatione. Neque enim nomina occisa sunt:

† Habuit quidē Græcum exēplar, ἐξ ἔτη τῆς χρονικῆς πάλιν δηλώσεως, uerum arbitramur omnino reponēdū ἐξ ἔτι, idq; attentare ausi sumus quòd non uno in loco dormitatū fuisse reperimus in Græci codicis excussione. D E

** Hic quidē autor toto hoc scholio νεφέλην capit pro clara ac rara nebula, νέφος autē pro nube. Attamen quia sacræ literæ fre-* F

ſunt: quomodo enim fieri poſſet vt in ordinẽ ſiue aciem redigerentur, quæ abſque ſubiectæ rei productionẽ & producuntur & eſſe deſinunt, veluti declarant viri in his rebus eruditi? Sed intelligendum eſt dictum hoc, quòd illi ſint occiſi †aduerſus quos nomina ſunt poſita.

CAPVT XXXII.

De ſeptima tuba & ſanctis deum laudantibus ob futurum iudicium.



ET ſeptimus angelus tuba cecinit, & factæ ſunt uoces magnæ in cœlo dicentes: Factum eſt regnum huius mundi domini noſtri Ieſu Chriſti, & regnabit in ſecula ſeculorum. Et uigintiquatuor ſeniores qui ſunt in conſpectu throni dei, qui ſedent ſuper ſedes ſuas, ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt deum dicentes: Gratias agimus tibi domine deus omnipotens, qui es & qui eras, quoniam accepiſti potentiam tuam magnam, & regnaſti, & Gentes indignatæ ſunt. Et uenit ira tua & tempus mortuorum ut iudicentur, & reddas mercedem ſeruis tuis prophetis, & ſanctis, & iis qui timent nomẽ tuũ, puſillis & magnis, & perdas eos qui perdunt terrã.

Buccinatio ſeptimi angeli oſtẽdit quæ ſunt tertij Væ, nẽpe voces magnas in cœlo reſonantes, decretum ac ſententiã inducentes, nam hoc ſibi vult earum dicere. Quid eſt igitur quod notum fit? Factum eſt regnum. Semper quidem deus regnat, neque incœpit neque deſinet, ſiue omnia intelligãtur, ſiue intellectu non attingantur: neque enim cuncta cõplectitur humana intelligentia, imo ſine initio & ſine fine vniuerſorum dominus eſt dominator. Quoniam autem mũdanus principatus ac regnum quandoque ipſi oſtenditur nõ ſubiectum, ſuis intumeſcens vanitatibus: hinc autem accedit corruptibili huic mundo veluti per ſomnium gloria ad perditionem, dum quidam regnant ac tyrannidem agunt ad-

G uerſus

A quemadmodum ter utũtur hac dictione Nubes, pro raraac lucida exhalatione, ita & nos ad finẽ uſque huius ſcholii accipimus. B nebulam uerò pro denſa ac obſcura: maximè ob id, ne tam in uertendo hoc textu quàm in reddendo quod hic citatur C fragmẽto pſalmi. 96. ab omnibus aliis interpretibus diſſentire cogeremur, uertendo νεφέλην in nebulam. † τῶν καθ' ὧμ.

D uersus eos qui quatiuntur ac compescuntur, non tamen verè, sed veluti per speculum ac simulacrum : solus is qui verè deus ac rex est perpetuo principatu ac potentia, dictus est principatum tenere ac regnare in secula. *Ceciderunt in facies suas.* Quoniam casus etiam significat vulgarem corporis dispositionem, ne hoc suspicareris, subiunxit In facies suas: qui honor debet heris tribui ab his qui minimi sunt ac inferiores in honore. *Et uenit ira tua &c.* Quum hactenus cum his qui olim fuerunt plurimum remoratus fueris : in nullo enim tua fruiti sunt bonitate, nunc opportunè venisti. Tempus autem mortuorum dicit tempus vniuersalis resurrectionis, in quo vnicuique conuenientia dabuntur præmia. Per

E prophetas autem & sanctos ac timentes deum, intelligit tres ordines illorum centum octogintaquatuor millium qui deo fructum adferunt : nempe apostolorum qui digni habentur prima sorte, & vt constituantur super duodecim sedes. Similiter & prophetas potissimum dicit eos qui immania sustinuerunt regum aduersus se exasperatorum supplicia. Pusillos vero dicit minores sanctos, magnos autem qui maiori præcelluerunt sanctitate. Verum quia duplex est timor, vnus quidem initialis & alter consummatiuus : initialis est eorum qui nondum acceperunt vt impune auderent accedere : perfectus vero eorum qui iam à deo assumpti sunt,

F qui etiam semper verentur ne quid sibi desit eorum quæ decet esse in his qui vehementer amant. Non opinor reiiciendum esse quòd à sanctis † separati sint ij qui timent : quasi pusilli sint qui vero timore tenentur, magni verò qui possunt confidere sicut dictum est, ac confidentia timorem comitari. Vtrisque igitur conuenit timor ob retributionē quæ fit iuxta dignam eorum quæ in vita peracta sunt remunerationem : magnis quidem, quòd non satis fidant hoc ipsum sibi contingere absque defectu : pusillis verò, quòd certo sperent se saluandos etiam dum seruos dei grauibus afflixerunt malis, aliáque absurda patrauerunt opera, quibus conspurcarunt ac corruperunt terram.

† ὑποσαλῆναι

CAPVT XXXIII.

De prioribus ecclesiæ persequutionibus, & iis quæ sub Antichristo fient.

Et aperi

ET apertum est templum dei in cœlo, & apparuit arca testamenti domini in templo suo. Et facta sunt fulgura & uoces ac tonitrua & grando magna. A

Post gratiarum actionem & gloriam datam ab angelis & iis qui vitam duxerunt angelicam, apertum fuisse cœlum dicit, visamque fuisse arcam testamenti, cœlum vocans cognitionem plus quàm humanam, in quo etiam recondita sunt Iesa.64. quæ oculus non vidit nec auris audiuit nec in cor hominis 1.Cor.2. ascenderunt, quæ præparauit deus diligentibus se. In hoc cognitionis cœlo arca quoque testamenti visa est: quid autem B voluit per hoc visio ipsa significare? Quod, quemadmodum illo tempore Mosi dictum est, ea quæ ipsi iubebantur significatiua esse nec veritatis efficaciam habere, Vide, inquit, o- Exo.19. 20.25. mnia facias iuxta typum qui tibi ostensus est in monte: ita nunc quoque hæc enarrantur, conuenienti modo attollendo cognitionem eorum quæ videntur ad cœlestem sublimitatem. Et quoniam dum arca testamenti Mosi demonstrata est, apparuerunt præparatiua fulgura ac tonitrua circa mõtem in quo deo placuit vt hæc oracula darentur, quæ irrationalibus ac ferinis tradebantur: ita etiam hic ad ostensionẽ arcæ consequuntur ea quæ huic conueniunt visioni. *Et facta sunt fulgura.* Hoc est tertium Væ quod peccatoribus præ- C paratum est, quemadmodum aspectus bonorum quæ seruãtur sanctis, qui interim discerni non possunt inter homines, sed per apertionem templi dei in cœlo peruenitur ad eorũ cognitionem. Tunc enim qui probe vitam peregerunt, regenerationem nacti, bona consequentur quæ reposita sunt in regno patris.

Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier stipata sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Et prægnans clamat parturiens: & cruciatur ut pariat. Cap. XII.

Mulierem hanc nonnulli dixerunt esse domini matrem. Quum enim paulo ante narrauerit ea quæ Antichristũ concernebant, postquam hunc dixit instare, quodque eius sermones à Satana deprompti sint, ꝙ Satanas studiose ac frau-

D dulenter nitatur persuadere vt qui Christo iam addicti sunt, per imposturam ad se transfugiant: qui etiam eos qui fuerũt ab initio incarnationis dominicæ malitiose aggrediens, ex horum similitudine deceptionẽ proposuit instituere: & maximè Hebræos, qui proprias de Christo prophetias magis ipsi attribuunt quàm Christo: Hoc sanè modo disposita fraude, proponit nunc domini dispensationem propter nos factam, tanquam iam perfectam, ita vt nulla futura sit quæ illi se possit adiungere. Ideo matrem quidem veluti puram & à terrenis rebus separatam in cœlo esse scribit, & non in terra,
E tanquam angelis æqualem. Porrò ꝙ sole stipata sit, & lunam
Habbac. 3. habeat scabellum pedum, Habbacuc idoneus est ad persuadendum quum ait: Exaltatus est sol, & luna stetit in ordine suo: solem dicens iustitiæ Saluatorem Christum, eo quòd euangelica prædicatione veluti exaltatus sit & sublimior effectus: luna verò, id est Iudæorum synagoga amplius non susceperit augmentum: neque enim post Christi apparitionẽ deinceps per proselytos accepit augmentum, imò diminuitur potius, dum Iudæi ad Christianos accedunt. Sed & sole stipatam fuisse possum' accipere, quòd beata virgo sole spirituali siue Christo operta fuerit: & quòd luna cultum designans legalem, veluti diminuta sit ac seipsa minor effecta, per spiritum euangelicum loco mota. Fortassis autem ad id
F quod significatur magis consequens fuisset dicere, nõ quòd mulier fuisset circundata sole, sed quod circundedisset poti' solem in vtero inclusum. Sed vt ostendat ꝙ etiam is qui vtero gestabatur dominus, & sua matre & quauis creatura eminentior erat, protectione ait ipsum circundedisse matrem. Rursum vero alij hanc mulierem dixerunt esse ecclesiam, quæ sole iustitiæ Christo stipata est: & lunam, id est synagogam sub pedibus eius, tanquam iam vetustiorem effectam posuit: & quæ sequuntur omnia congruo modo adaptarunt, vt Andreas & Methodius. *Et in capite eius corona.* Corona in capite mulieris ex duodecim stellis constituta, sancti sunt Apostoli. Porro ꝙ prægnans clamet cum cruciatu ad partũ,
Iesa. 66. aiunt Iesaiam filium Amos dissoluisse, quum ait priusquam parturiret peperisse, & prius quàm accederet labor pariendi effugisse & peperisse masculum. Nam vtrũque contigit virgini. Etenim clamauit & in angustia erat, verita ne sponsus ipsam

ipsam crimini adulterij obnoxiam duceret: quod etiam ait: euangelium, quum occultè vellet dimittere eam. Quoniam autem successit huius suspitionis liberatio, confirmante angelo fœtum esse ex spiritu sancto, tunc & ipsa effugit omnē quæ se cruciabat molestiam. A Matt.1.

Et uisum est aliud signum in cœlo: & ecce draco rufus magnus habens capita septem & cornua decem, & super capita ipsius septem diademata, & cauda ipsius trahit tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.

Draconem vocat Satanam, eo ꝙ tortuosus sit: rufum autem, quia cruentus & iracundus. Caudam vero dicit hoc loco aerem, quod ab illo non ceciderit diabolus: nam quo modo ab eo cecidit, qui iuxta Paulum habet in ipso potestatem, dum ait: Iuxta principem potestatis aeris huius? Capita autē ipsius dicit sceleratiores eius potestates, & spiritualibus operibus aduersantes: aut septem nequitias quas Solomon dicit esse in corde inimici. *Et cornua decem.* Cornu potentiæ ac gloriæ significatiuum est. Decem vero cornua, aut peccata quæ decem præceptis legis opponuntur, & perfectos conatus satanicæ apostasiæ: aut regni diuisiones quæ mūdum ad ipsum ferūt, vt qui gaudet semper dissidiis. Porro septē diademata quæ super capita ipsius imposita sunt, æquantur capitibus numero: qui enim in dæmoniacis operibus vincunt, inde coronas gestant, vnde laboribus ac sudoribus victoriā retulerunt. *Et cauda ipsius trahit tertiam partem stellarum.* Tertia pars stellarum dicti sunt hi qui * circa nouenarium trinitatis numerum disceptant, veluti sunt Arius & Macedonius. Desertum vero ad quod veniens nutritur ecclesia est, ꝙ deserta sit à malis, & sterilis à corruptione. Cæterum ꝙ cauda trahat tertiam partem stellarum, hoc etiam modo considerari potest, vt duo quædam per hæc significari existimemus: aut primum ipsius de cœlo casum, cum angelis qui vnà cum ipso se à deo separarunt per extremum inuidię motum: nam hæc est cauda. Primum enim elatio quæ ipsum traxit, ad inuidiam obarmauit, & hos in terrā detraxit. Aut inimici motionem seu casum de cœlo post confractionem sui capi-

[Margin: B; Ephe.2.; Prou.26.; EX MONVMENTIS ANDREAE.; C; *περὶ ἐννάτου ἀριθμοῦ.]

D tis,quam à discipulis domini sustinuit,qui ab ipso potestatem
Luc 10. acceperunt calcandi supra serpentes & scorpiones & super
omnem virtutem,malam. Siue postremum motum dicit,quo
deiecit eos qui firmi nõ erãt à cœlesti intelligentia, qui tropice
dicti sunt stellæ propter splendorem in baptismate susceptum. *Et misit eas in terram.* Vnã enim secum deiecit maximam angelorum partem, persuadens vt pariter à deo discederent,ac terrenos fecit eos qui fuerant cœlestes,& tenebras illos qui splendidi fuerant in modum stellarum.

Et draco stetit ante mulierem quæ paritura erat, ut quum peperisset, filium eius deuoraret. Et peperit
E *filium masculum qui recturus erat omnes gẽtes in uirga ferrea. Et raptus est filius ipsius ad deũ & ad thronum eius: & mulier fugit in desertum, ubi habet locũ ibi paratum à deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.*

Quod steterit Draco insidias moliens aduersus partũ,hoc significat ꝙ multam adhibeat diligentiam vbi aliquid productum est, quo molestiam adferat:& quænam hæ sint,iam dictum est *Et raptus est filius ipsius ad deũ.* Pestifer draco in-
Matt. 2. sidiatus est, & Herodem extimulauit vt infantes in Bethlehem occideret, quasi inter illos etiam Christum interempturus esset:
F puer autem insidias effugit dei patris prouidẽtia, qui Ioseph oraculo admonuit vt eo ipsiusque matre assumptis fugeret in Aegyptum. Salutem itaque in raptũ cõmutauit,dicens: *Raptus est ad deum & ad thronum eius:* hoc est,ex diuina prouidentia & dominatione puero ad salutem disposita, nam hoc significare vult Thronus. *Et mulier fugit in desertum.* Mulieris fuga ad desertum, significat electorũ fugam, qua in Antichristi aduentu facto per operationem Satanæ,fugient præcipui omnium qui in ecclesia fuerint, à ciuilibus turbationibus mundanisque voluptatibus fugientes annos tres & dimidium, tantum enim temporale explẽt spatium mille ducenti sexaginta dies.

CAPVT XXXIIII.

De commisso prælio inter sanctos angelos & prauas potestates, & de casu draconis.

Et factum

ET factum est prælium in cœlo: Michael & angeli eius præliati sunt cum dracone, & draco pugnauit & angeli eius, & non ualuerunt, neque locus eorum amplius inuentus est in cœlo. Et eiectus est draco magnus serpens antiquus, qui uocatur diabolus & Satanas, qui seducit totũ orbẽ eiectus est in terrã, & angeli ipsius cum eo eiecti sunt. A

Prælium in cœlo contigit propter primam superbiam & inuidiam aduersus Adam. Quum itaque Michael dux exercitus non tulerit diaboli superbiam, & bellica virtute illum à sua in cœlo conuersatione iam olim abiecerit, rursum in aduentu Antichristi vnà cum Iudæis & angelis sibi ministrantibus per tentationes aduersus fideles & sanctos, perfectius excidet diabol⁹, nempe ignominiosus redditus ab illius seruis qui ipsum deiecerat. Quidam autem hunc diaboli casum factum fuisse dicunt post baptisma & tentationem Christi, & postquam dixit ei Christus, Abi Satana: idque vehementer consentaneum videtẽ esse his quę de dei matre dicta sunt. Duobus vero nominibus appellatur: Satanas quidem, vtpote domino aduersarius: Diabolus vero, tãquam deum calumnians apud homines, veluti apud Adam. B Matth. 4. Gen. 3.

Et audiui uocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta est salus & uirtus & regnum dei nostri, ac potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos coram deo nostro die ac nocte. Et ipsi uicerunt eum propter sanguinem agni, & propter uerbum martyrij ipsorum: & non dilexerunt animam suam usque ad mortem: propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Væ terræ & mari, quia descẽdit ad uos diabolus habens iram magnã, sciens quòd modicum tempus habeat. C

Quum nactus esset ascensum in cœlum, vnde & prælium conspexerat, & victoriam aduersus diabolum, audisse se ait vocem quæ diceret, hoc est ad significandum assumeretur,

D quemadmodum frequenter adduximus. Quid autem significauit? Lætitiam quam habebant ob victoriam de Satana. Quis est autem cantus? Nunc facta est salus, & virtus & regnum dei manifestissimè resplēduit. Quod autem ait Nunc, non vt nouum aliquid significet hic assumptum est, sed perfectionem & infallibilitatē, & tale quod principio respōderet. *Fratrum nostrorum.* Angeli vocant homines fratres,

Psal. 21. ad imitationē domini sui qui ait per Prophetā: Narrabo nomen tuum fratribus meis. *Die ac nocte.* Accusationem aduersus fratres nostros, inquit, continuè meditatur accusator, ostendens cōtinuum & assiduum illius maligni aduersus nos insultum. *Et ipsi uicerunt eum propter sanguinem agni.* Vicerunt martyres eum qui videbatur esse inuincibilis, adeo vt

E etiam aduersus deum auderet obsistere, idque sanguine agni vtentes auxiliatore. Quemadmodum enim ille non pro se, sed pro nobis suum fudit sanguinē, ita & CHRISTI martyres zelo mortis domini sui, propria anima & vita chariorē habuerunt dominicæ passionis imitationem. *Væ terræ & mari.* Non denuntiatur væ creaturæ sensu carenti, sed his qui terrenis sunt affecti, & qui ciuis sunt: nam aduersus hos bellum gerēs cōmunis inimicus, suauem sibi parat requiem. In eos namque qui vigiles ac sobrij sunt & in diuinis rebus intenti, non solum ad nocumentum non descendit, sed potius ad vtilitatem, vt qui sub disciplina exerceantur, & per tentationes reddantur longè probatiores. Maiorem autem iram illum habere dicit, quum existimet in proximo suum

F casum imminere.

CAPVT XXXV.

Quòd draco non cesset persequi ecclesiam.

Et quum uideret draco quòd proiectus esset in terra, persequutus est mulierem quæ peperit masculum. Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut uolaret in desertum ad locum suum, ut ibi alatur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis. Et iecit serpens ex ore suo aquam post mulierem tanquam flumen, ut ipsam

ipsam rapi faceret à flumine, fuitque terra mulieri auxilio, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen quod iecerat draco ex ore suo. Et iratus est draco in *mulierem, & abiit ut committeret prælium aduersus reliquos de semine eius, qui custodiunt præcepta dei, & habent testimonium* Iesu. A

Qui mulierem intellexerunt dei matrem, hæc aiunt esse repetitionem eorum quæ iam dicta sunt. Neque enim hoc dicit, quòd postquam vidit draco quòd proiectus esset in terram, continuò persequutus est mulierem: sed quoniam seipsum vidit draco inter eos qui mali erant, quodque ab angelica exciderat dignitate, crudelis admodum factus est aduersus homines. B Qui verò hanc mulierem ad ecclesiam referunt, ita de ipsa loquuntur: quòd vbi vidit diabolus, qui post baptisma ad expugnandum Christum accesserat, se victum esse: similiter etiam quòd armatus aduersus ipsus discipulos con fusus esset, dum illi per mortem vitam sub CHRISTO nacti essent, seipsum verò in terram relegatum esse vt terram ederet, eos nempe qui terrenum haberent sensum, nihilque assequerentur cœlestis reuiuiscentiæ ac splendoris: cœpit rursum, inquit, persequi ecclesiam, ex cuius partu ortus est masculus domini populus, nihil muliebre aut molle præ se ferens eorum quæ per huius vitæ voluptates nata sunt animum dissoluere, mollemque ac torpidum reddere. *Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ.* C Non deuenit, inquit mulier in manus Satanæ, sed datis sibi duabus alis fugit in desertum. Duas alas dicit oracula ab angelis data: vnum quidem quo Magis præceptum est ne rediret ad Herodem, alterum *Matth. 2.* verò quo dictum est, Fuge in AEgyptum & esto ibi, quæ deserta erat à diuino cultu: quod etiam admirandum erat, nempe diuinum infantem inter impios enutriri. Tempus autem & tempora ac dimidium temporis continere dicunt conuersationem ac moram qua fuit in deserto, id est AEgypto, quæ tres annos & dimidium comprehendit temporis vitæ Herodis. *Et iecit serpens ex ore suo aquam.* Insidiarum conatu aduersus virginē frustrat⁹ serpēs, alias nobis innouauit technas aduersus virginem eiusque filium instante passione, quibus & in

D & in matrem adornabat infidelitatem propter passionem, & in filium perditionem per mortẽ. Flumen vero quem ex ore iecit serpens, dicit afflictiones, quemadmodum cõtingit per

Psal. 68. aquas & flumina allegoricè has intelligere. Flumen igitur dicit tentationem & afflictionem quæ in passione domini con

Luc. 2. tigit matri, quam & Simeon senex prędixit virgini; Et tuam, inquit, animam pertransibit gladius: cuius caussa fuit ad maiorem assertionem quòd ipsa verè eum parturisset ac peperisset, & non phantastice. *Fuitq; terra mulieri auxilio.* Quòd terra flumen absorbuerit, significat dominum post mortẽ susceptum fuisse in monumento. Quonam autem modo fuit terra mulieri auxilio? Absorbendo flumen quod iecerat draco ex ore suo. Bellum verò fit aduersus illos qui filij appellan-

E tur & fratres CHRISTI, iuxta id quod dictum est, Narrą

Psalm. 21. bo nomen tuum fratribus meis: aduersus hos fideles domini seruos ex ira decreuit prælium committere, qui per syncerą erga ipsum fidem & affectionem, ad ipsius etiam cognationẽ assumpti sunt, quemadmodum ipsum audire licet dicentem:

Luc. 8. Mater mea & fratres mei sunt hi qui faciunt voluntatem patris mei qui est in cœlis.

CAPVT XXXVI.

De bestia habente cornua decem & capita septem, quorum unum dicit ueluti occisum.

CAP. XIII. E F *T steti super arenam maris. Et uidi de mari bestiam ascendentem habentem cornua decem, & capita septem, & in cornibus suis decem diademata, & super capita sua nomina blasphemiæ. Et bestia quam uidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes ursi, & os eius sicut os leonis. Et dedit illi draco uirtutem suam, & thronum suum, & potestatem magnam.*

In præcedenti visione draco rufus in cœlo videtur, nunc autem è mari ascendens. Draco itaque à cœlo significat eum qui ab initio cecidit à cœlesti gloria, nũc verò eundem è mari dicit ascendere, per mare instabilem hãc & inquietam ostẽdens vitam: à qua etiam bestia ascendit, aliorum vitiosas & instabiles in bonis actiones demonstrandas assumens; quid nõ aliud

aliud designat, quàm quod Antichristus pręter primum & se- A
cundum Satanam, tertius ipse procedat. Porrò secūda ac me-
dia bestia, quæ & nunc ad contemplandum proponitur, pote-
stas quædam est quæ vnà cū apostata Satana cecidit, illo qui-
dem minor, sed cæteris ad nocendum eminētior, qui est An-
tichristus, procedens secundum operationem Satanæ, & ea-
rum quæ vnà cum illo deiectæ, prius quidem angelicæ pote-
states erant, postmodum verò ex peruersa volūtate ad dęmo-
num caliginem sunt transmutatæ. Cornua verò decem de-
signant consummationem eorum quæ iuuant ad malitiam,
cōtingere Antichristo: īter quę gloria quoq; ipsum comitat̄,
quoniā cornu gloriā significare solet. Sed & de his dixerunt
quidā in decē regna diuisum tūc iri mūdū. Septē autē capita,
eo ꝙ regna in hoc mūdo cōtingāt, qui cum septenario nume- B
ro quādam habet cognatione͂, vt qui simul dissoluat̄ cū sensi-
bili & carnali vita: quum autē exorit̄ incorruptibilis & ꝑpe-
tua vita, tūc etiam regnū est perpetuū & successione carens.

Et bestia quā uidi similis erat pardo. Simul in principatu blas-
phemiæ aliū sequi significat, hoc est Antichristū. Ipse enim
erit Antichristus, qui visus ab exordio Græcis principib9, &
sanè etiā his qui post Cōstātinū magnū fuere: inter quos Iu-
lianus & Valēs, quiq; post eū sequuti sunt hęretici Imperato-
res: tūc & ipse insurget, diuiso paulò ante ipsius aduētū Ro-
mano imperio in decem principat9, vbi iam innumeras per-
tulerit fides Christiana blasphemias. De numero autē decem
ac septē iam dictū est. Porrò qualis sit bestia, similis est inquit
pardo, pedes habēs vrsi, & os tāquā leonis: per pardū quidē C
designās Romanū Imperiū, ꝙ celeriter processerit aduersus
quoscūq; impetū habuit & violēter, donec ꝑtingeret ad finē
eius quod inchoauerat: quod etiam significat per pedes vrsi.
Referunt autē & hęc ad Persarū regnū. Cæterum per os de-
signat̄ regnum Babyloniorum, cui succedit indubiè regnum
Sarracenorum, eo ꝙ nunc quoq; in Babylone sit regia illo-
rum, quib9 dominabit̄ Antichristus, tāquam Imperator Ro-
manorum. *Et dedit illi draco uirtutē suā.* Dabit nāq; Satanas
spiritualis draco Antichristo omnē potestatē ad seducēdum
duntaxat infirmiores, ꝑ signa & ꝓdigia mēdacia. Quid autē
ꝑ thronum intelligendum est, nisi potestas aeris tenebrarum
harum, quā ipse quoq; accepit, qui à gloria cœlesti cecidit?

Et uidi

D *Et uidi unum de capitibus eius tanquam occisum ad mortem, & plaga mortis eius curata est. Et admirata est uniuersa terra post bestiam. Et adorauerunt Draconem qui dederat potestatem bestiæ, & adorauerunt bestiam dicentes: Quis similis bestiæ? quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens magna & blasphemias: & data est ei potestas faciendi prælium menses quadraginta duos? Et aperuit os suum ad blasphemiam aduersus deum, ut blasphemaret nomen eius & tabernaculum eius & eos qui in cœlo habitant. Et*
E *datum est illi bellum facere cũ sanctis & uincere eos.*

Hoc vario modo accipi potest: aut enim ita intelligẽdum est, vt caput Satanæ gentes sint ab eo seductæ: Nam harum inductio ad diuinum cultum & pietatem, occisio ad mortem reputata est. Quòd autem non fuerit proprie occisio sed tãquam occisio, ipsa literæ series demõstrat, quæ non occisum, sed tanquam occisum dicit, vtendo etiam ὡς, id est tanquam, similitudinis particula. Ad hanc igitur conuersionem ad dei cognitionem, rursum succedens recursus ad primam impietatem, nominatus est cura plagæ. Aut hoc igitur modo dicti explicatio sumenda est: aut etiã isto modo: Caput tanquam occisum, siue quòd aliquis principum ipsius occisus fuerit, & eo quòd ipse diuiserit in multa principatum, per
F imposturam fraudulẽter resurgere videatur. Aut putari Romanorum periisse imperium in modum occisionis, eo quòd in multa diuisum fuerit: ipse tamen Antichristus qui id dissoluerat, existimauerit dissolutionem esse curam. *Et admirata est uniuersa terra post bestiam.* Hoc est stupore perculsa est: tanquam præeunte bestia per signa, ipsis verò per approbationem à tergo sequẽtibus. Vniuersa autem terra per metonymiæ figuram dictum est, qua à continenti contentum intelligitur. *Et adorauerunt draconem.* Miraculũ siue res prodigiosa quæ fiet ab Antichristo, relationem habebit ad diabolum qui per eum operabitur: nam Draco per illum adorabitur. *Et datum est ei os loquens magna & blasphemiam.* Bifariam hæc accipi possunt. aut enim hoc ineffabilis dei tolerantiæ

rantiæ est qui huiusmodi sustineat, gratia exercitij ac probationis affectus nostri erga ipsum: aut quod datum est ab hominibus qui seducti ipsum adoararunt. Magna autem loqui hoc est verba superbiæ plena proferre. A

Et data est illi potestas in omnem tribum & populum & linguam & gentem: & adorabunt eam omnes qui habitant in terra, quorum nomina non sunt scripta in libro uitæ agni qui occisus est ab origine mundi. Si quis habet aurem audiat. Si quis in captiuitatem ducit, in captiuitatē uadit. Si quis gladio occidit, oportet cū gladio occidi. Hic est patientia & fides sanctorum.

In præcedentibus dictum est quòd tempus aduentus Antichristi & fraudulentæ ipsius potestatis tribus annis & dimidio consumetur, nam hoc temporale spatium conficiunt menses quadraginta duo. *Et adorabunt eam omnes qui habitāt in terra.* Quum particula πᾶς, id est omnis trahat secū com prehensiuam intelligētiam, ne hoc etiam loco ita accipi intelligatur, vt Antichristus adorationem habeat vniuersi generis humani, signum tradidit eorum qui ipsum adorarent, illos dicens adorare, qui habitant in terra: quos etiam cecidisse canit Iesaias, Non cademus inquiens, sed cadēt qui habitant in terra, hoc est qui nullam cœlestium curam habent & eius quæ ibi est gloriæ, sed terrenæ habitationi & brutali iuxta eam vitæ se adaptant: ideo quoque frustrati sunt inscriptione libri vitæ. *Non sunt scripta in libro uitæ agni qui occisus est ab origine mundi.* Per hyperbaton hoc intelligēdum est, vt sit hic sensus. Quorum non sunt scripta nomina ab origine mundi in libro vitæ agni qui occisus est. Siquidē quorum scripta sunt, ab origine mundi scripta sunt: ita enim oportet intelligere, non vt scriptura habet, quia neque ab origine mundi facta est agni occisio. Quinam autem sunt, qui non adorarunt Draconem, quorum sunt scripta nomina in libro vitæ agni? Agè tales esse dicamus qualis erat Iob & quatuor ei⁹ amici, quique in veteri testamento propter pietatem matyrium tulerunt. Huius quoque libri Lucas ait: etiam dominum nostrum Iesum Christum fecisse mentionem, dum ait: Gaudete quòd nomina vestra scripta sint in cœlis. *Si* B Iesa.26 C Luc.10

quis

D *quis habet aurem audiat.* Si quis habet aurem transmittendo depromptam per verba intelligentiam ad mentē, audiat quę dicta sunt, & cognoscat quòd is qui promptus est ad ducendum alios in captiuitatem, accipiet debita suis factis pręmia: Nam hoc ostendere vult quod ait, Vadit, hoc est, laborem in seipsum ad vltionem reiicit, vt & ipse captiuus ducatur à Bestia, nullam nactus à deo refocillationem vt non abducatur. Hic conspici datur patientia eorum, qui per afflictiones piis dei cultoribus à Satana inductas fortissime trāsierunt, & sanctorum qui per fidem probati sunt, quia & ipsi per fidem egregie præstiterunt cuncta quæ laude digna sunt: si Paulo credendum est qui hæc ita latius epistola ad Hebræos enumerat.

E

CAPVT XXXVII.

De alia bestia habente duo cornua quæ homines ad priorem bestiam adducebat.



T uidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat duo cornua similia agno, & loquebatur sicut Draco: & potestatem primæ bestiæ omnem facit in conspectu eius: & faciebat terram & eos qui habitabāt in ea adorare bestiam primam, cuius curata fuerat plaga mortis. Et facit signa magna, & ignem ut de cœlo descendat in cō-
F *spectu hominum, & seducit meos qui habitāt in terra, propter signa quæ data sunt illi, ut faceret in conspectu bestiæ.*

Multis factis excursibus & ab his principatibus ascendens ad præcedentes principatus, qui nos præcesserunt, peruenit ad id quod intendebat, quod non aliud erat quàm enarrare quæ de aduentu Antichristi sunt: & vide quid de eo dicat, quòd videlicet ipse de terra ascendat, vnde omnes quoque homines oriuntur. Nam & ipse homo erit secundum opera-
1. Thes. 2 tionem Satanæ, sicut etiam sentit diuus Paulus. Cornua vero non agni sed similia agno, quoniam imaginatur ac fingit se benignum ac humanum esse sicut est Christ᷑, vt decipiat: propterea est similitudo cornuum siue gloriæ. Et sicut Draco loquitur,

eo loquitur, quũ nō sit Draco: neq; enim re ipsa est Satanas, A
sed potestatem exercens vt ille, hoc est successor efficitur po
testatis diaboli. In conspectu autem eius, id est imitando illũ,
in nullo differens à prioris nempe Satanæ aduentu vel præsentia. *Cuius curata est plaga mortis.* Quum dixisset quod potestatem primæ bestiæ omnem faceret in conspectu eius (primum autem omnium dixit Draconem rufum quem ostendit in cœlo descriptum esse in visione) ne quis ipsum nunc existimaret de illo loqui; quum ait quòd potestatem acceperit primæ bestiæ: non de illo, inquit, primo loquor, sed de illo qui post illum quidem fuit, sed tamen ante Antichristum, quem ostendit visio de mari ascendere pardo similem: huius enim plaga fuerat curata, iuxta id quod prius dictũ est. Nam signa & prodigia faciet iuxta operationem diaboli: signa au- B
tem erunt ignis demissio de cœlo, & alia quædam magna, adeo, vt sui magnitudine in stuporē & terrorem inducatur etiam fideles: hoc enim significat per id quod ait, *Et seducit meos.* Vt autē demōstret quos seducat Christi fidelium, indicium subiunxit horum, addens: Qui habitant in terra, non ponens distinctionē inter angelos & homines: quē enĩ possent angelorũ decipere, quibus naturalis puritas nullũ finit fieri impedimētum ad veritatis occultationē? sed illos ita terrebit, quorũ sensus nō humanus est sed terrenus. *In cōspectu hominũ.* Intuentium, inquit, oculos fascinādo, hæc faciet Antichristi pręcursor, vt existimetur Antichristus esse Christ^9, vt qui à tali miraculorum patratore testimonium accipiat & certam gloriā, ad imitationem Iohānis Baptistę, qui de Chri- C
sto saluatore ferebat testimonium, & ipsum præcedebat

Dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ quæ habuit plagam & uixit à gladio. Et datum est ipsi ut spiritum daret imagini bestiæ: ut etiã loquatur imago bestiæ: & faciat ut quicunque non adorauerint imaginem bestiæ occidantur. Et facit omnes paruos & magnos, & diuites ac pauperes, & liberos ac seruos, ut dent ipsis characteres in dextra manu sua aut super frontem suam, utq; nemo possit emere

aut

D *aut uendere nisi habeat characterem.*

Quoniã, inquit, insculpta est imago ipsi bestiæ, datum est vt spiritum quoque daret imagini, vt videlicet loqueretur imago. Hoc autem circa simulacra considerandum est, quòd multa eorum & sudare & loqui scripta sunt temporibus Græcorum, operatione diabolica. A communi autem intellectu accipiendum est ἵνα, id est vt, quo sit hic sensus: vt etiam loquatur, & vt faciat quòd quicunque non adorauerint imaginem bestiæ, hi etiam occidantur. Quòd autem statuæ, vt dictum est loquutæ sint, ex historiis discere licet: quum scriptum sit, per imposturas & arbores & aquas fuisse loquutas, per Apollonium aliosque artifices. *Et facit omnes paruos & magnos, &c.* Abstrusior est literæ contextus, ideoque absurdus. Vtrum enim dicit quòd parui & magni accipiant, an quòd dent? propterea per additionem præpositionis εἰς, id est, ad vel erga, corrigi poterit absurditas, & ad planiorem sensum hoc modo reduci: Et facit erga omnes paruos & magnos & reliquos qui sequuntur, vt dent ipsis characteres in dextra manu aut super frõtem. Hoc autem dicit ad indiciũ, quo possint aut non possint negotiari. *In dextra manu.* In dextra manu & in fronte ponitur signum cognitionis: bonis enim opponitur perniciosi nominis insculptura. In dextris quidem, vt bonorum operum amputet occasionem: in fronte vero, vt parte quæ oculis imminet assumpta, caliginem ac tenebras suffundat his qui seducuntur, ne honestè tanquam in die incedentes amplectantur pietatem. At non suscipient ipsum, qui facies habent signatas lumine diuini vultus.


NOTA.

E

F

CAPVT XXXVIII.

De nomine bestiæ.



Vt nomen bestiæ aut numerũ nominis eius. Hic sapiẽtia est. Qui habet intellectum cõputet numerũ bestiæ: numerus enim hominis est, & numerus eius sexcẽta sexaginta sex.

Quodnam sit cognitionis indicium subiungit, nempe nomen bestiæ. Duplex est autem huius intellectus, aut quòd inferatur ipsum nomen, aut quòd calculus siue numerus Et certe opera datur vt calculus nominis bestię vbiq; diffundatur, tam in

tam in emptionibus quàm in venditionibus: vt qui illum nō adferat, ob defectum rerum necessariarum moriatur. Porrò quòd nomen sit numerus hominis, hoc est familiare & non insuetum nec occultatum ac duplicem habens intellectum, sed consuetus calculus & inter homines cognitus. Numerus autem calculi nominis est sexcenta sexagintasex. Siquidem non produxit apertè in medium ipsum nomen, eo quòd ne mereretur quidem libro inscribi. Ideo non intempestiuum fuerit exercitij gratia huc reducere nomina tam propria quàm appellatiua quæ numerum hunc conficiant.† Propria quidem vt λαμπέτις, τειτὰν: & à futuro τεινῶ (sicut etiam à ἀστερῶ ἀστόρος) λατεῖνος similiter per diphthongum. Appellatiua verò ὁ νικητὴς, id est victor: fortassis enim ita seipsum appellabit, & κακὸς ὁδηγὸς, id est paru⁹ dux, vel ἀληθὴς βλαβερὸς, id est verè nocens, vel πάλαι βάσκανος. i. iam olim inuidus, aut ἀμνὸς ἄδικος. i. agnus nocens: quibus ex iis quę sibi cōtraria sunt cognominabitur, suā gloriā per ea quę infamia sunt colligens.* Exactam numeri notitiā, quemadmodum &c. quę de ipso scripta sunt, tempus & experientia reuelabunt his qui vigilauerint. Nā si expediret, vt volunt nōnulli doctores, huiusmodi apertè cognosci nomen, is vtique qui ipsum vidit reuelasset, sed non placuit diuinæ gratiæ, vt nomen pestiferi hominis in diuino libro referretur in ordinem: attamen exercitij gratia multa possunt inueniri nomina iuxta beatū Hippolytum aliosq; multos quæ hunc contineant numerum tam propria quàm appellatiua.

A B

† Pro his aiaduertēdus est modus quo Græci ex literis siue elementis suū nūerū cōficiunt, ut ex singulorū horū noīm collectis literis semper resultantē uideas numerū .666.

*Ex monumētis Andreę.

CAPVT XXXIX.

C

De centum quadragintaquatuor millibus qui cum agno stabant in monte Sion.



T uidi & ecce agnus stabat in monte Sion, & cum eo numerus centū quadragintaquatuor millium habentium nomen eius & nomen patris eius scriptum in frōtibus suis. Et *audiui uocem de cœlo tanquam uocem aquarum multarum, & tanquam uocem tonitrui magni: & uox quam audiui ueluti citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Et *canunt quasi canticum nouum ante*

D *thronũ & ante quatuor animalia & seniores.* **Et ne-** *mo poterat discere canticũ illud nisi illa cẽtum quadra-* *gintaquatuor millia qui empti sunt de terra.*

In monte Sion. Non in veteri Sion, quia neq; hæc obtẽperabat agno qui est Christus, sed in noua quę est ciuitas dei viuentis quam nunc dicitur agnus ascendisse, manifestante visione conuersionem Israel quæ fiet postremis temporibus,
Roma.11. quam & diuus innuit Paulus, dum ait: Quum plenitudo Gẽtium intrauerit, tunc omñis Israel saluus erit, in Christi videlicet redactus famulitium. *Et cum eo numerus centũ quadraginta quatuor millium.* Numerus horum millium, non illorum est de quibus prædictum est quòd ex vnaquaque tribu cre-
E diderunt in Christum: nam si id fuisset, cùm articulo protulisset dicens, Horum centum quadragintaquatuor millium: quoniam autem sine articulo protulit, reliquum est vt intelligatur hos dixisse qui ex Gentibus crediderunt: dum gratia diuini seminis quæ in vnoquoque fuit Apostolorum, duodecies operata sit in millecuplo fructum perfectum fidei eorum qui salui fiunt: quibus attestatur quòd virginitatem præstiterint quæ apud Hebræos rara fuit. Quòd autem habeant nomen patris eius & nomen eius scriptum in frontibus, significat quòd diuina luce ipsius diuini vultus obsignentur, per quod æmulis in hoc & perniciosis dæmonibus terrori sunt. *Tanquam uocem aquarum multarum & tanquam uocem tonitrui magni.* Aquarum & tonitrui ac citharæ vox,
F significat claritatem auditui perniam hymnidici, canori, suauis ac consoni sanctorum cantus, qui vniuersam complectitur primogenitorum in cœlis descriptorum ecclesiam cœtumque publicum, à quibus laude celebratur primogenita vocatio. Ego autem opinor quòd ne audire quidem possit quispiam noui cantus mysteria, nisi hi qui ea canere digni sunt. Cuique enim datur cognitio iuxta puritatis proportionem.

Hi *sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati:* *uirgines enim sunt.* **Hi** *sunt qui sequuntur agnum quocunque ierit.* **Hi** *à Iesu empti sunt ex hominibus, primitiæ deo & agno, & in ore ipsorum non est inuen-*

tum men-

tum mendacium. Sine macula enim sunt. Hi *sunt qui se-quuntur agnum.* A

Non hæc in vituperiũ matrimonij dicuntur. Siquidem ho norabile est connubium : nec indignum redditur coniugium, eo quòd virginitas dignã suscipiat laudem. Sed quoniam stella à stella differt in gloria, hos præcellere cæteros existimamus post vigintiquatuor seniores, propter virginitatem & tam linguę quàm manuũ innocentiam, splendoremq; virtutum, quem post Christi aduentum nacti sunt: per quem etiã nouum docẽtur canticum, quod vulgo incognitũ est: non in præsenti tãtum vita sed etiam in futuro seculo. Quanquã enim perfecta sit ibi cognitio iuxta Apostolũ, vnicuiq; tamen rependitur cognitio iuxta puritatis cuiusque proportionem. Heb.13 NOTA. 1.Cor.13 B

Hi sunt qui sequuntur agnum. Non est id ostendentis agni discrimen aut ipsius excellentiam, sed præstantiam ad virtutem significãtis eorum qui huius cantus disciplinam adepti sunt : quidam enim animæ simplicitate & innocẽtia aliis subiecti, idonei facti sunt qui agnum sequantur: alij vero robusti* affecti & determinato proposito imbuti, Christo iam facto viro oblati sunt, sumpto vincendi robore, tum aduersus affectiones, tum aduersus tyrannos: qui etiam dum imitantur, illi quidem Christi præceptoris innocentiam, hi autem quod agni est, puta proprij sanguinis effusionem pro suo magistro, ita ipsius possessionem sortiuntur. Quemadmodum autem variæ sunt gloriæ mansiones, ita & supplicij: ideo quoque dictũ est, quòd vnusquisque suã accipiet mercedem iuxta suum laborem. Iohan.14 1.Cor.3 C

CAPVT XL.

De angelo qui denuntiabat propinquum esse futurum iudicium.

ET uidi angelum uolantem per medium cœli habentem euangelium æternum, ut euãgelizaret habitantibus in terra, & omni genti & tribui & linguæ & populo, dicens uoce magna : Timete dominum & date ipsi gloriam, quia uenit hora iudicij eius. Et adorate ipsum qui fecit cœlum & terram & mare & fontes aquarum.

D Quod dicitur Cœli medium, duplicem secum adfert intellectum. Etenim celsitudinem ac sublimitatem deuotat: & quòd sit à cœlo tam id quod ab eo annuntiatur quàm ipse qui à deo missus est: præterea quòd iā immineat iudicij tēpus expectatum à seculo. Et quāquam id salutare sit his qui ex omni gente operati sunt ea quæ deo placent, terrorem tamen adfert dæmonibus ac peccatoribus. Vtrunque autem insinuauit: bonis quidem per magnitudinē, ꝙ desiderabilis sit iusti iudicis aduentus,& ꝙ constituet eos coram illo propter quem in hac flagitiosa & laboriosa vita certare eis contigit cum his qui repugnant iussis eius; dæmonibus vero & hominibus qui ab ipsis terrefacti sunt & illusi, timorem non ad cautionem ac firmitatem,sed propter expectationem re-

E pensionis operum quæ fecerunt. Ideo quoque Propheta di-

Malac.3. cit: Ecce dominus veniet, & quis sustinebit diem ingressus ipsius? *Et adorate ipsum.* Merito quidem ipsum adorare iubet tanquam creatorem cœlestium, terrestrium ac subterraneorum. Siquidem per cœlum, terram ac mare, significatur visibilis creatura: per fontes vero,subterranea: incertum est enim vnde sit fontium progressus, quemadmodū etiam eorum quæ sub terra sunt. Quod si huic tanquam istorum autori merito debetur ministerialis subiectio, iustè etiam exitiali diabolo debetur ignominia & contemptus.

CAPVT XLI.

De secundo angelo casum Babylonis prædicante.

F ET *alius ac secundus angelus sequutus est dicens: Cecidit cecidit Babylon ciuitas magna, quia de uino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.*

Secundus, non absolute & simpliciter dictus est: sed ad designandum quòd quum prior incœpisset comminari supplicia, alius accedit angelus qui ipsas calamitates confirmet, Nam hoc manifestat quòd dicitur sequutus fuisse. Post euentum enim eorum quæ annuntiata sunt, nihil aliud desiderabatur, quàm ꝙ non omnis cōfusio vitæ præsentis † per casum designata erat. Nam quid aliud demonstrat casus? quemadmodum neq; Babylon aliud designat quàm cōfusionem. Et quæ dicitur Babylon? non alia quàm hic corruptibilis mundus:

† *aut, casui subiecta, Græcè* πτώσει ὑποβληθῆναι.

dus: quod videlicet hæc Babylon non aliunde ceciderit, quàm A
ex eo statu quo alios corrumpebat. Fornicationem vero non solum appellat scriptura masculi cum fœmina impudicum concubitum, sed & omnem à bono declinationem: si verum est quod scribitur, Perdidisti omnem qui fornicatur abs te. *Psal. 72.*
Quodq; nomine Babylonis mundus trāsumptiuè significatus sit, designat dictio Magna, quæ subiungitur. Neq; enim ponitur ad distinctionem paruæ, sed ad docendum quid sit. Quòd si ad Babylonem quæ in Chaldæa est referre voluerit quispiam sermonem, nihil referet si tam multa quæ competunt mundo, ad illius imitationem vano effecto, illam ipsam principalem designent, si ad caussam quicquid in illo contigit referatur.

CAPVT XLII. B

De tertio angelo muniente populum domini ne susciperet Antichristum.

ET tertius angelus sequutus est eos dicens uoce magna: Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua, ipse quoque bibet de uino iræ dei, quod mixtum est mero in cratere iræ ipsius: & cruciabitur igne & sulphure corā sanctis angelis & coram agno: & fumus tormenti eius in secula seculorum ascendet. Et non habent requiem die ac nocte qui adorant bestiam & imaginem eius, & quicunque accipit characterem nominis eius. C

Sequi dixit, quasi significare volens continuitatem & ineuitabilitatem ac seueritatem. Magna autem vox immissum terrorem designat, & quòd ea quæ significantur omnem penetrent auditum. Bestiam vero adorare & eius signum accipere, est existimare Antichristum esse deum, verbóque & opere quæ huic grata sunt commemorare ac prædicare. Nam hoc significat character in fronte & in manu: frōte assumpto pro sermone, & manu pro opere. Imaginem autē vocat impiam cōuersationem. Porrò vinum dixit iram, non ob lætitiam quam immittit, sed ob capitis vertiginem ac veluti

D furorem.huiusmodi enim eſt ira quę dicitur θυμός. Mixtum vero eſſe, hoc eſt diffuſum & augmentatum. ita autem dictum eſt, eo quòd apud veteres vtraq; erant pocula. Demum vinum iræ ſiue furoris dictum eſt, quemadmodum etiam vinum lætificans. Sicut enim vinum quod lætificat, obliuionē immittit rerum moleſtarum, ita & nunc vinum iræ vel furoris dictum eſt ſupplicium quod ſubſequitur. *Quod mixtum eſt mero in cratere iræ.* Merum furoris adfabre comparauit vino mero quod in calice mixtum eſt. Siquidem vinum merum facilius inebriare poteſt quàm mixtum: quoniam in futuro quoque ſeculo retributiones eorū quæ in hac vita peracta ſunt, puræ erunt, & non commixtæ cum oppoſita miſericordia aut continua bonorum operum memoria: quoniam

Pſal.103.

E futura quoque vita vera erit, & expians ab omni ſimulatione & fuco. Verum ſi talis eſt, quomodo dicitur vinum mixtum in cratere? Manifeſtum eſt igitur quòd τὸ κεκερᾶσθαι, id eſt mixtum eſſe non ſignificat temperaturā aliquam ſed additionem, vt ſit iſte ſenſus: Quod mixtum eſt, id eſt appoſitum in cratere iræ, propter quod congrue ad iram ſequitur tormentum ignis & ſulphuris, quæ ambo ardentiſſime exurunt: quum ignis quidem natus ſit inflammare, ſulphur autem continue ad ardorem excitare ſoleat. Porrò quod dicitur Coram ſanctis angelis & agno, hoc ſignificare vult: per angelos quidem implacabilitatem ad cruciatum, per agnum vero quòd reminiſcentiam ſecum adferat ſuæ cædis pro ſalute hominum, quòd ipſe illos diligendo, per ignem ſeipſum

F tradiderit, illi vero à propria perditione liberari noluerint. Porrò tormenti fumum tanquam nebulam dixit aſcendere: hoc eſt, aut manifeſtationem ad omnes quòd ſupplicium igne perficiatur, aut eorum qui puniuntur eiulatum: nō ad breue tempus, ſed perpetuo.

Hic patientia ſanctorum eſt: cuſtodientes præcepta dei & fidem Ieſu. Et audiui uocem de cœlo dicentem: Scribe. Beati mortui qui in domino moriuntur amodo: profecto dicit ſpiritus † ut requieſcant à laboribus ſuis, ſed opera illorum ſequuntur ipſos.

Quāquam in noſtro exemplari non habet

Hoc, inquit, Antichriſti tempore oſtenditur patiētia ſanctorum.

ctorum. Deinde tanquam ab interrogatione sermo effiguratus est: Et quinam sunt inquit quos dicis sanctos patictes? deinde veluti respondens, Custodientes, ait, præcepta dei & fidem Iesu. Hi namque præsentibus quoque afflictionibus ac morte intentata, postponent vniuersa amori dei ac fidei Iesu. Non hoc autem dixit quòd diuidat ac separet fidem in deũ à fide domini Iesu, sed suo sermone, modo magis introductorio procedens, ita progreditur. In solis namque Iudæis religiosa diuini numinis opinio conspici dabatur, quæ à multis vanisque diis ad vnum deum redigebat dei cultum: Christus vero eo quòd homo visus esset & appellatus, apud multos nondum videbatur diuinæ naturæ supersubstantialis esse thesaurus: propterea inter dei pręcepta magis discernens, Iesu fidem substituit. Potest tamen dici quòd hinc diuina de Christo opinio roboratur. Nam si fides Iesu comitatur dei præcepta, quid necesse est tanquam diuinis præceptis aduersantia tollere Iesu præcepta, quum ex hoc robur præceptorum magis concilietur? propter quæ ita contempta, non putauit indignum suscipere vilem & abiectam hominis naturam, vt per seipsum ostenderet, quòd quum humana natura nõ posset ad opus deducere præcepta, seipsum huic vniuit incarnatus. *Beati mortui qui in domino moriuntur.* Vox de cœlo non omnes mortuos prædicat esse beatos, sed eos qui in domino moriuntur, qui mundo mortui sunt, & mortificationem domini Iesu in corpore circunferunt. Vere enim exitus à corpore illis etiam requies est, quæ à laboribus eximit. *Profecto dicit spiritus.* Literæ ordinatio ita habetur. Spiritus dicit: Scribe amodo, tanquam attrahens eos qui certant, promissione quòd cessabũt quæ ipsis laboriosa sunt, & assequentur bona in quibus conquiescant: simul enim vt sublati fuerint è medio labores, inducetur operũ retributio.

A retur hæc uerba ἵνα ἀναπαύσωνται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν, τὰ δὲ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ B μετ' αὐτῶν .i. Vt requiescãt à laboribus suis, sed opera illorũ sequũtur ipsos: arbitramur tamẽ typographorũ oscitãtia C omissum, quũ & in aliis Græcis exẽplaribus & in Cõplutẽsi habeatur, & in his quoque scholiis nonnulla horum uerborum

CAPVT XLIII.

Quòd is qui sedebat in nube demetebat falce quæ ex terra germinabant.



ET *uidi & ecce nubes candida & super nubem sedens similis filio hominis, habens in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius angelus exiuit de*

mētio fieri uideatur. ipsa itaque suo loco restituimus.

Iesa. 19.

D *templo clamans uoce magna sedenti in nube: Mitte falcem tuam & mete, quia uenit tempus metendi, quia aruit meßis terræ. Et misit is qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demessa est terra.*

Nubem interpretati sunt sancti patres Mariā semper virginem, iuxta id quod ab Iesaia dictum est, Ecce sedet dominus in nube leui & veniet in Aegyptum: de terra quidem veluti euaporantem, hoc est à terrena crassitie egredientē, sed leuitate contexta virtutibus in cœlum currentibus, quæ ipsi attribuitur, eo quod per ipsam dei filius fœlici fato no-
E bis præsens fuerit. Aut nubem intellige virtutem quandam angelicam, propter * puritatem & sublimitatē angelicæ naturæ, vnde etiam candida esse dicitur. *Habens in capite suo coronam auream.* Corona designat dominum Iesum regem. Nā Christus rex est & intelligibilium & sensibilium. Auream vero dicit coronam, ex his quæ apud nos sunt in pretio designans quod gloriosum est. Porrò quod falcem in manu haberet, designat in potestate ipsius sitam esse huius seculi cōsummationem, per iram aut velocitatem accessus & impetus ipsius. *Et alius angelus exiuit clamans.* Quare exiuit hic angelus clamans? Periphrasticōs per hæc significatur supplicatio cœlestium virtutum, cupientium honorem iustorum, vt qui ipsas imitati sunt in vita sua tēporali, & recusantium intue-
F ri vltionem illorum qui modo ipsis contrario vixerunt: ideo festinant vt cessent quæ mouentur ac immutantur, & appareant quæ immobilia sunt ac immutabilia. *Quia aruit messis terræ.* Aruisse messem non aliud significat quàm imminere tempus consummationis, quando maturum hominum semē in modum maturi tritici: hoc quidem pietate enatum ac collectum fuerit, vt in diuinis horreis reponatur: illud autem siluescens ac degenerans, & nihil triticeum ac nutritiuū diuinoque semine dignum referens, vt in ignem perpetuum coniiciatur.

* habuit quidē nostrū exēplar κο-ρίνθιον: omnino tamen arbitramur legendū κε-ρίκιον quod iuxta Iulium Pollucē idē significat quod παρ-θενικὸν. i. puritas.

CAPVT XLIIII.

De alio angelo qui uindemiabat uineam amaritudinis.

Et alius


T alius angelus exiuit de tẽplo quod erat in cœlo, habens & ipse falcem acutam. Et alius angelus exiuit de altari habens potestatem super ignẽ: & clamauit clamore magno ad eum qui habebat falcem acutam dicens: Mitte falcem tuam acutam, & uindemia botros uineæ terræ, quoniam matura est uua terræ. Et misit angelus falcem suam in terram, & uindemiauit uineã terræ: misitq; in torcular iræ dei magnum. Et calcatum est torcular extra ciuitatem: & exiuit sanguis de torculari usque ad frena equorum per stadia mille sexcenta. A B

Non frustra ponitur signum quo missus angelus cognoscatur, quod videlicet à cœlesti templo missus sit, quum de nullo ante hunc tale quid fuerit designatum, sed solus de tẽplo missus est. Hic autem etiam assumptus est locus in quo erat templum. Dicimus ergo quod quoniam varij cultus omnipotenti deo exhibẽtur ab incorporeis suis ministris: quorum hi sane præsidentiam acceperunt altarium quæ in terra sunt, vnde his qui in terra degunt diuinus cultus annuntiatus est: quod sane fuit ab Abrahã & Mose vsque ad Christi aduentum, & in ipso protenditur vsque ad huius seculi consummationem: merito in illo nullius talis facta est mentio, nisi quis in illo quoque cognitionis indicium esse duceret agni mentionem, propter cuius in terra præsentiam fuit & angelorum ad homines oraculum, & diuinorum virorum prænuntiatio de aduentu ipsius in terra. Vt ergo manifesti fiat quod non in terra solum, verumetiam in cœlo cultus offeruntur omnipotẽti deo, necessario in hoc angelo facta est mentio etiam loci præsidentiæ ipsius. Falce autem acuta hũc quoque dicit esse armatum, breui fore designans exitum. C

Habens potestatẽ super ignem. Hunc intellige ordinatũ esse super punitionem impiorum. Ex quo discimus quod vniuersis creaturis præsident angelicæ virtutes, nempe aquæ, aeri & aliis quibusdam partibus vniuersi: hunc autem punitiuo igni præsidentem, quum etiam de superioribus esset, cum clamore adhortari dicit illum qui falcem habebat. *Et uindemia*

D *demia botros uineæ terræ.* Vindemia vuarum designat eos qui
Psal. 10. valde mali sunt, à quibus calix in manu domini inebriatur, hoc est impletur, non ebrietate quæ est ad lætitiam, sed ad supplicium: Vnde etiam bibere dicit omnes peccatores terræ. Quodque hoc depingere velit visio, ex eo manifestum est, quod neque dominus ipse dignatur collectionem facere, quemadmodum de prioribus: neq; vnum mittit ad horrea & aliud ad ignem perpetuum: sed vnus quispiam ex angelis exequi dicitur, qui etiam ob excessum improbitatis ipsorum, in lacum iræ dei protinus iniicit: neque responsione dignos iudicans neque interrogatione. *Et misit angelus*
E *falcem suam in terram.* In terram falx mittitur quæ ab angelo gestatur: & hoc est facere messem punitiuam illorum qui terrenis inuoluuntur, & more pecorum lutulenta sorbent opera. *Et uindemiauit uineam terræ.* Ex aduerso ponitur hæc vinea ei quam dei progenitor ex Aegypto sublimatam vi-
Psal. 79. derat. Hic enim vineam, quæ impietate gauisa fuerat, vniuersosque qui eam præcesserant impios obscurauerat, atque adeo eos quoque qui ab ipso perditionis filio Antichristo illusi fuerant, absque vlla misericordia metere iubetur angelus, & seuere facta est aggressio. *Misitq; in torcular iræ dei.* Humana magis ratione procedit, excessum ad impietatem volens ostendere hominum illius temporis. Quæ enim fi-
F des est quæ beatam ac incommutabilem naturam affectibus capi concedat? Porrò quod extra ciuitatem calcati sint botri, ciuitatem vocat conuersationem negotiis deditam, quæ in hac vita agitur: & quoniam post huius consummationem reuera datur retributio hominib⁹ de his quę negotiati sunt, conuenienti ratione dixit, Extra ciuitatem. Dicendo autem quod de torculari per conculcationem botrorum sanguis defluat, botros relinquit intelligendos esse peccatores. Ideo quoque sanguinem ad prauas impiorum actiones tropologicè conuertit, inflicta propter ipsas omnibus iusta manifestaque vltione: & ita iusta, vt qui neque supernis angelis obtemperauerint qui constituti erant vt illorum curam haberent, qui suis auxiliis veluti quibusdam frenis prohibebant homines ab actionibus deo inuisis. At illi tanto furore perciti fuerunt, vt non modo naturales considerationes ad bonorum acquisitionem à conditore sibi traditas contempserint,

pserint, sed & eas quæ à diuinis suggerebantur angelis. Itaque quum aduersus diuinos etiam auxiliatores ostensa fuerit effrenis ipsorum petulantia, † ex maiori nunc accedente criminum cumulo, omnibus conspicuum flagellum ex horum inobedientia constituitur. A

† ἐκ πολλῷ νῦν τοῦ περιόντος πρόφαντος ἅπασιν ἡ τοῦ τῶν ἐξ ἀπειθείας μάστιξ καθίσταται.

CAPVT QVADRAGESIMVMQVINTVM.

De septem angelis qui in homines plagas inducebant ante consummationem, & de mari uitreo in quo sanctos conspexerat.

B Cap. XV

*ET uidi aliud signum in cœlo*magnum & admirabile: angelos septem habentes septem plagas nouißimas, quia in ipsis cōpletur ira dei. Et uidi tāquam mare uitreum commixtum igni, & eos qui uictoriam reportauerunt de bestia, & de imagine ipsius, & de charactere ipsius, & de numero nominis ipsius, stātes super mare uitreum, habentes citharas dei, & canentes cāticum Mosi serui dei, & canticum agni, dicentes: Magna & admirāda sunt opera tua domine deus omnipotens: iustæ ac ueræ sunt uiæ tuæ rex gentium. Quis non timebit te domine & glorificabit nomen tuum? quia solus sanctus es, quoniam gentes omnino uenient & adorabunt coram te, quoniam iudicia tua manifesta sunt.*

** Manifestum est librarii aut typographi negligentia factum fuisse ut in nostro Græco exemplari deesset C μέγα καὶ θαυμαστὸν i. magnum & admirādū, quū ab huius particulæ declaratione statim exordiū sumat cōmenta-*

An non magnum est quod vniuersalem designat subuersionem? an nō admirandum est mundum esse consummandum ab angelis qui eodem sunt numero cum diebus hebdomadæ à quibus habuit initium, & in eundem finire numerū cum angelis qui id muneris sortiti sunt vt ipsum perdant, & ad perdendum habent plagas? Septem autem plagæ sunt mare, vitrum, ignis, imago, bestia, character ipsius & numerus nominis ipsius. Hæ quidē plagæ sunt quibus completur ira dei: extremæ vero, vt qui has deuicerit nullū sit ipsi reliquū certamen.

rius: & Dillud habeant nõ modo uulgata Græca exemplaria sed & Cõplutensis editio: quare non temere illud suo loco restituimus.

certamen. Qui enim omnem huius vitæ instabilitatem quæ sua salsugine in multis exiccare solet omne refrigerium, tolerando vicerint: quique dum mundus id nactus est vt nominis ipsorum celebritatem in modum vitri conterat, in nullo peiores efficiuntur: non sibi asciscentes vim exurendi ignis, sed illuminandi: cum imagine bestiæ, aut bestia ipsa, aut charactere aut numero nominis ipsius non infœliciter luctantes sed viriliter deuincentes: hi tunc super mare vitreum stantes signum gestantes suæ in vita mortificationis, quoad voluptatum quæ in ea sunt inutilitatem ac confractionem: canunt quæcunque æquum est canere victores huiusmodi aduersariorum. *Habentes septem plagas nouissimas.* Quod ait Septem non est intelligendum quòd numero fuerint septenario, sed capitur pro multas: itaque multa designat esse aduersus peccatores supplicia, quibus finem accipit ira dei, quæ etiam postrema esse dicta sunt. Porrò quum dei audis iram seu furorem, ne concipias diuinum numen subiectum esse affectibus: sed quoniam alio modo designare non potuit excessum facinorum peccatorum, ex improbitate ac impudicitia procedentium, quæ vel immobilem ad affectus naturam possent mouere, humano more loquutus est. Mare autem vitreum non aliud significare putetur, quàm per mare quidē multitudinem, per vitrum vero splendorem ac puritatem eorum qui ibi digni fuerint beata vita. *Habentes citharas dei & cantentes canticum Mosi.* Dicens citharas, membrorum quæ in terra sunt mortificationem designat. Porrò ipsas ait esse dei, eo quod nullus quantumuis sedulus homo & industrius id præstaret, diuino destitutus auxilio. Cæterum Moysi serui dei canticum illud verisimile est omnes intelligere quod cecinit ob demersionem Pharaonis regis AEgyptiorum. Canticum itaque victorum ante legem & sub lege, ex his concipitur quæ per Mosen iussu dei peracta sunt, vt dictum est: agni vero canticum quod est aliud nisi quod ab eo qui respōsa dat compositum est? quod etiam canent hi qui à Christo & post Christum decenter conuersantes assiduè in gratia magnificentiam annuntiant agno siue domino Iesu Christo. ob dispensatum nobis salutari modo omnipotentē iustum ac verum ducatum: quę tanquam rex & basis misericordiæ, per Apostolos suos operatus est erga suam creaturam.

E

F

Exod. 15.

Et post

Et post hæc uidi & apertum est templum tabernaculi testimonij in cœlo: & egressi sunt septē angeli habentes septem plagas: qui erant uestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis. Et unum ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ dei uiuentis in secula seculorum. Et impletum est templum fumo à maiestate dei & potentia ipsius: nullúsque poterat ingredi templum donec complerentur septem phialæ septem angelorum. A

Tabernaculum hoc loco dicit quod est in cœlis, ad cuius B
similitudinem Mosi præcipitur vt componat inferius tabernaculum. Vide inquit omnia facias iuxta exemplar quod tibi in monte monstratum est. Ex hoc cœlo aperto egressuros dicit angelos. Nam ante Christi humilem ad nos aduentum cognitio eorum quæ imminent obscura erat, nec satis ab hominibus considerabatur: ideoque ad efficaciorem horum fidem in passione domini velum etiam terreni templi scissum est à summo vsque ad imum, hoc indicando, quòd diuina mysteria quæ à mundi constitutione per occultationem complicata erāt, ex eo tempore manifesta & omnibus obuia sunt exhibita, non vni genti recondita, sed omnibus gētibus expassa. Tabernaculum vero testimonij, non quomodocunque dictum est aut casu, sed quia inde dabat deus responsa legalibus sacerdotibus, explicando quæ facienda essent & quæ non facienda, cum exacta & certissima præceptione, non à legali testimonio, sed archetypo & humano. *Qui erant uestiti lino mundo.* Lino ait sanctos fuisse vestitos, eo quòd nihil animale alliceret eos ad affectiones quæ vitæ candorem natæ sunt obscurare. Iidem quoque zonis aureis præcincti sunt circa pectora, nempe concupiscibilem corporis partem, circa quam sedem habet cor quod initium concupiscendi retinet, hanc videlicet partem non habentes remissam, & nullo temperatius cingulo coercitam, sed pudica maxime & pretiosa veste sphinctere refrenatā: huiusmodi enim est & aurum, inter materias terrenas maximo studio affectatū, & magis

Exo.25. Mar.15. C

D gis in pretio habitum apud homines. *Septem phialas aureas plenas iracundiae dei.* Recte dicit phialas aureas impletas esse ira dei:nam pretiosa est ira quae bonum ac vtile magis adfert quàm iustitiā,quanuis mœrore afficiantur hi qui puniūtur. Dei autem ira nō ex affectione est,quemadmodum frequenter diximus. Iustus autem est,quia etiam affectu carens est is,à quo procedit.hinc enim viuens quoque dictus est.ad distinctionem deorum mortuorum & affectibus deditorum qui apud gentes erant. *Et impletum est templum fumo.* Fumus diuinae irae signum est, iuxta illud etiam quod dictum est.
Psal. 17. Ascendit fumus in ira eius. Neque enim fumus absque igne producitur,neque ignis absque fumo. Quòd autem fumum dicit fieri à gloria dei & à potentia ipsius,non vulgarem ha-
E bet intelligentiam. Non enim est differentia inter deum & suam potentiam : ipse namque deus sua est potentia suaque gloria. *Porrò quod dicitur, Nullus poterat ingredi templū.* aut intelligi debet iuxta id quod scriptum est:vt sit sensus,quòd nullus sit perfectus coram deo:nam si talis esset,nullo modo ipsius iram pateretur. Aut quòd sancti nullo modo acquirēt quietem supernae Ierusalem & sanctimoniam quae in illo tēplo est,prius quàm hi qui digni sunt sortiātur testimonij prę mia. Qui vero septem plagas his aptauerit qui in mundi con summatione inuenientur, nequaquam à recto ac decenti aberrauerit.

CAPVT XLVI.

Quòd effusa prima phiala fiat ulcus aduersus apostatas qui à deo defecerunt ad Antichristum.

CAP. XVI. F

E *T audiui uocem magnam dicentem septem angelis: Ite & effundite septem phialas plenas iracundiae dei in terram. Et abiit primus & effudit phialam suam in terram. & factum est ulcus malū ac noxium in homines qui habebant characterem bestiae,& qui adorabant imaginem eius.*

Magnam vocem non quo ad sonum, quem enim sensum pones in his qui nihil opus habent sensu?sed magnam,ob intolerabilem propemodum miseriam eorum qui puniuntur. Porrò vocem dicere, sumptum est pro significare. *Effudit*

phialam

phialam suam in terram. Phiala hoc loco sicut & calix intelligenda est vis punitiua, qua effusa vlcus, inquit, noxium successit, allegorice designando cruciatum in corde ardentem. Porro effusam esse in terram, accusat illos qui terrenorum vanitate trahutur. Ideo quoque ad maiorem manifestationem subiungit, quòd super prauos homines. Sed quinam erunt illi praui? Qui vel characterem gestant bestiæ vel adorant imaginem eius: eo quòd discesserint à deo viuente, & ad Antichristum confluxerint. Porrò imaginem bestiæ.i.diaboli, dicit Antichristum. A

CAPVT XLVII.

Plaga secunda aduersus ea quæ obiurgantur in mari.

ET secundus angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima uiuens mortua est in mari. B

Mare autē præsentis seculi instabilitatem significare vult, eo quòd tunc gens bellicè insurget in gentem. Vnde si mare præliis naualibus, & terra & flumina eorum qui occiduntur sanguine rubescant, nihil mirum est. Siue quòd diuina virtute à sanctis prophetis Enoch & Elia fiet tunc fortassis mutatio aquarum in sanguinem, ad redargutionem eorum qui seducti fuerint: quemadmodum in AEgypto sub Mose conuersa sunt flumina: quod etiā magis consequi tribuit id quod subiungitur, nempe sanguis non mortui, sed tanquam mortui, quòd particula ὡς.i.tanquam, non rei efficaciam, sed similitudinem in vniuersum designet: ita vt ea coniectura non longe aberret à scopo. Mortui vero, hoc est iugulati. Exod. 7. C

CAPVT XLVIII.

Quòd per tertiam plagam mutentur flumina in sanguinem.

ET tertius effudit phialam suam in flumina & in fontes aquarum, & factus est sanguis. Et audiui angelum aquarum dicentem: Iustus es tu qui es & qui eras sanctus, quòd hæc iudicaueris: quoniam sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt, & sanguinem ipsis dedisti ut biberent

D *berent, quia digni sunt. Et audiui alium de altari di-centem: Profectò domine deus omnipotēs uera & iusta sunt iudicia tua.*

Hinc quoque ostenditur angelos præesse elementis, quorum vnum dicit in aquis laudare deum ob transgressorum dignam vltionem, qui manus suas coinquinarunt sanguine sanctorum: etiam antea sanè, sed maxime tunc tempore Antichristi: propter quod ob vehementem sanguinis sitim ipsos †Audētes vocauit.* Nam corruptis fluminibus ac fontium scaturigine, quomodo aliunde possent sitim curare? *Et audiui angelum aquarum.* Non gentibus tantum præfectæ sunt diuinę virtutes iuxta legislatorē Mosen, sed & mūdi elemētis, quemadmodū hæc reuelatio diuinitus nos docet. Porrò inter ea quæ dixit angelus qui in aquis erat, Iust*dicit deus, ꝙ mercedem condignā designet: Qui es, ꝙ fine careat: Qui eras, quòd initio: Sāctus, quòd sublatus ab eo sit omnis mortalis affectus: ideo etiam hæc iudicauit, vt qui sanguinem sanctorum effuderant, sanguinem biberent. Sanctorum vero, qui videlicet afflicti fuerāt ab Antichristi propugnatoribus: prophetarum autem, nempe Enoch & Eliæ, quandoquidem illos quoque occident. Quomodo vero sanguinem bibent? Quoniam necessitate compulsi qui tempore belli circa flumina committunt prælium, frequenter fœdatam sanguine aquam bibunt, ex eorum qui moriuntur interemptione. *Et*
F *audiui alium de altari.* Conformia loquitur hic de altari cum eo qui erat in aquis. Hic autem potest & ipse Christus intelligi, quòd etiam in ipso & per ipsum offerantur deo & patri rationalia holocausta & viuæ hostiæ, quas ex Apostolo offerre didicimus. Possunt quoque angelicæ virtutes intelligi, vt quæ nostras orationes ac spiritualia sacrificia in sublime ferant. Dictum est autem Altare, per figuram quæ à continenti comprehendat contentum. Ab hoc igitur rationali & ministeriali altari factam ait fuisse vocem quæ iustificaret iudicia, vt quæ omnem rationem ac mentem excedant.

†τοὺς τολμῶντας.

*Mutilū indubie erat hic nostrū exēplar.

Deut. 32.

Roma. 12.

CAPVT XLIX.

Quòd per quartam plagam æstu exurantur homines.

Et quar-

E T *quartus effudit phialam suam in solem: & datum est illi æstu affligere homines per ignem. Et æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt homines nomen dei qui habet potestatem super has plagas, neque resipuerunt ut darent ipsi gloriam.* A

Vtróuis modo quis hæc accipiat: aut sensu allegorico, aut quod re vera contingant, sensum habebit semper non dissonum à veritate. Siue enim solem existimet diurnũ esse cursum, quo molestiæ & anxietates comprehendent quotidie lasciuè ac improbè degẽtes vt cõuertantur: siue etiam quòd idem sol siccitate & anxietate ac desperatione molestiarum, B
quales in bello solent cõtingere, suo ardore efficacius æstuare faciet: quòd & ipse cruciet, suggerens illis conuersionem: nihil erit differẽtiæ, dum ex vtraque interpretatione in vno & eodem intelligentiæ receptaculo sedes figatur. *Qui habet potestatem super has plagas.* ἐξουσίαν (quod nos cum cæteris interpretibus vertimus potestatem) vocat domini aduentum, qui ad hoc præstabit suum secundum aduentum, vt reddat vnicuique iuxta opera sua.

CAPVT L.

Quòd per quintam plagam regnum bestiæ obscuretur.

E T *quintus effudit phialam suam super thronum bestiæ: & obscuratum est regnũ eius:* C
& cõmanducauerunt linguas suas præ dolore: & blasphemauerunt deum cœli propter dolores istos, & propter ulcera sua, & non resipuerunt ab operibus suis.

Phialam vocat iram. Solemus enim in conuiuiis humaniter inuicem excipere phialis siue calicibus, per vinum quod in ipsis repositum est confirmantes conuiuium: cuius cõtrarium conciliat phiala ab hoc effusa (dei namque furore plenum est dei poculum) in regnum bestiæ: siquidem thronum dicit regnum, bestiam verò Antichristũ. Porrò obtenebratum ait ipsius regnum, quod phialę fecit effusio, propter do-

D loris vehementiam. Possent quoque regnum intelligi, qui Antichristo subiecti sunt.

CAPVT LI.

Quòd per sextam plagam uia per Euphraten aperitur regibus orientalibus.

ET sextus angelus effudit phialam suam in flumen magnum Euphraten, & siccata est aqua eius, ut prępararetur uia regibus qui sunt ab ortu solis. Et uidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudoprophetæ spiritus immundos tres in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa.

E Imminutum fuisse dicit flumen Euphraten ad transitum Matt. 24. regum terrę in mutuum bellum. Nam exurget, ait dominus in euangeliis, gens in gentem, & regnum in regnum. Porrò hos ex Scytharū esse partibus Gog & Magog verisimile est. Neque etiam reprobandum est ab orientalibus Persidis partibus Antichristum exoriri, vbi tribus Dan è radice Hebręorum commoratur simul cum cæteris regib⁹ aut primatibus: quoniam his quoque interdum regium nomen attribuitur, Psalm. 2. vt quum dicitur, Adstiterunt reges terræ. Siquidem Pilatus non erat verè rex. Transire autem Euphraten ait inducentes aut animę aut corporis mortem: animę quidem, eo quòd talia operatione dæmonum ex permissu dei contingant: ma F gis autem ipso quoque deo illos educente ad probationem famulorum suorum non quòd ignoret, sed vt aliis manifestum faciat qui ad se accedāt, & qui non. Corporis vero mortem, in his qui digni sunt vt de terra viuentium deleantur, ne ipsam quoque suis nefariis operibus corrumpant, quæ boni opificis opus est & regio innoxia, his qui diuerso modo viuere parati sunt, iuxta id ad quod facti sunt. *Et uidi ex ore draconis &c. spiritus immundos tres.* Subaudiendum est Egredientes, vt sit sensus. Vidi ex ore trium egredientes spiritus immundos tres in modum ranarum. Ex his ostenditur diabolum quidem veluti draconem in propria persona significari, Antichristum vero tanquam bestiam, pseudoprophetam autem alterum præter Antichristum. Et draconem quidē diabolum,

bolum, eo quod obliquis vtatur motibus: Bestiam vero Antichristum, vt qui non humano more suauis sit in humana natura, sed magis ferino more viuat: Pseudoprophetam autem hoc ipsum quod est, nempe qui in modum poetæ mendacia dicere nouit veris similia. Ex vniuscuiusque horum ore dicit pari numero scaturire immundos spiritus ranis similes, sed non ranas: Primum quod aspera horum vox non possit ad aliquam dei laudem assumi, sed ad turbationes ac tumultus excitandos: quodque semper moris sit dęmonibus ac peccatoribus fœtida ac cœnolenta vita delectari: quemadmodū ediuerso dei amicis quòd sorte sua gaudeant, & animi tolerantia ac fortitudine hymnis & cāticis ac confessionibus deū magnificent. Ternario autem numero sunt & corruptores, & quę ab ore eorum egrediuntur dæmonia, vt hoc numero fallerēt, quasi laudatissimę ac sanctissimę trinitati grati essēt. A B

Qui egrediuntur ad reges uniuersi orbis, ut congregent eos ad prælium magni illius diei omnipotentis dei. Ecce uenio sicut fur. Beatus est qui uigilat, & qui seruat uestimēta sua, ne nudus incedat, & uideant turpitudinem eius. Et congregauit eos in locum qui dicitur Hebraicè Ermagedon.

Egrediuntur vt in vnum educāt ad præliandum in se mutuo. Signa vero inquit, quæ per dæmones fiunt vt regibus furorem bellicum immittat, ostendūt scopum diei illi' magni, qui non alius est quàm secundus domini aduentus. An non magnus est qui in lucem immittit ea quę ab vnoquoque peracta sunt? Non aduersus diem bellum est: quod enim bellum esset aduersus solaris cursus administrationem? sed aduersus hos qui huius diei timore continuè turbari, facti sunt de sorte & acie dei: vnde etiam vestimentis salutis induti sunt, & indumento lætitiæ, quæ non aliud sunt quàm virtutes, quandam præ se ferentes maiestatem, manifesto splendore exteriorem hominem lætificātes. *Beatus est qui uigilat, & qui seruat uestimenta sua.* Permāsit in tropo qui est de fure, ideo etiā vigilantiam & vestimentorū custodiam fieri dixit, ne pereāt per inanem gloriam. Nam vestimenta dicit virtutes, ne horū abiectione nudi inuenti aut sordidi, indigni iudicemur diui- C Iesa.61. Matt.22.

D nis nuptiis. *Et congregauit eos in locum.* Malignos ſpiritus di cit in quodam loco accumulaſſe eos,qui tunc ab ipſis ſeducti fuerint:locum autem intellige hic tempus. In hoc igitur tẽpore inuenti hi qui à malignis ſpiritibus decepti fuerint, ſeparationem à ſe mutuo acquirent. Nam hoc intelligendum prębet Hebraica vox Ermagedon,ſi in noſtrã linguã transmutetur. Et quænam erit ſeparatio? diuini ſpirit⁹ diuiſio,qui tota hac vita apud vnumquemque hominem manet,ſic vt ne perdi quidem aut abiici poſſit: robur præſtans dum declina mus ad meliora. Poſtquam autem tranſitus à rebus præſenti bus ad ea quæ certè vera ſunt & perpetua,circa tempus mor tis incubuerit,ab his in quibus diuinum munus acceptum in Matt. 13. uctum fuerit otioſum,auferetur,parta per operationis ſegni E tiem ſeparatione,& iuxta ſeueritatem euangelicam,pars ei⁹ qui fuerit iudicio damnatus cum hypocritis ponetur.

CAPVT LII.

Quòd per ſeptimam plagam grando & terræmotus fiant aduerſus homines.

Et ſeptimus angelus effudit phialam ſuam in aerem. Et exiuit uox magna à templò cœli de throno dicens: Factum eſt. *Et facta ſunt fulgura & tonitrua & uoces, & terræmotus magnus qualis non fuit à tempore, quo homines fuerunt ſuper terram, talis terræmotus adeo magnus.* Et diui-F *ſa eſt ciuitas magna in tres partes, & ciuitates Gentium ceciderunt.*

Hic in aerem effudit phialã,eo quod omnis peſtifera corruptio ex aere producatur,idque coruſcationibus ardentib⁹ & tonitruis reſonantibus. A diuino autem templo facta eſt vox,hoc eſt ab his qui diuiniori modo ad ſacra ſunt adducti, quibus non alius præſidet,quàm ſolus ille qui ſuperſubſtantiali modo cunctos ſupereminet,primus parẽs deus: nam id ſignificare ſibi vult thronus. *Et facta ſunt fulgura & tonitrua & uoces & terræmotus.* Fulgura & tonitrua de cœlo, voces autem ab his qui in terra præ timore cõſternati erant: terræmotus vero,hoc eſt quaſſatio ac turbatio terrę,nã huiuſmodi finem

finem signa obtinere solent. Aut terræmotum dicit transpositionem & mutationem à corruptibilibus ad incorruptibilia, quod erit à secundo Christi aduentu. Ait autem, Qualis non fuit: nondum enim talis facta est mutatio à corruptibili mundo ad incorruptibilem & sempiternum. *Et diuisa est ciuitas magna.* Nonnulli acceperunt vt hæc de Ierusalem dicerentur: non adeo propter hominum multitudinem aut maximam iactantiam magnificarum possessionum, quantum propter Christi passionem ac peregrinationẽ: propter quod etiã ex aduerso distinguit reliquas ciuitates, quas moris est in scriptura vocare Gentilicas: nam reliquos homines ab Israelitis solet Gentes appellare. Huius autem in tres partes diuisio, vult designare diuersitatem eorum qui in ea habitabant, nẽpe Christianorum, Iudæorum & Samaritanorum. Nõ fuerit tamen intempestiuum ciuitatem magnam accipere præsentam mundum in tres partes diuisum ab aduentu Christi: puta in tempus imperij Græcorum, in tempus potestatis regum Christianorum, & in tempus aduentus sub Antichristo. Porrò cadentes Gentium ciuitates, aut variæ sunt circa fidei pietatem opiniones, quæ ob sui discordiam facile decidunt, aut ipse quoque ciuitates. A B

Et Babylon magna uenit in memoriam coram deo, ut daret ipsi poculum uini indignationis iræ suæ. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti. Et grãdo magna quasi talenti pondere descendit de cœlo in homines, & blasphemauerunt homines deum propter plagam grandinis, quòd magna esset plaga eius uehementer. C

Babylonem dicit non veterem Romam, quanquam in ea temporibus Græcorum multi sancti martyres indigna passi sint: non mundumvniuersum, quanquam hunc sensum nonnulli commendent, quod dictus sit Babylon & magna Babylon, vt qui magnitudinem habeat ex vanis huius vitæ occupationibus ac distractionibus. Nam si mundus per Babylonem significatus esset, quæ esset insularum differentia à mũdo, quum & ipse sint pars mundi? reliquum est igitur vt alia verisimili intelligẽtia Babylonẽ intelligam⁹: & quæ est hæc?

D certè nō alia quàm Cōſtātinopolis, in qua olim iuſtitia colebatur, nūc autē in ea ſunt homicidæ ex mutua cōtētione: dū ciues eccleſiaſticis æquari nitunt: imò verò nō æquari, ſed vt quiſpiam ipſorū præmiū accipiat ad maiorē diuinæ iræ accēſionē: ideo quoq; natura impaſſibilis affectibus moueri credita eſt, vt etiam poculū vini indignationis iræ daret Babyloni. Quęnam autē ſiut & inſulæ, ſermones audire poſſumus

GREGO. illius ſancti, qui dicit eccleſias ex gētibus antea cōſtitutas & firmitatē accipiētes. Et quæ eſt fuga? nō alia quàm quæ facta

Mat. 24. eſt, eo quòd abūdauerit iniquitas & refrixerit charitas: quæ charitas, fideles colligādo in vnum propter deum, & ab infidelium conuerſatione abſtrahendo, tribuebat vt è ſuo mari emergerent: qua relicta neceſſe eſt inſulas aufugere, vt deſi-

E nant eſſe inſulæ: cum quibus vnà quoque montes à terrenis ſubleuati, ob humanam prudentiam quæ in ipſis erat, è medio ſublati ſunt imitatione cohabitantium, qui infœliciter humi decumbebant, & ſublimem ac cœleſtem prudentiam perdiderant. *Et grando magna deſcendit de cœlo.* Grādinem è cœlo defluxiſſe dicit, tanquam illatam à deo iram. Talenti verò pondere, hoc eſt cōſummatę perfectionis, propter exceſſum maximum in peccatis, cui etiam correſpondens adductum quoque eſt ſupplicium ad conuerſionem.

CAPVT LIII.

De uno ex ſeptem angelis qui oſtendit euangeliſtæ ſubuerſionem

F *ciuitatis meretricis, & de ſeptem capitibus decemq; cornibus.*

CAP. XVII.

ET uenit unus de ſeptem angelis qui habebat ſeptem phialas, & loquutus eſt mecum dicens: Veni oſtendam tibi iudicium meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas cum qua ſcortati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt qui habitant in terra de uino proſtitutionis eius. Et abſtulit me ſpiritu in deſertum: & uidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccinam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.

Iudicium vocat viuendi modum ac diſpoſitionem. Meretricem verò non adeo conuenienter veterem Romā intelligere

gere debemus, sicut præsentem mundum, qui & innumerabili sanguine & pluribus regibus abũdat quàm Roma, vt qui ab initio iudicatus sit fornicariè agere, fornicationẽ intelligendo nõ turpem solummodo corporum cõmixtionẽ, verũ etiam omnẽ à deo declinationem. Quidam verò alij præsentem reuelationem discutiẽtes, meretricem interpretati sunt veterem Romam, aut vniuersale regnum quod ad secundum vsque domini aduentum protenditur: Aquas verò gentes quibus imperat & imperabit, in quibus robur suum collocat. Quòd autem aquæ ad gentes referendæ sint, audi progenitorem qui illud quod ait, A vocibus aquarum multarum, de gentibus intelligit. *Cum qua scortati sunt reges terræ.* Reges terræ hi sunt, qui terreno sensu ad vulgaria præsentis vitæ deuoluuntur. Hi autem etiam inebriati sunt, eo quòd non ex modico & vulgato sed magno vsu præsentium satientur impietate. *Et abstulit me spiritu in desertum.* Illam desolationem contemplatio designat quæ futura est in spiritualibus, quam se vidisse ait tanquam mulierem, nempe effœminatam & veluti meretricem ac parum virilem, nullumque continentiæ signum habentem. Porrò quòd spiritu sublatus sit, quid aliud significare potest, nisi quòd hæc non existimentur digna quæ realiter & ipso actu videantur, sed in contemplatione? Vnde etiam alterius mulieris simulacrum oraculo significatum esse ostendit, quæ super bestiam coccinam sedebat, mulierem intelligens tempus quo hæc designantur, in quo is qui prauis actionibus exercetur, diabolum sanguine gaudentem (nam hoc significare vult color purpureus) oblectat, quod cathedra intelligendum suggerit. Nomina verò blasphemiæ dicuntur, attribuere diabolo cultum deo debitum.

A

Psal. 92

B

C

Et mulier erat circundata purpura & coccino, inaurata auro & lapide pretioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominationibus & immunditiis fornicationis terræ: & super frontem suam nomen scriptum mysterium: Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ. Et uidi mulierem ebriam sanguine sanctorum, de san-

D *guine martyrum* Iesu. *Et miratus sum quum uiderem illā admiratione magna.* Et dixit mihi angelus: *Quare miraris?*

Purpura, eo quòd potestatiue omnia audeat in modum reginæ: coccino, eo quòd multorum sanctorum effundat sanguinem: inaurata vero & auro & lapide precioso & margaritis, quia hanc tanquam reginam adornat sermo ornatu regio. Nam inter crudeles & potestatem exercentes conspicere datur Christi fidē tanquam purum aurū fulgentē, tanquam lapidem pretiosa perspicuitate ostentantem suam firmitatem his qui illam ignorant, tanquam margaritas verò emergentes è mari huius vitæ procellis tentationum agita-
E tæ, & regio Christi diademati aptari. Poculum autem aureum: aureum quidem, eo quòd tempus veluti regia firmetur potentia: in manu vero, propter efficaciam eorum quæ statuuntur: poculum autem, fortassis ad ostendēdum quòd non ex satietate, sed siti suæ perditionis vitia appetant: ideo quoque suas abominationes multiplicauerunt, id est abominanda deo studia, quibus multitudo peccatorum amica potatur, quæ abominandam peccati ebrietatem & fornicationis à deo contaminationem sorbet veluti suauem potionem.

Et immunditiis fornicationis terræ. Fornicatio terræ sunt hi qui terrenis adglutinati sunt. Neque enim natura dedit terræ scortari, quum sit creatura inanima & insensata. Porrò super frontem scriptum esse nomen, significat absque vllo ru-
F bore operari execranda. Matrem vero fornicationum vocans, rursum quancunque volueris, siue veterem Romam, siue nouam, siue tempus vitæ Antichristi, à vero aberrare non poteris: eo quòd singulæ imperium susceperunt aliarum ciuitatum, & vnaquęque satiata est sanguine sanctorum martyrum. *Et miratus sum.* Verisimile erat bonum & humanum virum, & maiori quàm dici possit mansuetudine dotatum, quum feritatem intueretur bestialium hominum, maximo stupore fuisse occupatum: nam hoc demonstrat quod ait, *Admiratione magna.* Quòd autem beatus hic Iohannes theologus simplicioribus ac mansuetis esset moribus, ipsius docet historia (quam in fine huius libri ex Græco versam reddidimus.)

CAPVT LIIII.

A

Quòd angelus uisum ab ipso mysterium interpretatus sit.



Go dicam tibi mysterium mulieris & bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septē & cornua decem. Bestia quā uidisti fuit & non est, & ascensura est de abysso: & in perditionē uadit. Et admirabuntur habitātes in terra, quorum non sunt scripta nomina in libro uitæ à constitutione mundi, uidētes bestiam quæ erat & nō est & aderit. Hic est intelligētia quæ habet sapientiā. Septē capita septem mōtes sunt super quos mulier sedet, & septem reges sunt: quinque ceciderunt, unus est & alius nondum uenit: & quum uenerit oportet illum ad breue tempus manere. Et bestia quæ erat & nō est, & ipse octauus est, & de septem est, & in interitum uadit: B

Bestia est diabolus: cœpit & non est, tanquam ea quæ sub lance proposita sunt † vt omnino transeant. Ideo fuit, inquit, bestia quæ nunc non subsistit, vnde manifestum est quòd sit diabolus, iuxta id quod dictum est, Principium viarū domini. Nunc autem non est, quia occisus est quoad efficaciam actionum, per aduentum Christi: neque enim quemadmodum ante hunc efficiebat, vt filij hominum & filiæ per victimas offerrentur dæmonibus ipsorum, ita iam post Christi aduentum potis est hęc efficere. Ascendere vero dicitur de Abysso, per aduentum Antichristi. *Et in perditionem uadit.* Perditionem dicit, non vt non sit, sed cōdemnationem dicit ad gehennā. *Et admirabuntur habitantes in terra.* Admirabuntur bestiæ præsentiam, non solum quòd perierit & quomodo vixerit, sed etiam quòd aduenerit in signis erroris ac deceptionis. Et qui admirabūtur? qui habitant in terra: de quibus ait Iesaias: Non cademus inquiunt, sed cadent qui habitant in terra. Tales autem sunt qui firmum non habēt fundamentū, vt qui non sunt ædificati supra petrā Christum. Admirabuntur igitur & nunc qui in libro viuentium scripti nō sunt, eo quòd terrenis rebus incumbant. *Septē capita*

† ἐν τῷ λῶς δεῖξαι — *Iob. 40.* — C — *Iesa. 26*

D *pita septem montes sunt.* Montes sunt vbi mulier sedet: mulierem vt dixim⁹ mortalem hanc vitam ait, quę velut effœminata est & nihil virile demonstrans. Montes vero & capitá septem, existimamus loca esse in sublimitate & potentatu mundano quæ cæteris eminentiora sunt, in quibus variis tēporibus mundi imperium confirmatum fuisse cognouimus: quemadmodum Assyriorum in Niniue, quorum regem Sardanapalum deuictum Arbaces occidit, Post hos Chaldæorum imperium in Babylone excelluit, quibus imperabat rex Nabugodonosor. Deinde post horum ac Medorum euersionem, sub Cyro regno Persarum in Susis cōstituto, subingressum est regnum Macedonum. His successit Romanorū imperium & potestas in veteri Roma, quæ post priores quidem reges ac consules, quum sub Augusto Cæsare monarchiam accepisset, vsque ad Constantinum ab impiis occupata est, post quorum dissolutionem in nouam Romam translatum est imperium sub regibus Christum colentibus. Iuxta eundem intellectum septem quoque reges accipiendi sunt, mutatione generis, nempe neutrius & masculini, nullum ad intelligentiæ identitatem præstante impedimentum, si ibi quidem septem montes genere masculino † aut capita neutro, hic autem septem reges masculino genere significauit: de his enim scriptura nihil curiose scrutari solet.

Septē diuersarū Gētiū regna sibi mutuo successerunt.

E

Et decem cornua quæ uidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem una hora tanquam reges accipient cum bestia. Hi unum habebunt consilium: & uirtutem ac potestatem suam bestiæ tradēt. Hi cum agno pugnabunt, & agnus uincet eos, quia dominus dominorum est & rex regum, & qui cum illo sunt uocati & electi ac fideles. Et dicit mihi: Aquæ quas uidisti ubi mulier meretrix sedit, populi & turbæ sunt & gentes & linguæ.

Apud græcos uero ὄρη quidē id est, mōtes neutro, κεφαλαὶ uero, i. capita fœminino genere efferuntur.

F

Decem cornua decem reges esse aiunt qui ex Romano imperio consurgent postremis temporibus, in quorum medio consurget Antichristus. Non autem ait eos regnum accepturos, sed potestatem tanquam reges, idq; vna hora: tanquam

quam reges sane, eo quòd infirmum & obscurum erit regnũ A
eorum: vna vero hora cum bestia, horam designare volens temporis breuitatem, siue illud quo anni hora complebitur, qua vincenti Antichristo subiicientur. Aut etiam intelligitur vita quæ in delitiis agitur. *Et agnus uincet eos & qui cum illo sunt uocati.* Merito quum dominus dominorum sit & rex regum, etiam propugnatores eius sunt vocati, non vulgarem habentes vocationem, sed firmam, absolutam & immutabilem. Ideo quoque fideles dicuntur, quia fideles vni domino Matth. 6
adhærent, quum nõ possint duobus dominis seruire. *Aquæ* 2. Pet. 3
quas uidisti. Antea de his diximus, quòd tropicè ac naturaliter terra sit ex aquis, & in aquis perseuerat, in qua firmatus est corruptibilis hic mundus, & qui in humidis ac mollibus versatur delitiis. Omnino autem non alio quàm hoc modo B
secundum humana genera intelligitur, quæ gentes sunt variis linguis distinctæ, & præterea regum conseruata imperia: nam hoc significare vult cornu. à cornutis animalibus sumpta appellatione, quòd & illa suis cornibus se tueantur, si quando opus est aduersus alia animalia occurrere. quemadmodum etiam regum dispositiones gentibus aduersus gẽtes permanentiã in seipsis tribuunt, dum ad extraneos principatus non disperguntur.

Et decem cornua quæ uidisti in bestia, hi odio prosequentur meretricem, & desolatam facient illam & nudam, & carnes eius comedent & ipsam igne concremabunt: deus enim dedit in corda eorum ut faciant C
ipsius uoluntatem: & faciant uoluntatem unam & dent regnum suum bestiæ donec compleantur sermones dei. Et mulier quam uidisti est ciuitas magna quæ habet regnum super reges terræ.

Quid significare velint cornua iam dictum est, & quòd bestia sit diabolus: variat enim in significato bestiæ, alicubi Antichristum ita nominans, aliâs autem & Satanam. Reges igitur, inquit, qui antehac per operationem Satanæ crudeliter affecti erant erga agnũ, dei admonitione odio prosequẽtur meretricem, id est voluptuosam in vita conuersationem: desolatam quoq; efficiẽt idololatriam & delubris ac vatibus

priuabũt

D priuabunt:& carnes ipsius, hoc est animalia ad idolorum victimas reposita, sibiipsis recondent, omnéque studium quod circa vana occupatum erat de medio tollēt, vt quasi ab igne consumptum existimetur, omnesque clament: Vbi nūc sunt qui tunc vana cura occupabantur? Hęc autem omnia vt proposuimus, non absque diuino numine fieri aiunt, sed dei inspectione ac prouidentia. *Et faciant uoluntatem unam.* Quanquam concurrat horum studium cum dei voluntate, id tamē sicuti deo curæ fuit, & iuxta inscrutabilem prouidentiæ suæ profunditatem, seruiet rebus perficiendis. Secundum hanc igitur concordiam à deo datam, tradita bestiæ omnimoda E potestate, efficiet vt bestia pręualeat in omnibus ad quæ debita iudicia deducent, quæ per sermones designantur, quum ait: Donec compleantur sermones dei. *Et mulier quam uidisti est ciuitas magna.* Mulierem apertius ostendens, repetit sermonem de ipsa, & ait illam esse quæ habet imperium super eos qui terrenis incumbunt: neque enim omnes qui terram inhabitant, statim quoque terrenorum affectione corrumpuntur.

CAPVT LV.

De alio angelo casum Babylonis significante, & cœlesti uoce quæ fugam ex ipsa præcipiat: déque reiectione delectabilium quæ antea F *acquisierat.*

CAP. XVIII. ET *post hæc uidi alium angelum descendētem de cœlo, qui habebat potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius.* Et *clamauit forti uoce dicēs: Cecidit* Babylon *magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, * & custodia omnis uolucris immundæ & inuisæ: quia de uino iræ scortationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa scortati sunt: & mercatores terræ de potentia delitiarum eius diuites facti sunt.* Et *audiui aliam uocem de cœlo dicentem:* Egredere *de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & ne de plagis eius accipiatis: quo*

* *Similiter & hic oscitantia proculdubio accidit, quòd non fuerit additū* ἡ φυλακὴ

tis: quoniam peccata eius conglutinata sunt usque ad cœlum, & recordatus est deus iniquitatum eius. A παντὸς ὀρνέου ἀκαθάρτου. i. & custodia omnis uolucris immundæ, quæ in hac enarranda cōparatione occupetur

Et terra illuminata est. Hinc etiam intelligere possumus diuinarum uirtutum splendorem ac lucem lōgo interuallo stellarum lumen excedere: quandoquidē libere agens ac emissus splendor ille præterit ac superat huius mundi obscuritatem. Dicit ergo magnam esse huiusmodi luminaris potestatem, & vicinam terram sua gloria illuminare. Comparata enim cœlestia & incorruptibilia terrenis ac corruptibilibus, quantum gloriæ excessum demonstrant? Fortem autem vocem stabilit, rerum quæ significantur efficaciam demonstrās & immutabilitatem. Et quid illud est? Cecidit Babylon magna, Babylonem dicens huius corruptibilis vitæ transitum. B commētarius, suo itaque loco restituimus.

Et custodia oīs uolucris immundæ & inuisæ. Ad volucres transfert dæmones propter incertitudinē impetuosi accessus eorum aduersus homines: quoniam volucrum quoque inuasio ex incerta solet expectatione superuenire. Inuisæ quoq; non irrationabiliter dictum est: quis enim prudens non abominatur conuersationem cum dæmonibus? propter quam etiā abominationes dicti sunt. 4. Re. 23. *Egredere de illa populus meus.* Egredi iubet vox eos quos domin⁹ nouit esse suos. Egredi autē, ne vna perdantur pij cum impiis. Quemadmodum enim deus præcepit Lot dicens: Seruās serua animam tuam ascēdens vsque ad montem, nequaquam in terra quiescendo: ita & hoc loco. Gene. 19. *Et recordatus est deus iniquitatum eius.* Humano modo hæc colligūtur: nam in beata dei natura ad quam nequeunt affectus accedere, superfluum ac vanum est huiusmodi vel concipere. Ibi enim est recordatio vbi & obliuio, obliuio autem designat id quod factum est, potentia quidem adesse, nō tamē actu: porrò deo nihil adest potētia, sed actu. C

Reddite ei sicut & ipsa reddidit uobis, & duplicate ei duplicia secundum operā eius. In poculo quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se & lasciuiit, tantum date illi tormentum & luctum. Quia dicit in corde suo: Sedeo regina, & uidua non sum, neque luctum uidebo. Propterea uno die uenient

plagæ

D *plagæ eius, mors & luctus & fames, & igne combu-retur, quia fortis est dominus qui iudicat illam.*

Animaduertendum est à quo procedat hoc præceptũ vel sermo. Potest autem dici quod à iustis vel martyribus qui illo tempore, nempe aduentus Antichristi, pro Christo certauerint, in tanta crudelitate ac feritate eorum qui tunc in vita versabuntur traditi in ministros Antichristi, vt quanquam ad dei imitationem viuere elegerint, excessu tamẽ afflictionum deuincantur vt hæc proferant. Diximus autem mulierem tempus sub Antichristo significare, & non ciuitatem a-
E liquam: poculum autem, voluntatem seu propositum eorũ qui tunc in vita versabuntur: qui de Satanæ potentatu gloriantes, incomparabili tormentorum magnitudine aduersus sibi repugnantes vtentur: quemadmodum igitur fecit, reddetur ipsi. *Reddite illi duplum.* Nõ duplum proprie vult hic intelligi duplicatum: sed quòd benignus ac bonus deus, quũ punit etiam infra id quod iustum est, duplum se reddidisse ducit vbi vel partem reddiderit: nec solum duplum, sed & septuplum: nisi fortassis id existimandum est has nõ esse dei
Naum. 1. minas. Quomodo enim is qui dicit, Non vlciscetur bis deus super eadem re, nunc in duplo ac septulo ait ipsum vlcisci? Fortassis igitur nihil absurdum fuerit, si accipiatur significa-
F re non iuxta dignitatem, sed longe infra mensuram. *Quantũ glorificauit se & lasciuiit.* Quemadmodum inquit & glorificata & in præsenti vita delitiis difflués, nõ adimpleuit quod præuiderat esse diuinæ volũtatis, ita reddite illi. Dicit enim, Non priuabor regno. *In corde suo.* Cor appellat duratioñe eorum qui tunc vitam complebunt, quos etiam finxit cum muliere adulterium patrare. *Propterea uno die uenient plagæ eius.* Per hoc quod dicit Vno die, inexpectatum ac repentinum tempus significat quo hæc contingent. Postquam enim inimici ipsius obtinuerint illam, poterunt vel vnico die omne supplicium in eam inducere quæ deuicta fuerit: quũ potens sit dominus quemadmodũ prospera distribuere his qui sibi grati sunt, ita & peccatores irremediabili modo punire.

Et flebunt & plangent super illam reges terræ qui cum illa scortati sunt & lasciuierunt, quum uiderint

fumum

fumum incendii eius: longe stantes propter timorem tormenti eius, dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis quoniam una hora uenit iudicium tuum. Et negotiatores terræ flebunt ac lugebunt super illa: quoniam onus eorum nemo emet amplius: non iam onus auri & argenti & lapidis pretiosi & margaritæ, & byßi & purpuræ & serici & cocci, & omne lignum thyinum, & omne uas eburneum, & omne uas de ligno pretiosißimo & ære, & ferro & marmore, & cinamomum & odoramenta & unguentum & thus, & oleum & uinum & similam & triticum, & oues & iumenta, & equos & rhedarum & corporum & animas hominum. Et tempus desiderij animæ tuæ receßit à te, & omnia pinguia & præclara perierũt à te, & amplius illa nequaquam inuenies. A B

In eadem permanet tropologia, vt manifestius fiat delictum meretriciæ impudicitiæ. Hos autem diximus esse dæmones etiam longe stantes. Nam ipsi, tanquam abstractę intelligentię, exitum etiam priusquam fiat intelligere possunt, & tanquam à fumo cognitam habere ignis substantiã. Quod autem ait Væ, lamentabilis est exclamatio qua solent exclamare in superuenientibus calamitatibus: ideo quoque nunc maxime in generali & cumulato repentinoque casu ac infœlicitate ad vsum deducta est. Fortem vero ciuitatem dicit ipsam, vt quæ ab infinito propemodum tempore firmitatẽ accepisset, quæ videretur non posse dirumpi, neque timeretur vnquã dissoluẽda. *Et negociatores terræ flebunt.* Vel ex hoc loco proculdubio intelligenda sunt quæ oraculo traduntur, nõ de Babylone, non de Roma veteri, non de noua neque de alia quapiam alia ciuitate, sed de vniuersali hoc corruptibili mundo: in quo hi qui temporalibus exercentur negotiationibus, fletu ac luctu consumentur, quia onus eorum nemo emet. Onus autem dicit exercitia vel studia circa quæ solent homines continue versari & in his consumi. *Non iam onus argenti &c.* Ad onus refert vitę studia ad quę verisimile est C

D le est luctum ingredi vbi temporalis hæc vita defluxerit, ad quam negotiatio refert efficaciam studiorum. Pretiosis autẽ materiis quæ in mundo sunt assimilat viuentes in eo: argento quidem & auro, eos qui assidua tolerantia vitæ tentationes & afflictiones sustinent, ac seipsos veluti ad ignem solẽt consumere, quanquam spe meliorum certantes seruant se illæsos: Hoc enim modo & aurum & argentum ab igne materiali demonstrãtur. Lapidi autem pretioso & margaritis, eos qui virtutum possessione per ostentationem abutuntur, qui impetu calamitatum splendorem debilitarunt. Bysso vero & purpuræ ac filis sericis, eos qui sub Christo virtutum floribus adornantur. Ligneis autem vasis & iis quæ ex ligno
E pretiosissimo thyino sunt & ex ebore & cinamomo, eos qui peregrino vitæ exercitio, vulgoque incognito vtũtur: at manifestata bonorum operum suauissima fumigatione spiritualem accipiunt lætitiam maiorem quàm dici possit, simulque nec igni inuidiæ consumi possunt, quemadmodum neque cinamomum igni materiali. Porro æri & ferro ac marmori, illos qui auro quidem similes sunt, sed nothis ac illegitimis vtuntur diuitiis, quemadmodum etiam ferrum splendorem habet, & marmor firmitatem, quorum omnium ignis probatiuus est, & ita per ignem præbent sui probationem. Oleo vero ac vino & similæ ac tritico, illos qui in hilaritate ac iucũdo animæ statu vitæ pelagus traiiciunt. Ouibus autem ac iu-
F mentis assimilentur hi qui immensa dei misericordia, vt ait
Psal. 35. Dauid, saluantur. Equis vero & vehiculis per hos tractis, quæ veteri voce ἄγγαροι dicebanrur, Græci autem δημοσίους ἱπποσάθμους appellant, Latina vero vox est Rheda, vnde & Rhedarius trita dictio est, ideo quoque hic dictio Rhedarum assumpta est, illos significare vult qui viam mandatorũ domini currentes, ipsis operibus domino decantant. *Et tempus desiderii.* ἡ ὀπώρα ex communi consuetudine sumi solet pro tempore siue temporis opportunitate. Quoniã igitur à corruptione ad incorruptionem infallibiliter transeunt humana, certe etiam quæ ad corruptionem declinant, simul è medio sublata, in totum deficient, hoc autem in ciuitate quæ adhuc in præsenti conspicitur impossibile est contingere. Siquidem secundum magis & minus nemo abnuit quin contingat, in totum vero nequaquam.

Negotia-

Negotiatores harum rerum qui diuites facti sunt ab ea, longe stabunt propter timorem tormenti eius, flentes & lugentes ac dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco & deaurata auro & lapide pretioso & margaritis, quia una hora destituta est tantis diuitiis. Et omnis gubernator, & omnis qui in nauibus nauigabat, & quotquot in mari operabantur, steterunt procul & clamauerunt uidentes fumum incendij eius, dicentes: Quæ similis ciuitati huic magnæ? Et miserunt puluerem super capita sua, & clamauerunt flentes & lugentes ac dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes qui habebãt naues in mari de pretio eius, quoniam una hora desolata est. A B

Negotiatores intelligendi sunt diuinę potestates, aut dęmones cooperantes vnà cum cœlis ad id quod cuique delectabile est. Eminus autem cuique horum assignatur statio propter timorem, sed angelis quidem propter iudicis seueritatem quam peccatorum incredulitas præparauit: dæmonibus vero timorem immittet participatio supplicij peccatorum. C *Væ uæ ciuitas illa magna quæ amicta erat bysso &c.* Ab his quæ nota sunt tradit eorum notitiam quæ sunt in posterum superuẽtura: quoniam igitur notum est quòd Babylon diuitiarum magnitudine lasciuierit: sub oculos ducit affectus, per thronum regium quod in ipsa erat, magnitudinem describẽs calamitatis: nec solum per diuitias earumque perditionem luctum ostendit, sed etiam velocitate ipsius calamitatis: quòd diuitiæ à seculo congregatæ breuium dierum interuallo perierint. Secundus enim domini aduentus sicut fulgur subito veniet, qui vitam laboribus ac flagitiis plenam è medio tollat. *Et omnis gubernator & omnis qui in nauibus nauigabat.* Præsens vita mari tropicè cõparata est, vt quæ multis & ipsa negotiis inundet, maxime à spiritibus dæmoniaci insultus. Merito autem & nauigia quæ in eo sunt accepimus impetus superuenientium negotiorum, quibus veluti nauigiis homi-

D giis homines vtentes, per vitæ suæ pelagus nauigant. Gubernatores vero intelligendi sunt hi qui absque periculo vita vtutur. Nautæ autem & vectores ac marini operarij quos etiam θαλαττίους sapiens quidam appellat, homines sunt in hoc fluctuanti mundo defessi, qui omnes infallibilem & omnino futurum huius vitæ terminum considerantes, etiam prius quàm immineret obseruarunt. Nam hoc sibi vult Stare procul. Quod autem absurda vitæ studia eorũ qui in hoc mari operãtur ineuitabiliter subsequatur supplicium, quemadmodum fumum sequitur ignis, propter quod etiam fumo comparauit expectationem: ipse Saluator manifestat, dicẽs: Sicut fulgur exit à partibus oriẽtis & apparet vsque ad par-

Matt. 24. tes occidentis, ita erit aduentus filij hominis. Igni verò assi-

E milata est exacta indagatio factorum. Merito autem hi horrendo modo clamabunt, & ea suscipient quæ lamentantes consequuntur, capita cinere aspergentes, ac peragentes si quid aliud est quod consequitur lamentantes. *Quæ similis ciuitati huic magnæ?* Non potest alia ciuitas inueniri, quia neque alius conditor neque alius mundus: porrò aliam Babylonem & in Aegypto licet inuenire, & huic similem in eadẽ Aegypto iuxta Heracleoticum Nili ostium Alexandriam, & in Europa ad occidentaliores & aquilonares mundi partes Romam, & in orientalibus sub Bysantio eam quæ à Cõstantino nomen accepit. *In qua diuites facti sunt omnes.* Hinc

F certissimum est quòd non de vna ciuitate sit sermo, sed de vniuerso hoc corruptibili orbe licet accipere. Neque enim Babylon neque Roma, neque alia ciuitas ex nauium profectione solũ ditescit, præter solum hunc mundum. Allegoricè namque veris ditescit diuitiis per animas hominum, qui in modum nauium acerbæ immersionis expertes, per mundanum salum enatarunt, & dictam abundantem ciuitatem, mundum videlicet, pretiosarum mercium negotiatione cõstituerunt. Ideo quum veluti prædium fuisset & firmamentum salutis, vnde laborum mercedem inuenerant, lamentationem collegerunt, videntes quòd missa esset in interitum.

Exulta super eam cœlũ & sancti Apostoli & prophetæ, quoniam iudicauit deus iudicium uestrum de illa. Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem mag

rem magnum, & proiecit in mare, dicens: Huiusmodi A
impetu proiicietur Babylon magna illa ciuitas, & ultra iam non inueniatur: & uox citharœdorum & musicorum, & tibia ac tuba canentium non audiatur in te amplius, & omnis artifex cuiuscunque artis non inueniatur in te amplius, & uox molæ non audiatur in te amplius, & lux lucernæ non appareat in te amplius, & uox sponsi, & sponsæ non audiatur in te amplius. Quia mercatores tui erant principes terræ, quia in ueneficiis tuis errauerunt omnes Gentes, & in ea sanguis prophetarum & sanctorum inuentus est, & omnium qui interfecti sunt in terra. B

Etiam ex hoc confirmâmur quòd de mundo sit oraculũ, & non de vna ciuitate. Quod autem post luctum conuersio facta sit ad lætitiam, non est cantus eorum qui in terra sunt, sed cœlestium, ꝙ deleto iam loco in quo certare eos oportuit, qui in typo coronati fuerant victoriæ corona: siue prophetæ sint, siue apostoli, siue sancti pontifices, & si qua est alia congregatio eorum qui deo placuerũt, incessanti gaudio facti sint deinceps participes, accepta indefessa tranquillaq; vita ab eo qui nouit dignè iudicare, hoc est laborum præmia rependere. *Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum.* Variis tropologiis comparat consummationẽ mũdi corruptibilis. Ideo ad eas quæ dictæ sunt etiam hanc adfert, molari ipsum comparans cum impetu in mare demerso: ita autem dicit tali impetu repentè demergi, vt nec reliquiæ ipsius conspiciantur amplius: & eodem modo ait mundum hunc in omnimodam transire obscurationem. Et vt fiat hoc manifestius, addit & ea quæ à seculo administrabãtur in ipso, delitias ac lasciuiam prouocãtia, quæ turbam attrahãt ac irritent. *Quia mercatores tui.* ἐμπόρους dicit eos qui nundinarum merces & plausibilia quæuis in terra colligunt, ideo etiam dicit Principes: neque enim pauperũ est vitæ mollities: neque vnius potestatis, variis præstigiis tanquam venenis omnes gentes dementare, aut potenti virtute in seruitutem redigere, aut tyrannica violẽtia de medio tollere: à qua etiã C

D sanguis eorum qui deo seruabantur, in modum torrentis effusus est, à Iudæis quidem sanguis prophetarum, à Græcis verò sanctorum martyrum.

CAPVT LVI.

De cantu sanctorum, & de triplici Halleluia quod cecinerũt pro subuersione Babylonis.

Ca. XIX. *Ost hæc audiui tãquam uocem magnã turbæ multæ in cœlo dicentis: Halleluia. Salus & honor & potestas, & gloria deo nostro, quia uera, & iusta sunt iudicia eius,*
E *quia iudicauit meretricem magnam quæ corrupit terram prostitutione sui, & ultus est sanguinem seruorũ suorum de manu ipsius. Rursumq; dixit: Halleluia, & fumus ipsius ascendit in secula seculorum. Et procidebunt uigintiquatuor seniores & quatuor animalia, & adorauerunt deum qui sedebat super thronum dicentes, Amen, Halleluia.*

Halleluia significat Laudate, Benedicite deum. Canticũ igitur canunt in gratiarum actionem ob iustum dei iudiciũ, quòd sine respectu personarũ sustulerit meretricem illã magnam. Dicit autem eos qui in hoc mundo sunt. *Rursúmque*
F *dixit: Halleluia.* Præter primum etiam additur secundũ Halleluia, & præter hoc etiam tertium. Ad hæc quoque etiã inferius cũ triplici acclamatione Halleluia laudari videbis ab ipsis trinitatem trium personarum. Quinam vero sint seniores & quatuor animalia, antea visum est. Fumus autem ascẽdit, hoc est seruata est supplicij expectatio à seculo suspensa, his qui merito suorum prauorum operum sunt accepturi retributionem.

Et uox de throno exiuit dicens: Laudate deum nostrũ omnes serui ipsius, & qui timetis ipsum pusilli & magni. Et audiui sicut uocem turbæ multæ, & tanquã uocem aquarum multarum, & tanquam uocem tonitruorum fortium dicentium: Halleluia, quoniam re-

gnauit

gnauit dominus deus noster omnipotens. A

Thronus dei sunt Seraphim: si ergo ab hoc exiuit vox, certè & à Seraphim, aut etiam si quis thronum nollet intelligere Seraphim, etiā hoc modo egreditur laus à Seraphim. *Et tanquam uocem aquarum multarum.* Vocē hanc comparat impetuoso descensui multi tumultus siue congregationis aquarum, fortique tonitruorū sono, penetrationem laudis significans cœlestium & innumerarum virtutum.

CAPVT LVII.

De mysticis nuptiis, & cœna agni.



Audeamus & exultemus, & demus ipsi gloriam, quoniam uenerūt nuptiæ agni, & uxor ipsius præparauit se: & datum est ipsi ut uestiatur byßino splendido & puro: nam byßinum iustificationes sunt sanctorum. Et ait mihi: Scribe. Beati qui ad cœnā nuptiarum agni uocati sunt. Et dicit mihi: Hi sermones dei ueri sunt. Et procidi ad pedes eius ut adorarem eum. Et ait mihi: Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu: deum adora. Testimonium enim filij est spiritus prophetiæ. B C

Spirituales domini nuptiæ in præsenti vita sunt ob despōsationē cum ecclesia, & ita perfectæ nuptiæ. Atque hoc innuit diuus apostolus scribens ad Corinthios: Aptaui enī vos vni viro vt virginem castam exhiberē Christo. *Et uxor ipsius.* Vxorem allegoriæ tropo vocat ecclesiam, ideo & filij nuptię inducuntur, & virgines sunt quæ ferunt lampades, quarū hę quæ sufficienti vsæ sunt oleo, dignæ habitæ sunt vt ad sponsum ingrederentur: quæ verò in eius inopia sunt deprehensæ, condemnatæ sunt ne ingrederentur: quemadmodum sanè & is qui veste non fuit indutus nuptiali, ostensus est à mēsa nuptiali excidisse. Ait autē datum fuisse vxori, id est, ecclesiæ vt byssino indueretur, hoc est splendore. Nā huiusmodi est & byssus cortex arboris Indicæ, quæ ad linum præparatur. Splendore igitur per byssinum significato (quod ipsum pręsens quoq; reuelatio demōstrat, dicēs splendidū & purū)

2. Cor. 11.

Matt. 25.

Matt. 22.

D quid aliud intelligetur q̃ virtutes, è quibus ſplendor ac ſubtilitas texitur cõſiderationibus diuinarũ iuſtificationũ? *Beati qui ad cœnã nuptiarũ agni uocati ſunt.* Vtiq;, ſi etiã vocationẽ ſequantur vt oportet: multos nãque in Euangelio ſcimus eſſe vocatos, paucos vero electos. Neq; enĩ ſufficit affectus ad vocationẽ, niſi etiã ad propoſitum ſequatur agilis impulſus.

Mat.20. 22.

Vide ne feceris. Ne me adores, inquit, angelus tanquã futura prædicẽtẽ: neq; enĩ meũ eſt hoc prophetiæ indicium, ſed cõfeſſionis propter Chriſtũ conſeruorũ meorũ: nam hæc eſt quæ ſpiritum propheticũ cõciliat. *Teſtimoniũ enim filii eſt ſpiritus prophetiæ.* Hoc eſt retributio †teſtimonij facti pro Chriſto eſt donũ propheticũ, ſicut eſt etiã eidẽ ſimile, inquit angelus. Siquidem prophetare mihi traditũ eſt propter cõſeruos meos martyres.

† al. martyrii perpeſſi.

E CAPVT LVIII.

Quomodo uiderit euangeliſta Chriſtum equo inſidentem cum poteſtatibus angelicis terrorem incutientem.



ET uidi cœlum apertũ: & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum fidelis erat & uerax, & in iuſtitia iudicat & pugnat. Oculi autem ipſius tanquam flãma ignis: & ſuper caput eius diademata multa, habens nomen ſcriptum quod nemo nouit præter ipſum. Et ueſtitus erat ueſte tincta ſanguine, & uocatur nomen eius Verbum dei.

F Apertum eſſe cœlum, præſcientiã ſignificat expectati iudicis. Vidit autẽ ipſum equo albo inſidentem, præparatũ ad ducendum exercitũ: quem etiam fidelẽ dicit ac veracem, & iudicare ac pugnare iniuſtitia: equo quidẽ, eo q́ cito ſit venturus: albo vero, propter iudiciorum claritatem, quæ nullis obfuſa ſunt tenebris, nec vlla perſonarum acceptione obnoxia. Fidelis autem & verax eſt aſcenſor, de quo Paulus dicit: Fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. *Oculi autem ipſius ſicut flamma ignis.* Non q́ huiuſmodi ſpecie circũſcriptus ſit deus qui cœlũ implet, neq; vllo loco circũſcribitur: quãquam præter has variis quoque formis conſpectus ſit à diuinis prophetis: ſed quòd oporteat verba demitti ad imbecillitatem humanæ intelligentiæ. Vnde etiam manifeſtũ eſt q́ non diſtinguatur deus corporalibus formis, ſed tẽporibus ac rebus

2. Tim. 2

rebus assimilatus est: quemadmodum & nunc, quoniam iudicij tempus imminet, dignaque retributio eorum quę quisque gessit, oculos ipsius videmus flammæ ignis esse comparatos, quę vim habeat illuminandi & exurendi: illuminandi quidē angelos ac iustos, exurendi verò dæmones ac peccatores. A

Et super caput eius diademata multa. Multa diademata indiciū est potestatis in oēs cœlestes & terrenos ac subterraneos: cœlestes quidem, puta angelicos ordines: terrenos autē, puta cōgregationes sanctorum ac sceptra quę inter reges sunt: subterraneos verò, quum mortuis quoque sicut & viuis dominatur, aduersus omnes victoriæ signa proferens. *Quod nemo nouit præter ipsum.* Ignotum esse nomen significat incomprehensibilitatem substantiæ ipsius. Siquidem iuxta dispensationes varia habet nomina, puta Bonus, Rector siue Pastor, Sol, B
Lux, Vita, Sanctificatio: & similiter per negationes, sicut Incorruptibilis, Inuisibilis, Immutabilis, Essentia innominata, soli sibi cognita & non alteri. *Veste tincta sanguine.* Vestis verbi dicitur immaculata caro tincta pretioso suo sanguine. Sed verisimile est aliquem hæsitare quomodo, quum paulò antè dixisset anonymum & omnibus nomine ignotum, hoc loco nunc verbum nominet. Aut hoc igitur accipiēdum est ad demōstrationem personæ filij & natiuitatis affectæ ex patre, quemadmodum nostrum verbum ex mēte procedit: aut quod omnium sermones in se contineat. *Et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum.* Quum supremus sit dux cœlestium C
virtutum, quemadmodum ipse dixerat Iesu Naue, merito assectatores habuit qui ad militiam complerēt ordines, eos potissimū qui nunc ad prelium irruerent aduersus impios. Hęc autē humano more disposita sunt in reuelatione, quia neque alio modo significari potuissent. Equites verò designantur & qui equis albis insident: vt equi sanè, aduētus velocitatem designent: albedo verò equorum, taliter adornet cœlestes ordines. Et certè ipsi quoque ascensores ostenduntur induti alba stola byssina: quid enim inter materialia ac terrena, aptius cœlesti ac diuinæ patriæ conspici potest? Iosue. 5.

Et de ore eius procedit gladius utrinque acutus, ut eo percutiat gentes: & ipse reget eas uirga ferrea. Et ipse calcat torcular uini furoris iræ dei omnipotentis.

 Et habet

D *Et habet super uestimētum & super fœmur suum nomē scriptum: Rex regum & dominus dominorum.*

Gladius ex ore procedens significat impiis ac peccatoribus induci supplicium iussu diuini numinis. Vtrinque verò incidit gladius, eo quòd tam ex ira quàm ex misericordia à deo procedant reproborum supplicia: acutus autem, quia cito adfert suam efficaciam. *Virga ferrea.* Ferrea virga non est ad regendum, sed ad confringendum eos qui invita lutei sunt & parati vt conterantur: quam ob caussam ergo ipsi attributum est regere? Non inconsideratè, vt opinor, sed quia probabile est quòd regendo pugnãdum sit aduersus ferinos homines, & propterea quoque virga opus est, quæ aduersariis iustè perditionem adferat. Quis autem alius quàm Chri
E stus calcat torcular vini furoris iræ dei? Ipse enim per iudicium ac retributionem voluntatem explet paternam. *Et habet super uestimentum & super fœmur suum.* Vestimentum designare vult carnē, per fœmur autem naturam carnis, quòd verè humana sit ipsa & non phantastica. Nam ad huius designationem accipitur fœmur apud scripturas. Sermonis igitur scopus est per hoc significare quòd verbum hypostaticè sit vnitum naturæ humanæ, & carnalem susceperit natiuitatem ex beata virgine, nihilominus omnipotens, vtpote cœlestium princeps & terrestrium ac subterraneorum qui imperium habuer t aduersus affectiones, & autoritatem ac robur habent aduersus peccatum ex ipsius Christi adiutorio.

F *Et uidi unum angelum stantem in sole, & clamauit uoce magna dicens cunctis uolucribus quæ uolabãt per medium cœli: uenite, congregamini ad cœnam magnam dei, ut comedatis carnes regum, & carnes fortium, & carnes equorum & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum simul, ac seruorum, & pusillorum & magnorum. Et uidi bestiam & reges terræ, & exercitus eorum cōgregatos ad faciendum prælium cum eo qui sedebat in equo, & cum exercitu ipsius.*

Demonstrant quæ proponuntur mutationem corruptibilium ad incorruptionem, & quæ veluti sub militaribus potestatibus

ceſtatibus penitus armata ſit, ac præparata ad dignam retributionem pro cuiusque operibus: ideo quoque diuinum angelum ſtantem in ſole producit, qui diuinū præceptum manifeſtiſſimè ordinet ac adminiſtret, & tanquam in luce quæ ſalutaria ſunt ſignificet & annūtiet: & quoniam diuina propoſita oraculo data ſunt, reuelatio ſolem ſupponit ipſi vehiculum: nihil autem inter ea quę videntur dicere potuit ſplẽdidius, is qui diuinum iuſſum in angelo figurauit. Præterea efficaciori rerum vtens progreſſu, operationem ipſi tradit præconis exercitus. nam hoc deſignare vult vox cum magno clamore. Cæterum in medio cœli ſunt ſanctorum animæ, quæ diſcedentes à depreſſis humi rebus, iuxta magnum illum Paulum procedunt ad occurrendum in aera. *Congregamini ad cœnam.* Cœnam vocat & non bellum, reſiſtentiam iuſtorum aduerſus peccatores, quoniam ita ſe res habet: quis enim ſufficiens eſt ad reſiſtendum forti? quòd ſi etiam bellum dictum ſit, quo ad impetum peccatorum factū eſſe dicimus, & non quo ad rem ipſam. Porrò cœna omnino dicta eſt præcedens dei voluntas, quæ & beneplacitum appellatur. & cœna optatiſſima, nempe vt omnes homines ſalui fiant, & ad agnitionem veritatis veniant. *Vt comedatis carnes regum.* Comeſtionem vocat dignam factorum retributionem, quod & Chanaan nouit immittere his qui non ſunt vnà delati. Carnes autem regum & tribunorum & fortium & equorum & aſcenſorum eorum, tropicè illa dicit circa quę toto ſtudio affecti erant, ſola hæc putantes eſſe humanæ vitæ conſiſtentiam, quæ etiam in interitum mittuntur, acceſſu delitiarum vitæ incorruptibilis. ALIO MODO. Per carnium eſum ſignificatur interitus omnium carnalium, & defectus magnificorum nominum quæ ſunt in terra. Equorum verò meminit, non quod hi reſurgant, ſed per hos, aut eos deſignat qui in fœminas exarſerunt, aut qui in malitia vixerūt, aut etiam vtroſque. Per aſcenſores verò, eos qui in prauitate exceſſerunt, quod etiam in progreſſu manifeſtauit dicens, Liberorum & ſeruorum, magnorum & puſillorum: per liberos quidem & magnos ſignificans eos qui maiori poteſtate peccant, per ſeruos verò & puſillos eos qui minus delinquunt, aut propter iudicium aut propter ætatem aut propter imbecillitatē. *Et uidi beſtiam & reges terræ & exercitus eorū &c.*

A

Coloſſ. 3.
1. Theſ. 4

B

1. Timo. 2.

C

EX MONVMENTIS ANDREAE.

In

D In descriptione quidem militarium signorum diaboli & eorum qui vnà cum diabolo in bellis militant aduersus dominum, pluraliter inducit regum catalogum, etiam recensens exercitus qui ipsis subsunt, propter peccati multiplicitatem & mētium varietatem. At in exercitu qui erat cum Christo quem equo insidentem appellat, singulariter meminit multitudinis quæ ipsum sequebatur, Exercitũ dicens, propter vnitatē voluntatis huius multitudinis, & consilij seu iudicij erga deum verbũ, & mentis erga ipsum placidę, ac rectę actionis.

CAPVT LIX.

De Antichristo, & his qui cum eo proiicientur in gehennam.

E E *T apprehensa est bestia, & cum illa pseudopropheta qui fecit signa corā ipsa, quibus seduxit eos qui acceperūt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. uiui coniecti sunt hi duo in stagnum ignis ardens sulphure. Et cæteri occisi sunt gladio sedētis super equum, qui procedit ex ore ipsius. Et omnes uolucres saturatæ sunt de carnibus ipsorum.*

Bestiam nonnulli diabolum acceperunt, alij verò Antichristum. *Et cæteri occisi sunt.* Eos post dissolutionem occidi. vocat otiosam & inefficacem habere naturam cōpositam ad malos conatus (Hoc autem simplex & incomposita non F nouit) vt ne post condemnationem quidem à consuetis abstineat, tanquam secum coeuntibus & ad quæ recursum habebat. *Et omnes uolucres saturatæ sunt.* Volucres siue aues dictæ sunt, tanquam in aere versantes: & animas ita vult appellare, quas honestis & non quibusuis operationibus nouit satietatem accipére. Fastidium enim est & molesta sanctis quæuis motio carnalis.

CAPVT LX.

Quòd Satanas ligatus sit à Christi aduentu usque ad consummationem: & de mille annis.

CAP. XX. E *T uidi angelum descendentem de cœlo habētem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua: & apprehēdit draconem serpentem*

pentem antiquum, qui est diabolus & Satanas qui seducit totum orbem, & ligauit eum annis mille, & misit ipsum in Abyssum, clausitque ac signauit super eum, ut nō seducat amplius gentes, donec cōsummētur mille anni. Et post hæc oportet illum solui modico tempore. A

Hic factam in passione narrat diaboli subuersionē, in qua eum qui fortis esse videbaī, fortior eo Christus dominus noster ligauit, nosq; qui spolia eius eramus, ab ipsius manibus liberauit, condemnato eo in Abyssum: Hoc autem ostēditur ex dæmonibus qui ipsum deprecabantur, ne se mitteret in Abyssum. Quòd autem ligatus sit, ostenditur idololatriç interitus, & subuersio templorum idolorum, ac defectus cruoris sacrificiorum, & cognitam esse diuinam voluntatem in vniuerso mūdo. Magnus autem Iustinus ait diabolū in priori Christi aduētu cognouisse, q̄ condēnatus esset in Abyssum, & in gehennam ignis. Possumus igitur, vt opinor, per ea quæ dicta sunt, etiam intelligere Christi aduersus diabolum sententiam. Angelum autem dicit talis sententiæ ministrum, vt hunc ostendat ministrantibus quoque virtutibus potētia inferiorem, frustraque insolescere aduersus principatum, qui omnibus imperat. Clauem dicit firmam & ineuitabilē detentionem eorum qui condemnati sunt: Abyssum verò, traditionem omni termino carētem: catenā autē, vim cohibēdi operationē vitiorū. Porrò Mille, non omnino rationi cōsonū est, vt certū illum numerū accipiam⁹: sed millenarium numerum significare imaginamur, aut multitudinē aut perfectionem. Mille itaq; annos aut eos qui interfluunt à Christi aduentu vsq; ad Antichristi aduētū (siue sint decies cētum, siue etiā his pauciores) non nostrum est exactè cognoscere: quia nulli mortaliū datū est cognoscere tēpora vel momēta. quæ pater posuit in sua potestate. *Oportet illum solui modico tempore.* Modico tempore. Quonam? Id tempus est aduētus Antichristi, quod ad paruam durationem cōtraxit, propter vehementiam quæ vix tolerari posset ab his, qui propter deum affligentur: de quo tempore Saluator quoque in Euangeliis ait, talem fore afflictionē, qualis nō est facta ab initio mūdi: ideo etiam abbreuiandos dicit hos dies propter electos.

Andreę. Luc. 11. Luc. 8. B Arethæ ex eodē. C Acto. 1. Matt. 24.

CAPVT

D CAPVT XLI.

De sedibus quæ paratæ sunt illis qui seruauerunt Christi confessionem.



T uidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium ipsis datum est. Et animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter sermonem dei, & qui non adorauerũt bestiam neque imaginem eius, & qui non acceperunt characterem in fronte & in manu sua. & uixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis.

Sanctos Apostolos ait se vidisse, per quos eruditæ Gentes
E doctrinæ verbo vixerunt,& vnà cũ Christo regnarunt mille annis. Itaque de mille annis dictum est. Hi ergo sancti A-
Mat.19 postoli sedebunt, veluti habet domini promissio, iudicantes duodecim tribus Israel,hoc est condemnantes: eorum enim qui eiusdem sunt generis iuxtapositione, quando diuersitas in ipsis conspicitur secundum peius ac melius,qui peiori adhæserunt,non vulgari digni sunt supplicio, quia sui generis homines non sunt æmulati rectè operando. Iudicium igitur ipsis datum esse,id est vt condemnarent:quasi non solum volentes Christum bene de ipsis meritum imitari, prophetica sequendo oracula, sed iam aduersus hos quoque progredi. Condemnari quoque dicit illos ob animas decollatorũ pro-
F pter testimonium Iesu, & propter sermonem dei, id est, qui propter fidem in deum sustinuerunt mortem ferro illatam.
Col. 3 Aut etiam figuratè ait decollatos fuisse, de his qui mortificauerunt membra sua quæ erant super terram. *Et non acceperunt characterem.* Character cognitionis indicium est,secũ-
Psal. 4. dum quod etiam de Christo dictum est: Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Quemadmodum enim super faciem expressum est lumen in signum cognoscendi amicos dei,ita in impiis impudentia in frontibus imprimitur, dum sine vlla occultatione vel pudore demonstrant quales nam sint: vtque hoc manifestius sit,absurdis suis operibus signum illud confirmant:manus enim actionem designat, quemadmodum & pes certam finitioné ac regulam,iuxta illud quod
Psal. 35 dictum est: Non veniat mihi pes superbiæ,& manus peccatoris

toris non moueat me. Quoniam ergo hi non sunt capti, neque per impudentiam insigniti malo neque per opera, merito & vixerunt & regnarunt cum Christo vsque ad consummationem seculi. Nam sicut videmus sub regibus quoque fidelibus ac principibus, hi qui adorant, etiam aduersus omnẽ corporalem imbecillitatem & dæmoniacam operationem, ostendunt datam à deo gratiam. Quoniam, inquit, non adorauerunt bestiam & imaginem eius, propterea etiam vixerunt, hoc est viuentium opera exercuerunt, * miraculorum videlicet operationes. Porrò bestiam & imaginem bestiæ & draconem, dicit Diabolum & Antichristum ac pseudoprophetam.

A

*Loquitur de tẽpore à morte usq; ad extremũ iudiciũ idq; secũdũ opinionem Græcorum.

CAPVT LXII.

Quæ sit prima resurrectio, & quæ secunda mors.

B



Aeteri uerò mortui non uixerũt donec cõsummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.

Mortuos vocat, qui in incredulitate permanserunt. Quẽadmodum enim duas esse vitas, ita & duas mortes siue mortificatiões ex diuina scriptura edocemur. Est igitur prior vita temporalis ac carnalis post præcepti transgressionem, quę vero post obseruationem præceptorum promittitur, vita æterna est. Mors quoque similiter est duplex: altera quidem carnalis ac temporalis, quæ verò ob repensionem peccatorum in futuro seculo inducitur, sempiterna est & fine carẽs, quæ est gehenna ignis. Sed & mortuorum diuersitatem cognoscimus: alij quidem fugiendi sunt, de quibus ait Propheta: Mortui vitam non videant: alij verò laudandi, qui propter Christum voluptuosas corporis operationes interimentes, mortificationem Iesu in corpore circunferunt. Porrò secunda resurrectio vniuersalis est corporum, quæ resurrectio futuri supplicij ipsis efficitur initium. Aduersus illos autem qui priori resurrectione beatificati sunt, non habet potestatem mors, quæ à peccato transmittit ad supplicium: sed erũt

C

2. Cor. 4

sacerdotes

D sacerdotes dei & Christi. Mille verò non dicuntur quę decupla centenarij numeri multiplicatione conficiuntur: sed quoniam denarius numerus primus est perfectus numerus ex vnitatibus constitutus, deinde rursum ipse denario interuallo centum cōstituit, & iterum hic per decem multiplicatus aceruum conficit millenarium, à perfecto procedens ad perfectius, merito perfectionem distinctè assignauit cōuersationi perfectissimi dei cum hominibus: non quòd omnino tanto esset annorum numero, sed hoc perfectione manifestat, vt quantumcunque esset temporis interuallum conuersationis Christi cum hominibus, hoc nequaquam imperfectioni attribueretur.

CAPVT LXIII.

E De Gog & Magog.



ET post mille annos soluetur Satanas de carcere suo: & exibit ut seducat Gentes quæ sunt in quatuor angulis terræ Gog & Magog, ut congreget eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & obsederunt castra sanctorum ac ciuitatem dilectam. Et descendit ignis de cœlo à deo, & deuorauit eos: & diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia &
F *pseudopropheta sunt: & cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.*

Mille annos, nempe tempus ab aduentu Christi vsque ad Antichristum, quo soluto inducit deinceps & Gentes & loca orbis, quibus ille suam familiarē ostendet imposturā, † & per quos & secundum quos tanquam duces cruentos bellū hoc constituatur. Gentes itaque dicit illos, qui facile patent deceptioni: loca verò eos qui partē sub cœlo incolunt, quos etiam quatuor terræ angulos nominat, quatuor orbis fines ita vocans, à solis lationibus ita appellatos, & appropriatione quarundam stellarum. Quoniam igitur hæ Gentes sunt cum quibus bellum vnà conficiendum est, & à quibus vires sumēdæ, & hæc regio in qua iam etiam præeuntes inducit Gog & Magog

† καὶ πρὸς τίνων καὶ κατὰ τίνων ὡς ἀφηγουμένων ὁ πόλεμος οὗτος συσταίη.

& Magog veluti belli dux: quem & Iezeciel prophetat postremis temporibus venturum cum potestate graui. Sed Iezeciel quidem aduersus Ierusalem, præsens autem reuelatio ad vniuersi orbis desolationem. Hos autem quidam dicunt Scythicas esse gentes aquilonares, quæ frequēter à suis quoque gentibus sese transmutarunt, & eos in quos irruunt perdiderunt, atque toties ab horum incursu aiunt perditam esse Scythopolim Palæstinæ ciuitatem, vt inde nomē acceperit. Præterea quandam Gotthorum aciem circa partes Asiæ ac bellicosam multitudinem aiunt ita vocari, & Thaiphalos ac Gotthogræcos, quos communi sermone vocam⁹ Hunnicos, quouis autem vicino regno potentiores esse dicunt ac bellicosiores: Diuina verò manu prohiberi ne mundo imperent vsque ad diaboli solutionem, quemadmodum hic prænuntiatur. Quidam verò Gog ex Hebraica lingua interpretantur Collectum aut collectionem, Magog verò, Eleuatum: vt per vtrunque tam collectionem videlicet quàm eleuationē magnum & ingens malum manifestetur adferre huius Gentis irruptio his in quos fit irruptura, vt iam dixim⁹. Prædictum tempus mille annorum nōnulli tres annos cum dimidio à Christi baptismate vsque ad ipsius in cœlum ascensum, nescio quo modo, acceperunt, post quos solui diabolum intellexerunt. Alij verò post completionem sex millium annorum primam mortuorum resurrectionē solis dari sanctis dixerunt, vt in terra hac in qua tolerātiam exhibuerunt, delitiis ac gloria fruantur mille annis: & post hoc vniuersalem fieri resurrectionem non iustorum tantum, sed & peccatorū. Itaque quum nihil horum ecclesia receperit, vanum etiam est id dicere. Nos igitur quum dominum audiamus dicētem Sadducæis, quòd sicut sunt angeli dei in cœlo, ità erunt & sancti: quum etiam dixerit Apostolus, Regnum dei non est cibus & potus: euangelicæ prædicationis durationem, mille annorum tempus accepimus. Nam veluti antea scriptum est, non est necesse eo numero intelligere mille annos. Neque enim illud quod in Canticis dictum est, Afferet pro fructu eius mille argenteos: rursumque à Solomone, Mille tui pacifici & ducenti his qui custodiunt fructum eius, hunc significauit numerum, sed multitudinem & fructificationis perfectionem: quemadmodum & hic fidei fructificatio in perfectione

Ieze. 38
A
B
Andreæ in mille annos.
C
Mat. 22
Rom. 14
Cant. 8

D perfectione significatur, post quã homo perditiõis, filius iniquitatis veniet, vt iudicentur omnes qui nõ crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati iuxta Apostolum & iuxta dominicũ oraculum quo dixit: Ego veni nomine patris mei, & non recepistis me: alius veniet nomine proprio, & illum accipietis. Tunc ergo, vt dictum est, solutus Satanas de carcere suo, seducet omnes gentes: & Gog & Magog mouebit ad bellum ad orbis desolationem. *Vt congreget eos in praelium, quorum est numerus sicut arena maris.* Quemadmodum è cauernis ferae syluestres, ita è suis locis, inquit, à diabolo eiusque daemonibus pugnantes in terra dilatabuntur: & castra sanctorum ac dilectam ciuitatem, ecclesiam nempe vbiubi congregatam obsidebunt, & comprehendentes expugnabunt. Attamen non post longum tempus peribunt: siue igni visibili, sicut duo duces quinquaginta virorum sub Elia: siue etiam glorioso Christi aduentu & spiritu oris eius, qui in modum ignis subuertentis facileque syluas aggredientis, & ipsos impios & ducem eorum diabolum deuorabit.

2.Thes.2 Iohan.5 E 4.Reg.1

CAPVT LXIIII.

De sedente in throno & communi resurrectione ac iudicio.

E T *uidi thronum magnum candidum & sedentem super eum: à cuius conspectu fugit terra ac coelum, & locus non est inuentus eis.* Et *uidi mortuos pusillos & magnos stantes in* F *conspectu throni: & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est uitae: & iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris secundũ opera ipsorum.* Et *dedit mare mortuos qui in ipso erãt, & mors & infernus dederunt mortuos qui in ipsis erant: & iudicati sunt singuli iuxta opera sua.* Et *mors & infernus coniecti sunt in stagnum ignis.* Hæc *est mors secunda, stagnum ignis.* Et *quisquis non est inuentus in libro uitae scriptus, coniectus est in stagnum ignis.*

Candidus quidem est thronus, quoniam pura est à nigredine peccatorum quae in tenebris peraguntur omnis operatio san-

tio sanctorum, in quibus sedet deus: magnus verò, quia talis quoque est qui in eo sedet, de quo etiam canebat Dauid Magnus dominus noster. *A cuius conspectu fugit terra.* Fuga cœli & terræ non localem significat mutationem quò enim progrederentur? sed fugam dicit & transitum à corruptione ad incorruptionem, & postremum domini aduentum: in quo nostrum mortale corpus induet incorruptionẽ, & renouabitur facies terræ. *Et uidi mortuos.* Mortuos aut omnes dicit homines, eo quòd corporis mortificationem passi sint, aut mortificatos peccatis. Magnos autem & paruos, aut eos qui iuxta ætatem tales erant, aut eos qui mortis siue mortificationis opera plus aut minus fecerunt, & iuxta eorum proportionem quæ operati sunt punientur. Magnos quidem dicens iustos, paruos autem abiectos peccatores, propter vilitatem operum animæ. *Et dedit mare mortuos qui in ipso erant.* Enarrans quomodo finalis ac vniuersalis erit resurrectio hæc recenset. Quoniam enim nonnulli increduli ipsam futuram esse dicunt, sic quòd non possit fieri in eisdem corporibus, quæ à seculo corrupta sunt & esse desierunt, hoc nunc corrigens sermo iste dicit, quòd quemadmodum corpora ab initio cœperunt esse, non casu aut ex seipsis, sed ex quatuor elementis, aqua, igne, aere, terra: ita rationabiliter rursum in illa resoluta, ex his rursum compositionem recipient. Quoniam autem hoc etiam rursum concursum parit earum, quæ prius fuerunt partium ad subsistentiam hominum: propterea dicit mare, siue aquæ substantiam effudisse humorem qui ad se peruenerat· mortem autem vocat terrenam substantiam, quoniam de ipsa quoque dictum est, In puluerem mortis deduxisti me: quis verò mentem habens ignorat puluerem esse terram? Infernum autem dicit aerem, eo quòd figuram non habeat propter essentiæ raritatem: similiter & ignem. Porrò ᾅδην vocat, quia quoscunque susceperit, iniicit εἰς ἀΐδιαν καὶ ἀφάνειαν, id est, in æternitatem & interitum. *Et mors & infernus.* Mortuos & infernum vocat eos qui digna supplicio operati sunt, tanquam tubam secundæ mortis explentes.

Marginalia: A; Psal.145; 1.Cor.15; Psal.103; B; C; Psal.21

CAPVT LXV.

De cœlo & terra nouis, supernaque Ierusalem.

I *Et uidi*

D
Cap.XXI T *uidi cœlum nouum & terram nouam: prius enim cœlum, & prior terra abierunt, & mare non est amplius. Et uidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cœlo, à deo paratam sicut sponsam ornatam uiro suo. Et audiui uocem magnam de cœlo dicentem: Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse deus cum eis erit. Et cessabit omnis lachryma ab oculis eorum: & mors non erit amplius neque luctus neque clamor,*
E *neque labor erit amplius: quoniam prima abierunt.*

Prius cœlum & prior terra abierunt. Hoc ait non creaturę significans interitum, sed renouationem in melius: quod e-
Psal.101. tiam sanctus Dauid dulci cantu cecinit, dicens omnes in modum vestimenti veterascere, & tanquam amictum inuolui & immutari. Siquidem inueterata res quæ renouatur, non substantiæ accipit interitum, sed vetustatis ac rugarum auulsionem. Animaduertendum quoque est, quòd de cœlo & terra dicit quòd abierunt, non quasi esse desierint, sed transierint (nihil autem eorum quæ transeunt ab vno ad aliud, statim iam omnino perit, sed reformatum est transitu ex hoc in illud) abierunt quidem ea quæ prius sibi contigerant, &
Andreę. ea susceperunt ad quæ sunt immutata. De mari verò dicit,
F quòd mare non est amplius quæ enim necessitas est maris, quum homines eo non egeant ad nauigandum, aut vt per ipsum suppeditentur vecturæ eorum quæ adducũtur ex regionibus lõge sitis, vbi coluntur seu parantur? *Et mare nõ est amplius.* Si mundus hic sensibilis non aliud est quàm congregatio & coadunatio ex cœlo & terra & intermediis, vtique cœlo & terra renouatis, vt iam in medium protulimus, omnino etiam ea quæ huiusmodi congregationem complent, non erunt expertia renouationis. Quare igitur solum mare quod in medio creaturarum est, non solum renouatione frustratum est, sed & ipsa existentia? Si autem dicat quis, quòd quum non sint qui in eo nauigent, non est necesse illud appellare quod nunc est: rectè quidem: verum finere

nere ipsum venire ad absolutum interitum, est renoua- A
tionem ex dimidia parte efficere. quid igitur ad hoc dicendum est? An vtique illud, quòd quia dei progenitor mari hunc mundum assimilauit, necessariò, nē quis ad cœli & Psal.103
terræ renouationem etiam mentionem faceret de turba quę in ipsis est, per absolutum maris interitum iuxta tropologiam Dauid illa notauit & accepit, quasi incassum etiam hoc in renouatione esset addendum? *Et uidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam.* Olim, inquit, Ierusalē sanctissimum tabernaculum existimabatur, in qua & templum & omnia diuinæ cognitionis mysteria erant recondita, hæc autem nunc non abs re noua dicitur, quatenus illa per aduentum domini vetustate sunt abolita: necesse est itaque nouam Iesuralem re- B
nouatione vniuersi apparere, & de cœlo descendentem, vnde nouus apparuit dominus Iesus Christus. Ierusalem itaque noua propter hoc dicitur: ciuitas verò, tanquam futurum habitaculum cūctorum angelorum & hominum. A deo autem parata: quid enim posset quispiam præstare quod sibi ad salutem cederet, si expers sit auxilij quod à deo est? Moraliter verò etiam magnificè tanquam sponsam adornauit, vt ex sensibilibus ad intellectualem sanctorum beatitudinem ac conuersationem transferamus mentem nostram.

Et ipse deus cum eis erit. Hoc manifestius significans Apostolus, dixit: Nos qui viuimus qui relinquimur, rapiemur 1.Thes.4
obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus. In hoc igitur tabernaculo, non manufacto, non erit fletus neque lachryma, quæ mortali vitæ cognata sunt: neque labor, sanctorum afflictionem dico, quam in flagitiosa & la- C
boriosa hac vita sustinuerunt: in futura autem vita quum immortalis sit, fugit luctus & dolor ac gemitus: & ita otiosa erunt hæc omnia & superflua. *Quoniam prima abierunt.* Primá quæ à transgressione Adam corruptionem comitabantur, siue molesta ac dolorosa quæ in amicis dei propter virtutem abundant, siue propter superbiam ac insipientiam impíos ac temerarios consequuntur, omnia abierunt.

CAPVT LXVI.

De his quæ dixit is qui uisus est in throno sedens.

D E

ET dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et ait mihi: Scribe, quoniam hi fideles & ueri sermones dei sunt. Et dixit mihi: Factus sum ego α & ω, initiũ & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ uiuæ gratis. Ei qui uicerit dabo hæc: & ero ipsi deus, & ipse erit mihi filius. Timidorum autẽ & incredulorũ & peccatorum & execratorum & homicidarũ & scortatorum & ueneficorũ & idololatrarũ & omnium mendaciorũ pars erit in stagno ardẽti igne & sulphure, quod est mors secũda.

E Thronus dei sunt hi qui seipsos virtutibus cõstituerũt sedem ac vehiculum ipsius, de quibus etiam dicit ipse qui in eis sedet: Inhabitabo in illis & inambulabo. *Quoniam hi fideles & ueri sermones dei sunt.* Ne existimes ô Iohannes quę tibi dicta sunt de magna innouatarum rerum mutatione, tanquam per hyperbolen imaginationis subesse fallaci alicui euentui: adeo enim vera sunt, vt etiam tibi præcipiam, vt hæc scripturæ commendes, ne obliuioni tradatur quòd contingent. Veri enim & fideles sunt sermones, tanquam ab eo qui verè est veritas prolati. Principium autem & finis est Christus, qui etiam α & ω sibi vendicat. Principium, tanquam primus propter diuinitatem: finis verò, tanquam à prima incorporea creatura vsque ad postremos homines su-

F am extendens prouidentiam. Fit autem promissio, quòd sitienti dandum sit de fonte aquæ viuæ: sed sitienti iustitiam, sicut etiã dicit Christus: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã, quoniam ipsi saturabuntur. De fonte verò aquæ viuæ sitis refocillatio promittitur, qui fons non est alius quàm Christus. Gratis autem huiusmodi aquæ suppeditatio promittitur. Verum quum alibi dicat, viam quæ ducit ad vitam labore & violentia magna inueniri, quid hic designat τὸ δωρεὰν, id est gratis? an quòd non possint temporalia conferri æternis? de quibus ait & Paulus, Non sunt condignæ afflictiones præsentis temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur erga nos. *Timidorum autem & incredulorum, &c.* Timidos vocat eos qui vltronea imbecillitate declinant ad præsentis seculi

Marginal references: 2.Cor.6; Leui.26; Matth.5; Mat.7.11; Luc.16.; Roma.8.

culi voluptates, eo quòd nihil virile eligant vt ferant, & ita veluti nauseæ dissolutionem in mulieribus vituperat. Omnium autem mendaciorum dicit, & non Mendacium, vt vox illa comprehendat etiam efficaciam in operando. Circa quę enim alia studium adhiberet is qui mendax est, nisi ad mendacia & ea quæ naturalem corrumpunt pulchritudinem fucatis ac fraudulentis irritationibus? A

CAPVT LXVII.

De angelo qui ostendit ipsi sanctorum ciuitatem, & dimensus est murum ac portas ipsius.



T uenit unus de septem angelis qui habebãt septem phialas plenas septem plagis nouissimis, & loquutus est mecum dicens: Veni, ostendam tibi mulierem quæ est sponsa agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum & sublimem. Et ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cœlo à deo, habentem gloriam dei. Et luminare eius simile lapidi pretiosissimo, tanquam lapidi Iaspidi crystallizanti. Et habebat murum magnum ac sublimem. B

Quos antea vltores induxerat, nunc ediuerso proponit tanquam medicos, qui interdum quidem duri accedunt ad incidendum, quandoque verò lenia apponunt medicamina. Nam is qui tunc merentibus plagam inducebat, nunc beatitudinem ecclesię sanctorum ostendit. Plagas autem dicit nouissimas, non ꝙ temporis extremam partem habeant, sed ꝙ afflictionis ac læsionis robur inferre possent. Sponsam verò agni rectè dicit mulierem: quãdo enim vt agnus occisus est Christus, tunc ipsam proprio sanguine desponsauit. Quemadmodum nanq; dormiente Adam formata est vxor per ablationẽ costæ à latere, ita & Christo in cruce voluntariè per mortem dormiente, per sanguinis de latere effusionẽ, cõiuncta ecclesia ei qui pro nobis patiebatũ, despõsata est. *Et sustulit me in spiritu.* Rectè dicit in spiritu. Neq; enim mens aliqua humana sine spirituali gratia sublimata est, vt sanctorum gloriam comprehenderet. Merito autem supramũdana san- C

D ctorum vita & cōuersatio in mōte magno ac sublimi ostēdebatur. Nihil enim apud ipsos terrenū vel humile & abiectū, sed omnia sublimia & excelsa. *Et ostendit mihi ciuitatē sanctam Ierusalē descendentē de cœlo.* Ab ænigmatum obscuritate vidit euangelista legalem cultum descendere nō locali descē-

Luc.10 su:quia neq; inducendo descēdentes ab Ierusalē iuxta euangelicam parabolā, localis traditur descensus, sed trāsitus cognitionis diuinorū dogmatum. Hic autē quoniam deus gloriæ etiam assumitur, ad nihil humile est descensus, sed obscuritatis & occultationis manifestatio, quæ non humana irruptione conficitur vt in castris, sed dei auxilio. *Et luminare eius.* Luminare dicit Christum: lapidi autem pretiosissimo assimilatur luminare, quia & lapidi Iaspidi comparatur mu-

E rus cœlestis Ierusalem. Est autem Iaspis viridis, manifestans Christi prouidentiam esse frugiferam ac dare vitam hominibus, cuius munitio est murus ex Iaspide cōfectus, qui etiā visibilis est hominib⁹ sicut & sensu cōprehensus. Murus itaque visus est ex Iaspide lapide cōpositus propter coloris viriditatem. Viride enim gramen præit omne terrenum alimē tum. Quin & crystallizans Iaspis muri, designat ipsum continere puritatem & carere reprehensione. Præterea sublimē dicit murum & altum: neque enim altissimo gratum est in humilibus & abiectis habitare, sed in his quibus sublimes sunt sensus & cœlestem habentes sanctimoniam. Species autem luminaris pretiosissimo quidem lapidi comparatur, non tamen qualis fuerit aspectus ostenditur: quia neque morta-

F libus & corruptibilibus rebus designari possunt quæ diuinissima sunt & sensui nequaquam subiecta.

Et habebat portas duodecim, & in portis angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab oriente portæ tres, & ab aquilone portæ tres, & ab austro portæ tres, & ab occasu portæ tres. Et murus ciuitatis habebat fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni.

Nullum ex his durum intellectum ad explanationem trahi necesse est. Quando enim numerus aperte designat Apo- stolo-

ſtolos domini,ipſe portarum vſus, nempe φ introducant ad conclaue vitæ,apoſtolos ipſius repræſentat, per quos Gẽtes ad Chriſti conclaue introductæ ſunt Angelos verò duodecim in portis conſtituunt, quos interpretati ſunt apoſtolos, per quos nobis introitus & ad patrẽ acceſſus præparatur cooperatione angelorũ,qui pari numero ſiut cũ his præfectis: aut poti' eorũ angelorum qui ſegregati ſunt ad gubernationem duodecim tribuum Iſrael,iuxta cognationẽ in ſanctitate fundatã.Et meritiſſime ita dicitur.Si enim perſuaſum nobis eſt,cuiq; fidelium deſignatum eſſe angelũ, multo magis fundamentis eccleſiæ & euangelici verbi ſeminatoribus cõſentaneum eſt angelos eſſe adiutores ad euangelicã prædicationem. *Et nomina inſcripta.* In cultu quidẽ Moſaico præceptum erat vt in ſuperhumerali inſcriberentur nomina patriarcharum,in teſtamẽto autẽ domini Ieſu,nomina noui Iſrael in portis inſcribuntur,hoc eſt in his qui introducunt,de quibus etiã dictũ eſt:Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: nomen dicẽs myſterium fidei in Chriſtum, quod non ad ineffabile ſecretum,ſed vt omnibus manifeſtum fiat,pollicetur proponẽdum.Cõformiter autem ad numerum tribuũ filiorũ Iaacob ſunt & portæ, quia neq; per fidẽ in Chriſtum abolita ſunt vniuerſa quæ veteris erant teſtamenti,ſed quatenus infantilia ſunt virili ſtatu infirmiora. *Quæ ſunt nomina duodecim tribuũ filiorũ Iſrael.* Quum fideles vocaſſet Iſrael, permãſit in numero cõplementi ipſorum:nã vbi duodecim tribus dixit, quas etiã ternario diuiſas eſſe per quadripartitã mundi figuram, & æquales eſſe numero cum diſtinctione ſigni crucis triplicata manifeſtum eſt: vbi etiam nomina quæ in partem ſegregata ſunt definiuit,horum ſingula tribus rurſum portis ſortita eſſe introitum deſcribit. Neq; enim poteſt quiſpiam obtinere diſciplinã domini crucifixi, niſi illud ſortiatũ quod ad diuiniſſimam trinitatem initiat.Diuini ſiquidem apoſtoli acceptis omnibus mundi terminis, conſubſtantiali trinitate Gentibus prædicata, baptizarunt eas in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. *Et in ipſis duodecim nomina duodecim apoſtolorũ agni.* Recto nunc ordine duodecim apoſtolos manifeſtauit,quoniam ſcopus erat duodecim apoſtolos ſignificare, quos & portas & fundamenta dicit.Fundamẽta, vt qui fidei in Chriſtum baſim ac fundamentum collocauerint: portas

A, B (Exo.28., Pſal.21.), C — marginal letters and references.

D veró, quòd per ipsos siue per ipsorum prædicationem inueniatur iam introductio fidei in Christum.

Et qui loquebatur mecū habebat mensurā arundinē auream, ut metiretur ciuitatē & portas eius & murū eius. Et ciuitas in quadro posita est: & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo. Et mensus est ciuitatem arundine per duodecim millia stadiorū: & longitudo & latitudo & altitudo eius æquales sunt. Et mensus est murum eius centū quadragintaquatuor cubitorum, mensura hominis quæ est angeli, & erat structura mu
E *ri ipsius Iaspis.*

Arundo qua ciuitatē dimetiebatur, geometrica erat: aurea. verò, propter honorem & angeli qui metiebatur, & ciuitatis quæ mēsurabatur. Porrò hominis specie hæc visa sunt, quia neq; alio modo hæc videri poterant in natura sua, quum diuina sint. Ciuitas verò mysterium est de Christo, ad quod introducere portis datum est, quia per prædicationē manifesta fit fides in Christum. *Et ciuitas in quadro posita est.* Muri ac ciuitatis figura quadrangularis erat, & similiter portarum duodecim. Quum enim ciuitas quadrāgularis esset, per figurā crucis ex diametro diuidebatur. Vnde & quatuor latera ternis portis rectè partitū habebant ingressum, quemadmo-
F dum prædiximus. *Per duodecim millia stadiorū.* Aequali numero cum sanctis apostolis sunt millia stadiorū. quādoquidē prædicationis eorum fructus est in futurum reposita quies, quū æqualis fit mensuræ iuxta singulas dimensiones: & virtutes vitæ quæ secundum deum est, id habent vt proportio-
Phil. 4. natæ sint, iuxta diuum Paulum qui nouit & humiliari & superare, & saturari & esurire. Et hic numerus duodecim apostolorum emphasim habet. Duodenarius enim numerus in seipsum multiplicatus centum quadragintaquatuor efficit. Vbi vero dixit mensurā centum quadragintaquatuor cubitorum esse mensurā hominis, subiungit ꝙ mensura hæc est angeli. Quanquā, inquit, iuxta id quod hominibus apparet per cubitum prolata est hæc mēsura, nemo tamen existimet hominem fuisse qui mensus est, sed angelum humano more

vsum

vſum menſuratione, & non angelico per ſimplicem naturæ A
vim & intelligentiam. *Et erat ſtructura muri ipſius iaſpis.* ἐνδόμησιν ſtructuram ſiue ædificationem dicit, hoc eſt ſtudium ac diligentiam apoſtolorum circa prædicationem. Iaſpis autem vireſcens curſum euangelij deſignat, qui ſemper virentem ac immarceſſibilem ſeruat prædicationem.

Ipſa verò ciuitas aurum purũ ſimile uitro puro. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum Iaſpis, ſecũdum Sapphirus, tertiũ Chalcedonius, quartũ Smaragdus, quintum Sardonyx, ſextũ Sardius, ſeptimum Chryſolithus, octauũ B
Beryllus, nonum Topazius, decimum Chryſopraſus, undecimum Hyacinthus, duodecimum Amethyſtus. Et duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt.

Viuifica prædicatio habitaculũ ducit beatæ & perpetuæ vitæ, quæ ciuitas ſiue habitaculũ puro auro cõparatur, ob ſuſceptũ ſplendorẽ puro vitro aſſimilatum. Porro fundamenta muri ciuitatis omni lapide ornata ſunt. Lapidibus pretioſis deſignat virtutes diuinorum apoſtolorum, quos etiã fundamenta ciuitatis appellat. Quum autẽ duodecim fuerint lapides in rationali põtificis, octo ſolũ ex illis ordinat inter fundamenta, quatuor vero immutat: vt ex his & cõſonantia veteris teſtamẽti ad nouũ appareat, & excellentia noui ac eorũ quæ in eo refulſerunt in cõparatione ad vetus. Apoſtoli igitur omni virtute ꝑ lapides pretioſos repręſentata adornati ſunt. Exo.28. C

1 Primus eſt Iaſpis. Per Iaſpidem colore vireſcentẽ in modũ Smaragdi, veriſimile eſt Coryphæum Petrũ ſignificari, qui ante paſſionẽ domini in cunctis ad ipſum factis domini interrogationibus ſemper vireſcebat ac iuuenem agebat. Captus eſt igitur pallore prętimore circa paſſionẽ magiſtri deuictus, adeo vt ad negationem vſq; perueniret: rurſus tamen eodẽ in reſtituto cõtinuo virore adiut⁹, & ipſe fluxu lachrymarum liberat⁹ eſt à ſiti mortifera: & nos in loco viroris per aquã ſalutaris baptiſmi excepit hoſpitio. Pſal.22.
2 Secundus eſt Sapphirus. Hic coloris dicti Calaini, quem nõnulli Venetum dicunt, cœleſti colori aſſimilatur, ſiue aeris profunditati quæ cœleſte corpus obumbrat: & licet hoc ſenſu comprehendi

poſſit,

†Hoc est Aristotelem. D possit, non tamen iuxta † Stagiritem quinti corporis naturā aliquam efficit. Et quanquam hoc non sit possibile sensu visus nostri à longinquo exactè diiudicāre, obumbrāte nescio quo velaméto, attamen colorem manifestare nititur, secundum fundamentum Sapphiro assimilans: qui Sapphirus cœlesti corpori assimilatur, eo modo quo iā dictum est: ex quo Sapphiro aiunt fieri colorem ceruleum. Huic lapidi æquum est beatum Paulum comparare vsque ad tertium cœlum as-
3 sumptum, & inde eos attrahentem qui sibi credunt. Tertius est Chalcedonius. Hic in sacerdotali rationali non defertur, sed Carbunculus qui hic non ponitur. Consideran-
E dum est igitur ne quando Carbunculum ita vocauerit. Porrò ἄνθραξ, id est Carbunculus, est beatus Andreas, tanquam in caligine vitæ legalis & ipse, sua luce nactus quæsitū Messiam, & sibi notis significans ac demonstrans. Præterea Chalcedonius lapis, quanquam alius sit, similis tamen est coloris cum Carbunculo: ita dictus quòd circa fretum Chalcedonis supra Chrysopolim iuxta Symplegades scopulos, in locis inaccessis extra hos positis, népe in saxis ac scopulis desertorum litorum, cum aliis lapidibus pretiosis inueniatur, veluti dixerunt ij qui de rebus patriis Bithynorum scripse-
4 runt. Quartus est Smaragdus. Per Smaragdum, qui viridem demonstrat colorem, & splendorem ex eo susceptum,
F ac venustatem, Iohannis euangelistæ prædicationem significari arbitramur, qui diuina misericordia exhilarat certam in
5 nobis ex peccato tristitiam. Quintus est Sardonyx. Per hunc Iacobum Zebedæi designari credimus. Quemadmodum enim hic lapis sanguineum refert colorem, ita quoque & hic sanctus inchoata splendida & candida ac diuina prædicatione, cursu per sanguinem peracto in modum magistri sui Christi, ad cœlestem & perpetuæ vitæ quietem plenámque lumine transmittitur.
6 Sextus est Sardius. Hic fuluo colore prosiliens, Philippum propter ignitum erga Christū affectum demonstrat. Quemadmodum enim hic lapis virtutem habet curatiuā vlcerum carnis & vulnerum ferro inflictorum, ita quoque decor virtutis Philippi subingreditur.
7 Septimus est Chrysolith⁹. Pretioso Chrysolitho Bartholomæus assimilatur, resplendens & hic aureo virtutum splédore: non tamen sic vt in modum auri liquefiat aduersitati-

bus, sed

bus, sed magis lapidea firmitate stabilem ditans prædicatio- A
nem. Octauus est Berillus. Thomas huic comparatur, qui 8
lapis maris ac Hyacinthi colore, & illius ad fidem instabili-
tatem depingit, & maximè Apostolatum ac legationem in
longinquam patriam, nempe vsque ad Indos & per mare
perfectam. Nonus est Topazius. Topazius ruber & spe- 9
cie carbonis ac candidum aspectum relinquens auxiliando
ægris oculis, diuum Matthæum assimilatum habebit, diui-
no zelo ignitum, vt etiam dei incarnationem describeret vs-
que ad carnem & sanguinem ac lactationem: per quæ eos
qui cor habebant excæcatum fidémque infantilem, eos in-
quam qui eruditi erant in conuersatione secundum legem, B
ad statum virilem qui secundum Christum est subduxit.

Decimus est Chrysoprasus. Hic Thaddæo reponitur, qui 10
Angaro regi Edeses fidem Christi euangelizauit, quæ ab au
ri specie sic appellatur, & inde sibi pretium ambit, neque
Prasij coloris expers est: siue designante reuelatione quod
per fidê in Christum oritur mortificatio ad ea quæ sunt af-
fectuum, siue perpetuam vitam innuente, eo quod Prasius
color siue Marrubium semper vireat. Vndecim⁹ est Hya- 11
cinthus. Huic qui cerulei coloris est siue aerem referentis
Simon Zelotes assimilatur, † figuram quidem gerens conti- † Quãquã
nuè errantis turbæ zelantium siue amatorum aut inuido- habuerit
rum (ideo etiam veluti aerem ac ventum mente sequens) at- C nostrũ
tamen per veritatis cognitionem, quanquam sero, zelum ad exemplar
id quod optimum est accômmodans. Duodecimus est A- 12 χρη-
methystus. Hic fuluo colore Mathiæ merito segregabitur, ματίζωμ,
qui vnà cum vndecim particeps fuit visionis à cœlo fluentis arbitror
cum ignito rore: propter quod dementes suspicati sunt illos tamen le-
temulentia oppletos, quanquam omnem sobrietatem affe- gendũ χη
ctu excederent. Ideo quoque Amethysto assignatus est, quia ματίζωμ
Amethystum præferens sparso ebrietatis rumore nequaquã .i. figurãs.
vinci potuit.

Singulæ portæ ex singulis margaritis. Et platea ciuitatis aurum purum tanquam uitrum pellucidum. Et templum non uidi in ea: Deus enim omnipotens têplum eius est & agnus. Et ciuitas non eget sole neque luna

D *que luna ut luceant in ea: nam gloria dei illuminauit
illam, & lucerna eius est agnus. Et ambulabunt Gẽtes
per lucẽ eius, & reges terræ adferent gloriã suam, &
honorẽ in illam. Et portæ eius nõ claudẽtur per diem:
nox enim non erit in ea. Et adferent gloriã & honorẽ
Gẽtium in illam ut ingrediantur: & non intret in illam
quicquid inquinat & abominationem facit & menda-
cium: sed soli qui scripti sunt in libro uitæ agni.*

Margaritis sanctos Apostolos assimilauit, & in singulis ip-
sorum rem admirandã: nõ quòd vitę candorẽ demonstraret,
sed iam etiã magnitudine & altitudine conatuum inducerẽt
E stuporem. Plateam verò ciuitatis siue beatæ habitationis lati
tudinem ac vitæ durationem auro comparauit. *Et ciuitas nõ
eget sole neque luna.* Cunctis sensibilib⁹ aboletis, meritò quo
que sol & luna abolẽtur: vtpote omnib⁹ quę in illo statu sunt
spiritualiter resplẽdẽtibus. *Nox enim nõ erit in ea.* Præterea
neque nox ibi erit, in qua securitas claustris ac repagulis quę
ritur: quia ibi diuinę portę, quas Apostolos esse diximus, effi
caces erunt ad introductionẽ siue instructionem eorum quę
perfectiora sunt: quum enim perpetuus sit dies in quo lucis
opera peraguntur, quomodo possibile esset illuc nocturnum
otium irrepere, vbi nox omnino nõ erit? Duplex est autẽ in-
tellectus. Aut enim hoc significare vult quòd pax erit & se-
F curitas, vt neque ciuitati opus sit ponere custodiã claudẽdo
portas: aut quòd ibi quoque diuinę portæ doctrinę Aposto-
licę omnibus apertę sint, ad instructionem eorum quę perfe
ctiora sunt. Dies autem erit ibi, & non nox, quia hęc ad pec
catores relegabitur. *Et adferẽt gloriam & honorem.* Qui ter
renos deuicerunt affectus, ferent gloriã auxiliatori deo. Nul
lum enim egregium facinus hominibus contingeret absque
diuino auxilio. Porrò quos superius dixit Reges terrę, nunc
dicit inducentes gloriam & honorem Gẽtium. Quid autem
per hæc significat? Aut quòd hi qui affectus ad terrena alli-
cientes superarunt, suo exemplo cæteris quoque Gentibus
introductionem ad supernam Ierusalem pręstiterunt, cuius
exemplum sunt gloria & honor: aut, ad gloriam & hono-
rem Gentibus profuerunt.

CAPVT LXVIII. A

De fluuio puro qui uisus est ex throno procedere.

ET ostēdit mihi fluuiū purū aquæ uiuæ, splē- didū tāquam cryſtallū, procedētē de thro- no dei & agni in medio plateæ eius. Et *ex utraque parte fluuij lignū afferens fructus duodecim, per mēſes ſingulos reddēs fructū ſuū: & folia ligni ad medelā* Gētiū. *Et omne maledictū nō erit amplius, ſed thronus dei & agni in illa erit: & ſerui eius ſeruient illi, & uidebūt faciem eius: & nomen eius in frōtibus ipſorum,* Et *nox non erit ibi: & non egent lucerna nec luce ſolis, quoniā dominus deus illuminat illos.* Et *re- gnabunt in ſecula ſeculorum.* CAP. XXII. B

Duplicem nouimus fluminis vtilitatem, nempe ſitis refo- cillationē & ſordium purgationē. Vtriuſq; plena adeptio eſt in vita quę eſt iuxta euangelij Chriſti prędicationem. Nā & ſitim refocillauit: prophetarum qui fuerāt ante Chriſti aduē tum & dicebant, Sitiuit te anima mea, & eos qui ſacro & effi- caci baptiſmate lauantur, expiando purgauit. Et ꝙ euangeli ſtæ ſcopus ſit vt fluuius referat baptiſma, hinc idoneū eſt ar- gumentum ad confirmādū, ꝙ ipſum procedere ſupponit de throno dei & agni, & diffluere in medio plateæ, euangelicæ videlicet prædicationis. Neq; enim poteſt quiſquā in ſuper- nam ingredi Ieruſalem, iuxta domini vocem, niſi qui ſuper- nè regeneratus ſit per aquā & ſanguinem. *Et ex utraq; parte fluuii.* Ex vtraq; parte euāgelicæ prædicationis, ex hac qui- dem ſecundum præſentem vitā, ex illa verò ſecundum futu- rum ſeculum. Lignum autem vitæ diuinā vocat ſapientiam. Huius autē ligni eſt doctrina Chriſto adhærens, quæ à præ- ſenti fœlicitate ad futurā beatitudinē occurret. Quæ eſt au- tem præſens fœlicitas? Decenter & opportunè tractare diui- nas virtutes, & non intempeſtiuè aut prǽſumptuoſè ineffica- ci ſtudio vanas efficere. Aequali autē numero cum laboran- tibus eſt & opportuna tractatio, quia neque prolongare, ſed præuenire potius tempus ſolutionis oportet erga operarios qui faciant ordinatè dirigi ſingula in ſapientia. Ad hęc folia Pſal.62. Iohan.3. C

D quoque ligni ad sanitatẽ Gentium ait denuntiari siue vaticinio prædici. Et quid per hæc vult proponere? Scimus sanè folium esse, fructus operimentum adornans: & ex hoc intelligimus, quòd perfectiora secundum deum opera, & per crystallinam pellucentiam circunfulgentia, perfectissimis virtute ad examinationem committuntur: siquidem potẽtes potenter examinabuntur: quęcunque verò alimentũ fructuum non participant, sed plantam solũ assumunt in signum quòd mortua non sint, ad medelam Gẽtium assignantur, his enim ad Christi obsequium accedentib', superfluum foret in ipsis exactè indagare. *Sed thronus dei & agni in illa erit.* Qui dilectis deo virtutibus seipsum in diuinum vehiculum præparauit, ad dei & agni requiem, per diuinas veteris nouique testamenti instructiones impigrè currens, ac diuinæ dedicationis particeps fœliciter effectus, hic ciuitatis supernæ Ierusalem habitator erit, videbitque deum facie ad faciem, nõ per ænigmata, sed quẽadmodũ sanctis Apostolis in mõte sancto visus est, veluti ait magn' Dionysi'. *Et regnabũt in secula seculorũ.* Sãcti videlicet cõregnabũt Christo per ĩfinita secula.

Sap. 6.

E

Matt. 17.

CAPVT LXIX.

Quòd fide digna sint quæ ab Apostolo uisa sunt.

E *T dixit mihi: Hi sermones fide digni sunt & ueri. Et dominus deus spirituum prophetarum misit angelum suum, ut ostenderet seruis suis quæ oportet fieri cito.*

F Quod solet facere beatus hic Euangelista, hic quoque obseruat: quemadmodũ & in euangelio insignum cognitionis quòd esset legitimum. Et scim' inquit ꝙ verũ sit testimoniũ eius: ita & nũc cõsignãs ait sermones fide dignos ac veros expositos esse: ĩde fidẽ trahẽtes, nẽpe ꝙ à domino deo qui etiã doni ꝓphetarũ domin' est. Nã hoc significare vult per hoc quod ait dñs spirituum, ac si dixisset, domin' ꝓphetici doni.

Iohan. 21.

CAPVT LXX.

Quòd Christus sit deus prophetarum, ac dominus omnium.

E *Cce uenio cito. Beatus qui seruat sermones prophetiæ libri huius. Et ego Iohannes uidebã & audiebam hæc: quumq; audissem*

dissem, ac uidissem procidi ut adorarem ante pedes angeli qui ostendebat mihi hæc, & dit mihi: Vide ne feceris: cōseruus tuus sum ego & fratrū tuorū prophetarū & eorum qui seruāt sermones libri huius. Deū adora. A

Seruātes dicit eos qui studēt ne incidant in supplicia quæ dicta sunt in hoc libro, sed per vitam deo gratā expertes sint ipsorum. *Et ego Ioannes uidebam & audiebam hæc.* Est autē & hic modus loquendi huius Apostolici animi. Quod enim & in Euangeliis fecit dicens, Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, hoc etiam in hoc loco facit: attestans quòd fuerit ipse auditor ipseque inspector eorū quæ prophetata sunt: per hoc enim ea quæ visa sunt confirmauit. Ostendit autem vt prædictum est & angeli instituentis pietatem, & sui animi verecundam modestiam. *Iohan. 19.* B

CAPVT LXXI.

Quòd iussum ipsi fuerit ne obsignaret, sed ut prædicaret hanc reuelationem.

ET dicit mihi: Ne obsignaueris sermones prophetiæ libri huius: tempus prope est. Qui nocet noceat adhuc, & qui sordidus est sordescat adhuc, & iustus iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Ecce uenio cito, & merces mea mecum est, ut dem unicuique sicut opus illius. erit. Ego sum α & ω, principium & finis, primus & nouissimus. C *α & ω.*

Ne obsignaueris &c. Hoc est, ne apud te conclusos serues, sed manifesta omnibus. *Per hoc autē quod ait Tēpus prope est,* tale quippiam significare vult: Tempus quo cōtingāt ea quę dicta sunt non multum abest à dictis rebus vt tūc contingāt: at non modo tibi necesse est ea audire. Quatenus igitur nūc non adsunt, opus est audire: sed quatenus tantum nō adsunt, sic tamen vt breui futura sint, superuacaneum esset audire.

Qui nocet noceat adhuc. Nō id adhortatio est, sed vt quisque conuincatur de eo ad quodcunque elegerit accedere. *Ecce uenio cito.* Dictum est Cito, aut comparatione ad infinita secula, aut ad exultationem eorum qui suscepturi sunt retributionem;

D tionem: aut etiam quia ineuitabiliter & certè absque lõga dilatione futurum est. *Ego sum α & ω.* Quòd per exemplum literarum significauerit principium ac finem, non est difficile intelligere, ex eo quod ipse quoque subiunxit. His tamen qui exactiores sunt in indagando contingit quærere, cur nõ id per alia designauerit, quàm per literas. Dicimus ergo ꝙ quia huiusmodi promissionum quæ solo sermone honoratæ sunt, susceptionem ac euentum sperare & expectare contingit, propterea hoc modo & non alio quocunque significauit. Signũ autem huiusmodi institutionis fuit inuentio literarũ. Nam hæ ipsæ iuxta Stagiritẽ symbola sunt hominum in clara facileque significãti voce. Propterea quoque ipsi visum est vti voce significatiua nominũ: & meritò tali institutione vsus

Primo Periermenias.

E est, talibusque demonstrationibus principij ac finis.

Beati qui faciunt præcepta eius, ut sit potestas eorum in libro uitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris canes & uenefici & scortatores ac homicidæ omnesq; idololatræ, & quisquis facit & amat mendacium. Ego Iesus misi angelum meum, ut hæc testificaretur uobis ecclesiis. Ego sum radix & genus Dauid, stella matutina splendida. Et spiritus & sponsa dicunt Veni: & qui audit dicat Veni: & qui sitit, ueniat: & qui uult accipiat aquam uitæ gratis.

F Iam dictum est ꝙ lignum vitæ appellet diuinæ sapientiæ oracula, quæ in rebus agendis quæ iucundissimũ habẽt exercitium, sanctorum potestatem transuehunt, vt per dicta apostolica liberè ac prosperè ducãt ad supernam Ierusalẽ. Quòd autem portæ sint Apostoli, iam visum est. *Foris canes & uenefici & scortatores.* Non solum apertos infideles, sed & scortatores arcet propter illorum impudẽtiam ac impuritatem: de quibus etiã diuinus ait Moses: Nõ afferes pretium scorti: & pretium siue commutationẽ canis in domum dõmini dei tui ad omnem cõfusionem tuam. *Ego Iesus misi angelũ meũ.* Hoc etiam loco dominandi dignitas ostenditur in eo qui mi sit angelum. *Vt testificaretur:* Hoc est, protestaretur, non in occulto aut in abscondito, sed audiẽtibus cũctis vbiq; locorũ ecclesiis:

Deut. 23.

ecclesiis: ne quis spontanea malitia ignorantiam prætexens, maneat incorrectus, eo quòd male sit affectus. Porrò quod ait, *Ego sum radix & genus David.* magis consentaneum est vt intelligatur: Ego sum ramus qui de radice Dauid germinaui. Genus verò, vt qui ex eo germinauerim, vt essem Immanuel ex diuinitate & humanitate. Stella autem matutina splendida ipse dominus appellatur: matutina quidem, tanquam omnis sapientiæ & sobrietatis autor: splendida verò, tanquam illuminans omnem hominem venientem in mundum. Spiritum præterea vocat eos qui digni habentur spiritualibus nuptiis, sponsam autem ecclesiam. Cæterum quod subditur *Qui audit.* eos denotat qui ad gregem nondum assumpti sunt, sed tamen ad audienda diuina præcepta præparati, qui etiam festinãt ac studium adhibent, vt cognoscant dominum. A *Iohan. 1.* B

CAPVT LXXII.

Quòd ecclesia & spiritus qui in ea est gloriosum expetant Christi aduentũ, & de maledictione cui sunt obnoxii, qui librũ hunc adulterant ac deprauant, tanquam irritum & abrogatum.



Estificor ego omni audiẽti sermones prophetiæ libri huius. Si quis apposuerit ad hæc, apponet super illũ deus septem plagas scriptas in libro hoc. Et si quis abstulerit de sermonibus prophetiæ libri huius, auferet deus partẽ eius de libro uitæ, & de ciuitate sancta, & ex his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimoniũ perhibet de his: Etiam uenio cito, Amen. Veni domine Iesu Christe. Gratia Christi cum omnibus sanctis, Amen. C

Testificor ego: Hoc est protestor, affirmo, fidedignum assero & incommutabile quicquid significatum est per sermones huius prophetiæ. Testificor autem omnes has plagas ineuitabiliter inferendas esse, quæ toto hoc libro denuntiatæ sunt. *Si quis apposuerit ad hæc.* Protestatur audientes ne auferant neque addant: neque graphica Atticarum descriptionum, aut Dialecticorum syllogismorũ idiomata existiment fidedigniora esse aut venustiora. *Dicit qui testimonium perhi-*

D *bet de his.* Qui hæc inquit per me protestatur, dicit. Quid? Etiam venio cito. Interrupit enim seriem sermonis, sicut etiã ante hoc in suo sermone, Christum inducens propria persona. Ita igitur & nunc ad consolationẽ fortassis ipsius cui hæc dabantur oracula, quum verè senex esset, ait: Etiam venio. Aut igitur ex parte eius qui dabat oracula accipiendum est, aut etiam ex parte eius qui accipiebat, vt sit iste sensus: Ego qui hęc testificor, quanquam necessariò vitæ cursu ac termino impellar, etiam prius quàm hæc immineant: attamen ipse quoque nihil procrastino. *Veni domine Iesu Christe.* secundo tuo aduentu. Porrò quod additur, Gratia Christi cum omnibus sanctis, confirmantis est.

E FINIS APOCALYPSIS IOHANNIS.

Vita diui Iohannis APOSTOLI EVANgelistæ ac Theologi.

SIMONIS METAPHRASTAE COMMENtarius in diuum Apostolum Iohannem Euangelistam ac Theologum.

F



Vàm parum absit homo ab angelis, quodq́ue ipsi possibile sit vnà cum illis versari, viciniusq́ue assistere: imò etiam deũ imitari possit, quodq́; multo maius est, filius illius iuxta gratiam effici, ostendit præ omnibus magn⁹ hic Euãgelista & Apostolus: matre quidẽ virgine ditatus, dignus autem habitus, qui Christi frater vocaretur,

tur,ipsique factus socius & particeps arcanorum. Verum ipsamet diuina oracula voce maxima prædicant dei in seipso magnalia: attamen id manifestius sermo nobis explicabit. Hic enim verbi vox, filius tonitrui, vniuersum prædicatione comprehendens orbem: & quod omnium maius est, solumque in se sufficiens, dilectus ab ipso Christo meo, patriã quidem non habuit ciuitatem aliquam, sed ex vili quodam pago & abiecta regione natus est. Cõfirmant hunc sermonem scribæ, dicentes prophetam ex Galilæa non surrexisse, confirmat & ille vere Israelita, contendens nullum bonum esse posse à Nazaret. Ex hac igitur hic, & ex tali tantus sacerdos, veluti ramus quidam productus: patre quoque conformiter ad patriam abiectus & obscurus, nempe piscatore ac paupere. Et hic quidem puerilem iam ætatem egressus erat: porrò pater filium ad idem opificium assumit, piscatoriæ artis hæredem ipsum efficiens. Artis itaque socius erat filius patri: & familiaris ac domestica erat vtrique paupertas: quid enim pauperius & abiectius dicere quispiam poterit quàm sint piscatores? quorum hic vnus erat, præco veritatis ac præceptor? Quodque maius est ad abiectionis demonstrationem, non in mari piscabatur, sed in breui quodam lacu vnà cum patre & fratre Iacobo versabatur, rupta sarciens retia (quod & ipsum extremæ paupertatis erat) ac manuum artificio consolans necessariorum indigentiam. Itaque Græcanicæ disciplinæ ne in modico quidem particeps erat. Cuius rei testis est diuus Lucas, qui ipsum idiotã vocat, & alienum à literis. Vnum hoc solum habebat insigne quo agnosceretur, & bonum hoc vinculum à patribus trahebat, nempe pietatem. Vbi autem vmbraticæ nebulæ eleuatæ sunt, & ea quæ figurarum erant transire in veritatem cœperunt: & tu domine qui singulatim finxisti corda nostra, non dispersisti testamentum tuum quod nobiscum pactum erat, sed videns vidisti afflictioné Israel: & non exutus diuinitate propter nos factus es id quod nos, sine peccato, & throno patris non relicto, virginem inhabitasti propter me, vt ego cœlos inhabitarem: & ex veteri casu reuocatus: & liber à peccato ac primam adoptionem suscipiens: oportuit sane esse & discipulos qui mysterio dispensationis ministrarent: tũc quidem vocat Andreas & Petrus: aduocatur autẽ & hic qui cir

A Marci. 3. Iohã. 7. 1. B Luc. 5. Matth. 4. Act. 4. C Psal. 32. & 88. Daniel. 3. Matth. 4.

D ea pisces & retia ac lac⁹versabatur:& iussus verbi voce vt ho
minum piscator constitueretur, protinus patre † ac fratre sca
phaque relictis,ei qui se vocabat adiungitur : & terreno ho-
mine exuitur propter cœlestem : ac piscationem animarum
transmutatus addiscit:& præceptoris vestigia sequutus inimi
cos diligit,persequentes benedicit. Vtque vno verbo absol-
uam, in huius lege exactè instruitur, talemque nactus præ-
ceptorem,similem demonstrat disciplinam:& ascensiones in
corde disponens,discipulus familiarissimus, ac præco maxi-
me theologus efficitur. Omnes sensus moderatur:familiaris.
omnino virginitati efficitur:tali vtendo alimenti ratione,vt
summa parcimonia viuere duntaxat posset, sacrumque cor-
pus vt subsisteret conseruare . Hinc etiam virginitatis appel
E latione ditatur, & amicus eius qui imperium tenet efficitur,
magis autem & ipsum habet in seipso loquentem, & rursum
ab eo audit quæ ille à patre audierat.quumque in montem
Iohan. 15. ascenderet , ipse vnà conscendit , ac dignus habetur visione
Matt. 17. admiranda & maiori quàm dici possit,ipsam verbi diuinita-
tem denudatam intuitus: & cœlestem audiuit vocem qua di
lectum filium declarat pater,ac veteri testamento præponit
Iohan. 13. euangelium. Decens ac honorifica cœna subsequitur , & ne
tunc quidē Iohannes relinquitur. Deinde quum Petro opus
esset discere quis nam is esset qui horrendam illam proditio
nem parturiret,nec ipse auderet interrogare, quanquam pri
mas teneret in choro discipulorum,Iohanni hoc committit:
Nouerat enim,id quod Christus erat apud ipsum,hoc Iohā-
F nem esse apud Christum: & quod ipse quidem diligeret,ille
autem dilectus esset. Et vide quanta accedat ipsi libertas lo-
quendi . Neque enim vulgari modo interrogat , neque pri-
mum excusans quòd metu accederet , sed sciens quanto ip-
sum amore prosequeretur,sedenti adhæret præceptori,& in
huius pectus recumbens,ait: Domine quis est qui tradit te?
Ille autem libenti etiam animo accipit quod ille fecerat , &
quasi opportunè fuerit liberè loquutus,gratum habet Ex eo
enim quòd protinus quæstionē soluat , ac pane designet pro
Matt. 20. ditorem,significat se non ægrè ferre eam libertatem.Itaque
Marc. 10. hinc etiam manifestum est quòd cathedram quàm proximè
Christum cum fratre petiuit, non gloriæ sed Christi amore
petiuerit, & quòd nollet hic alium esse sibi dilecto vicinio-
rem.

† Habuit quidem nostrū exemplar κὴ ἄδελφὸμ. Arbitror tamē addēdum non esse: quum frater unà uocat⁹ unaq; sequu-t⁹ sit Christum.

rem. Condemnatur Iesus, & adest Iohannes, ac ad atrium A *Iohan. 18.*
potificis, quum notus esset pontifici, vnà congreditur, loqui
turque ostiariæ, & Petrum pro foribus stantem introducit.
Imminet tempus salutaris passionis, & verbum permanet vt
procedat ad patrem: ac Iohãnes cum matre adstat cruci, ma- *Iohan. 19.*
terqúe audit à filio ac suo conditore, Ecce filius tuus dile-
ctus: & rursum hic, Ecce mater tua. Ab hoc igitur tempore
virgo hic mente & corpore, matrem ac virginem sibi vindi- *Iohan. 20.*
cat: nec multo pòst, Christu qui resurrexerat videt, vidésque
agnoscit: & cum Petro ad sepulchrum venit, ac prior præcur
rit, & postquam sepulchralia vidit, spiritus inflationem susci-
pit, eiusque donis ditatur: ac diuinis mauibus cõsecratur vni
uersi orbis Apostolus. Quoniam autem præceptorem audi- *Iohan. 10.*
uerat alias quoque oues habere, quæ licet ex hoc non essent B
ouili, oporteret tamen & illas congregare, & ab eodem regi
pastore, fieríque vnum ouile, & eas recte ac libere ipsum se-
qui, neque aliena fistula rapi & dispergi ac corrumpi. hæc,
quantum æquum est, anxiè curat, & in iter ad hæc mittitur
vt dispersas oues in vnum congregaret, & eam quæ errasset
fistula veritatis reuocaret, ao sub vno vero pastore ouile re-
pararet: si quis duram ac repugnãtem haberet animam, hoc
eodem igne succulentam redditurus ac teneram. Vnde reli-
cta Palæstina in Asiam proficiscitur. quúmque ea quæ ipsam
concernebant recte disposuisset, Ioniam occupat, ac Ephe-
sum aggreditur, vbi plures ac crudeliores feræ erant: & talia
quæ periculo quouis longe periculosiora essent. Et primum
quidem templum Amazonum ipsis idolis consecratum vna C
prece subuertit, ac veluti plateæ lutum diruit. Deinde † sacri *τῶν ἱε-*
ficorum qui à sacrificiorum appellatione cognomen sortiti *ρέων ἀπὸ*
sunt, hos quidem sermonibus, illos autem signis, rationibus *τῆς ἱερεί*
ac necessitatibus transfert ab errore: & huiusmodi exuberan *ων κλή-*
tibus modis efficit vt transmutétur ad discendam pietatem, *σεως τὴν*
& ipsi etiam aliis constituantur deinceps veritatis duces ac *ἐπωνυμί-*
præceptores. Ac ita partim quidem alios obiurgãdo, partim *αν λα-*
vero quæ conueniunt etiam admonẽdo, omnibúsque omnia *χόντων.*
factus, in sortem eorum qui salui fiũt omnes pellicit: vt hinc
factum cognosceretur quod à Paulo dictum est: Vbi abunda *Rom. 5.*
uit iniquitas, ibi superabundauit & gratia. Verum maligno
illi non dabatur inter hæc requies. Certe oculis inuidis intui

D tus pietatem adeo ſuccreſcere,cognita huius rei cauſſa,omnem aduerſus illud mouet lapidem. Quid ergo ſumit conſilij? Domitianum Veſpaſiani filiū ingreſſus qui poſt Titum obtinuit imperium, cum illo aduerſus pietatem decernit. Ante omnia autē Iohannem, qui robur vniuerſorum erat, tollere conatur. Statimque ipſum ab Aſia ducit ad Europam, & in exilium relegat,quemadmodum inſequens ſermo manifeſtare poterit. Vbi enim in conſpectū Imperatoris veniſſet, & quis & vnde ortus eſſet, quámve profiteretur religionem, & quemnam diceret eſſe venturum interrogatus eſſet: Iohannē quidem ſe vocatum eſſe, & à Iudæorum genere prodiiſſe, ac ſodalitij Chriſtianorum eſſe reſpondet:ſe
Pſal.88. autem annuntiare hunc eſſe venturum, cuius thronus ve-
E luti luna præparatus, ac perfectus eſſet in ſeculum. Vbi autem dixiſſet Imperator,Et quibus modis hæc confirmare poteris? neque enim hæc ſufficientia ſunt ad faciendam fidem eorum, de quibus non eſt in promptu demonſtratio: Morbi protinus(ô ineffabilem domine tuam potentiam) & dæmoniorum legiones pelluntur, reuiuiſcunt autem mortui, iuſſum ſequendo velocius quàm viuentes: quibus ô rex (aiunt Iohannē dixiſſe)ne dubites, ab his quæ apparent coniecturam faciens eorū quæ manifeſta non ſunt.Porrò quæ de Saturno & Ioue,cæteríſque diis veſtris feruntur,niſi ſufficiētes eſſent qui ante nos demōſtraſſent, vtiq; & ego facile oſtēderem,nihil eſſe: ſed plena potius ingenti vituperio,riſúque ac
F demētia. Verumenimuero deceptionis ſalſugine abiecta,ſatiare potius fonte potabili ac dulciſſimo.Hunc autē ſtupore ſimul & ira correptū aiunt:Hinc quidem ob portenta ab ipſo peracta: illinc vero ob id quòd deos ſuos calūniaret.Itaq; ad ſermonis ſplendorem non acceſſit,ob tenebrarum quę in
Iohan.21. eius corde erant craſſitiem.Quòd autem hunc nō occiderit, dictus ad Petrū ſermo prohibuit,puta:Si eum velim manere donec veniam,quid ad te?ſed virū perpetuo exilio condemnauit in vnam Sporadum inſularum relegans (Patmos huic nomē erat) quum olim apud Romanos æquaret morti exilium Ductus eſt igitur ad exilij terminum magnus Apoſtolus,& inſulam apprehendit. Non longo poſtmodū tempore inſulares ſeruatorem ac patronum ducunt tonitrui filium, & ad ęquitatem tranſeunt: ſeſéque ad pietatem cōponūt. Itaq;

quum

quum hic esset Apostolus, & admirandus Dionysius fermè iam nonaginta esset annorum, ex Athenis scribit ei in hunc modum: Tuam saluto sacram animam Dilecte, & erit mihi id peculiarius prę multis. Salue igitur vere Christo Dilecte. Consequenter autem etiam hæc addit: Quid admirandum si Christus verum loquatur? & iniqui discipulos è ciuitatibus expellant? ipsi sibiipsis condigna distribuentes, & execrandi à sanctis se segregantes ac separantes? Deinde etiam ad ipsum finem epistolæ hæc de futuris subscribit. Omnino enim fide dignus sum, inquit, vt qui à deo didicerim quæ decreta sunt vt tibi contingant, & dico etiam quòd liberandus sis è custodia qua in Patmo seruaris, & in Asiaticam terram reuersurus, ibique facturus boni dei imitationes & his qui te sequentur traditiones. Sed hæc quidem postmodum suo tempore contigerunt, ac terminum accepit vaticinium (quemadmodum in sequentibus sermo manifestare poterit) quum iam Dionysius sub Domitiano, pro Christo vitam martyrio finisset. Quæ sunt autem facta post hæc? Domitiano ex hominibus sublato, Nerua in imperio succedit: & condemnatis in exilium, tãquam benignus & humanus donat reuocationem. Nec multo post tempore Traianus sceptra Romana suscipit, & consequutiuè humanum confirmat edictum, reuocans eos qui in exilio erant. Venerunt ergo & in Patmon Imperatoris edicta, venit & ad Iohannem reuocatio. Et ille quidem decreuit nauigare in Ephesum: porrò qui in insula erant dicebãt ne se desereret, sed apud ipsos permaneret, nõ aliter quàm qui ferre nõ possunt, vt à pio patre derelinquãtur. Hinc autem lamenta luctus ac lachrymæ. Quis, inquiũt, nobis tuum explebit ordinem? Cui vero tali patri ac pastori subiecti esse poterimus? quid desiderij, quid flammæ ex ipso procedentis, solatium efficiemus? Quum autem persuadere non possent dum supplicarẽt, vt virum apud se retinerent, secundæ fuit supplicationis initium, & secundas rursum faciunt petitiones, ne totum seipsum auferret, neque vniuersa tristitiæ mole eos offunderet: sed vel pro re vmbrã, suos inquam sermones pro se, apud ipsos relinqueret: ac mysterium quod apud nos factum est vniuersæ dispensationis Christi describeret. Cedit igitur illorum petitioni, imo cedit potius paternis visceribus, quib⁹ hic erga ipsos vtebatur:

A Mat. 10 B C

D præsertim quum superna prouidentia ita disposuisset multorum salutem ac euangelij prædicationem. Et primum quidem ipse ieiunium sibi imperat, ieiunus ipse ac propemodū corpore exhaustus, aliisque hoc ipsum constituit, ac abstinētiam à malis. & hos quidem in tali quiete relinquit. Cæterū vnum quendam è septem se sequi iubet, Prochorus hic erat: vt ipse quidem ea quæ à deo essent, iste autem quæ ab ipso, notaret. Porrò ipse montis verticem capessit. & more Samue
Exod.17 lis quidem rectus erigitur, sicut Moses autem manibus eleuatis effiguratur: & mentem à sensibus abstractam, totam refert in id quod exoptat Quid ergo hinc sequutum est? horrenda tonitrua & terrores ac fulgura continue vehementi fragore elisa, & repente effulgentia: quorum si quis imagi-
E nes ac figuras dixerit ea quæ multo antea sub Mose conti-
Exod.19 gerant, quando deo aderat & ab eo tabulas accipiebat, nequaquam à veritate aberrauerit. At Prochorus interim pronus quidem & velut exanimis, non ferebat inter huiuscemodi
1.Ioh.4 versari spectacula: ipse vero stat imperterritus, quum charitas procul abiecisset timorem. Ad extremum tonitru in vocem exprimitur ac dilucide resonat: *In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum.* Prochorus qui diuina institutione proximus erat, lumen quidem videbat, quanquam subtremulus, porrò neminem audiebat: quia neque hi qui cum Paulo & Mose quondam erant, eos
Act.9 audierūt qui illos in sacris instituebāt. Lingua tonitrui theo-
Exod.20 logus est. Et sacrarum rerum discipulus, represso paululum
F timore, subtremula manu quæ inde sumpta sunt exarat, donec perfectum est euangelium. Denique cedunt pauores, ac terrenis reuelantur cœlestia. Tandem etiam à monte de-
Exod.34 scendit Iohannes, nouam legem sibi creditam habens, quēadmodum olim tabulas Moses dei inspector: illamque ferens dat his qui petiuerant. Ita ergo vbi nouam legem quam acceperat, illis tradidisset, ipse vi sane & inuitis quidem insularibus, nauigabat tamen Ephesum versus. Porrò illi veluti qui oculorum cæcitate longo tempore detinentur, si quando possint morbum repellere, longe iucundius solem intuētur: ita & Ephesij recipientes Christi dilectum quodam etiam modo desiderabilius quàm prius afficiuntur. Quid autem ille? Quanquam vehementer fuisset frequenter fatigatus, nō dat oculis

dat oculis somnum, nec palpebris dormitationem, nec re- *Psal.131*
quiem temporib*: sed populum quidē exhortatur, aduersus A
autē incredulos zelū ostendit. Errore supplantatos reducit
ad veritatem: feras arcet quæ post suum discessum impudē-
ter in ouile se ingesserant, ac gregem reuocat. Ita dispositis
his quæ circa Ephesum erant, ad propinquas gentes disce-
dit: hic quidem episcopos constituturus, illic verò integras
quoque docturus ecclesias spiritu obsignari. Verum me huc
sermonis progressum factum illud animæ generosæ ac hu-
manæ occupat. quod etiam altius repetens (veluti narrat
Clemens ille Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, vir & in aliis
admirandus, & eloquentia sane laudabilis, in sermone, Quis
diues saluus fiat) retexam. Quum enim peruenisset Iohan- B
nes post reditum ex Patmo ad quandam vicinarum ciuita-
tum cuius etiam adpellationem nonnulli dicunt, & fratres
qui in hac erant, opportune recreasset: quendam ibi adole-
scentem repperit, magnitudine mediocrem, aspectu ciui-
lem: quumque perspicaci spiritus efficacia generositatem
animæ illius ac morum liberalitatem obseruasset: benedi-
ctiones dat adolescenti, & sufficienter ipsum inungit ac ex-
citat. Quoniam autem iam discessurus erat & aliò accessu-
rus, vt & terram prædicatione, & mare ac insulas accede-
ret: ciuitatis episcopo adolescentem in ecclesia coram Chri
sto teste commendat, vbi multa de illius disciplina & educa-
tione præcepisset. Ille verò prompto suscepit animo, polli-
citus multa quoque se adiecturum in cura circa adolescen- C
tem. Deinde ille quidem Ephesum discedit: hic autem as-
sumptum in domum adolescentem alebat, instruebat, curam
eius habebat: tandem etiam baptizauit. Porrò vbi domini si-
gnaculum, nempe firmum munimentum ipsi addidisset, de-
inceps custodia liberum esse dimisit. Ad hunc autem qui an-
te tempus remissionem acceperat, subeunt nonnulli coæta-
nij, effrenes ac indisciplinati in cupiditatibus, & primū qui-
dem adolescentem ad vitia persuasibilem, pretiosis conui-
uiis ac mensis sibi conciliant. Quæ autem hinc sequuta sunt?
Facilis enim ac procliuis est via quæ ducit ad vitia, & eum *Mat.7*
qui primum eius attigit gradum, facile admodum est per
omnem æqualitatem detrahi protinus vsque ad extremum.
Hac via dum etiam nocte ad furta accederent, adolescen-
tem vnà

D tem vnà pertrahunt. Ille verò iam amore latrocinij succensus, & spe diuitiarum cupiditatem exacuens, nihil iam meditabatur quod esset exiguum, propter naturæ ac indolis generositatem. Denique etiam latronũ sodalitatem his qui secum erant demonstrauit atq; hic latronum princeps primusque raptor erat vehementissimus. Post hæc vero vbi Iohãnes rursum ad eam ciuitatem remeasset, cæteris propter quę eò venerat, dispositis vt æquum erat: age sanè, inquit, ad episcopum, depositum nobis redde quod ego & Christus loco testis, in ecclesia apud te deposuimus. At ille quũ existimaret pecunias esse quæ repeterentur, primum quidem obstupuit, quũ sibi nõ esset conscius se id quod repetebatur accepisse: & neq; credere posset, fieri repetitionem ob ea quæ nõ E haberet, neque Iohanni non credere. Vbi autem dixisset, Adolescentem repeto & fratris animam: intimius suspirans senex ardentiori spiritu, ac sublachrymatione miseriam indicans, Ille, inquit, mortuus est. Porrò interrogatus quando & quomodo, quáue morte, Deo, inquit, mortuus est, quũ latrocinium exercere elegerit, & montem loco ecclesiæ inhabitare, perditorum conuersationem amplexus potius quàm nostram erga ipsum solicitudinem ac curam. At ille ob hoc dolore vehementi oppressus, Re vera, inquit, egregium te custodem animæ fratris reliqui: verum equus iam adsit, ac viæ ductor mihi detur. Statimque conscenso equo totas laxabat habenas, minorem esse existimans equi velocitatem pro sua festinatione: iamque monte apprehenso, à latronum custo-F dia, nihil deprecans neq; fugiens, capitur. &, in hoc inquit, veni, itaque ad principem vestrum me ducite. Porrò vbi ille hunc esse ipsum Iohannem cognouit, certe pudore suffusus fugit. at hic obliuioni tradita senectute, ac motione quę mũdum consequi solet, persequitur. Deinde magna quadã grauique voce clamãs, Quid, inquit, fili fugis me patrem tuum? meam reuerere caniciem, ac floris ætatis tuæ miserere, adhuc tibi spes vitæ relinquitur, ego pro te rationem reddam. Consiste in loco fili: Christus me misit ad te. Hæc quum audisset adolescens, primum quidem constitit, terræ pauimentum intentis oculis intuens, præ pudore oculos non potens sursum erigere. Deinde proiectis in terram armis, miserabili quodam modo, cum magno dolore eiulatur, ac venientem

amplexatur

amplexatur ſenem: propter gemitus quidē, efficiens ne fletibus dignus eſſet: propter lachrymas vero, ne vel lamentis: ſolam occultat dexteram: verebatur enim & hanc ipſi porrigere, quam tot ſceleribus ac latrociniis fœdauerat. Porrò ille, veluti pater, vehementi amore viſceribus ſauciatus, ſpondet veniam, miſericordem pollicetur iudicem, & apprehenſa dextera deoſculatur, & ad eccleſiam reducit adoleſcentem. Deinde abundanti vtens oratione perſeuerat, ieiuniis annitens: & adoleſcentis animam variis ſermonum cantilenis velut vnguentis quibuſdam deliniens, non prius abſceſſit quàm hunc priori ſanitate donaret: magnum quoddam vitæ relinquens exemplum ad pœnitentiam. Et hoc quidem tale eſt, & adeo dignum quod non occultetur. Porrò illud longe maius eſt, longeque magis admirandum: & ex eadem benigna illa anima compaſſionem ſimul & potentiam oſtendens. Dicitur enim quidam fidelis eo tempore, qui prius vitæ neceſſaria ſufficienter habuerat, nec aliqua preſſus fuerat indigentia, ad extremam inopiam poſtmodum recidiſſe, vt & debitorum multitudine circumuallaretur, & innumeris fœneratoribus ſuſpectus eſſet, ac velut fera quędam à tergo ſagaciter inueſtigaretur ab illis & inquireretur, ac in ipſarum rerum neceſſariarum inopia vagaretur. At enim cum pudore quem ob fœneratorum exactiones miſere ſuſtinebát, iam etiam neceſſitatem ex indigentia nō ferens homo, ad mortem decreuit confugere: idque conabatur vt hęc quantocius ad ſe veniret, ſi forte hinc & egeſtatem & debitorum multitudinem diſſolueret. Verum quoniam hæc vltro non veniebat, compendioſam viam ad hanc inuenit: & quē tunc peritiſſimum eſſe ſciebat conficiendis venenis ac præſtigiatorem, cultu Hebræum, hunc acceſſit: eiq; reuelat quid in animo haberet, ac orat eum: vt qui poſſet ſibi auxilio eſſe in eo quod mente conceperat, & ſuæ mortis fieri particeps. Atque hic confeſtim promptus inuenitur miniſter, ac venenum illi tradit, viteq; ſubuerſionē conſulit. Porrò miſer ille accepto veneno domum redit. Cum variis autē luctans cogitationibus, curiſque duplicibus anxius: & nunc quidem præſentibus delectationibus huiusque vitæ concupiſcentia allectus, nunc vero fœneratorum multitudinem, aliasque ex indigentia procedentes moleſtias conſiderans, medius

ſtabat inter

D ſtabat inter extremam conſilij inopiam. Siquidem quum ad
dulcem hanc lucem reſpiciebat,venenum reſpuebat : quan-
do vero ad circunſtantem vndique egeſtatem, animóque
inſidentem anxietatem, auſum ſumebat aduerſus mortem,
victus tamen eſt à neceſſitate : & vt hinc liberaretur à mo-
leſtiis, elegit ab ipſa vita liberari. Denique infuſo veneno,
ſumptóque extremis digitis cratere,quandoquidem animus
ad id non accedebat, ſed timide admodum ſe habebat, in-
túsque ſibi cor continue palpitabat. Tandem crucis ſigna-
culo Chriſtianis conſueto venenum conſignat, ſtatimque
vbi clauſis oculis bibiſſet(ô magnam ac admirandam Chri-
E ſte tuam potentiam) illæſus permanſit, cruce veneno ſuam
tollente vim. Quum autem ſimili rurſum neceſſitate oppri-
meretur,& ab ipſis creditoribus obſideretur,animamque ha
beret priori oppreſſam inopia, & quæ omnimodo quæreret
è præſentibus liberationem: labefactabatur tamen ad ſumé-
dum alterum venenum, & ad mortem accedere recuſabat.
Verum quum è præſentibus non liberaretur difficultatibus,
grauius eſſe malum iudicans iterata etiam morte,accedit ad
veneficum, rurſumque ab illo poſcit aliud pharmacum, vt
malum malo mederetur,quum id quod prius acceperat, ni-
hil ad id quod neceſſe erat tuliſſet auxilii, vtpote ſua natura
illud vincente : nam id impedimento fuiſſe veneni efficaciç
F demens dicebat, non intelligens crucem fuiſſe quæ hic mor
tem abſtuliſſet,quæ etiam antea ſerpentem longe hoc vene-
no potentiorem ſuſtulerat. Itaque præſtigiator ille ac vene-
ficus,& ipſe pharmaci debilitatem damnans, aliud ipſi por-
rigit quod priore multo efficacius erat. Quumque rurſum
domum veniſſet, ac illud bibiturus eſſet, cum priori timore
& agonia,duplicibusque illis anxietatibus luctabatur, & ſu-
dore vndique circumfluebat ac tremebat. Deinde vbi rur-
ſum conſueto crucis ſignaculo calicem conſignaſſet ac bi-
biſſet,iterum illæſus permãſit : ipſeque obſtupuit ſane quum
cauſſam coniectare non poſſet: ac mirum in modum deſpe-
rationis ſtimulis iactabatur:nondum enim intelligere pote-
rat quòd crucis efficacia eſſet quæ veneni vires extingueret
Quumque homo animi anguſtię ac calamitatum pelago im-
merſus, nec vel paululum ad ſaniorem mentem redire, nec
ea quæ (vt aiunt) ante pedes erant cognoſcere poſſet:hinc
iterato

iterato abit ad Hebræum,& eadem quæ prius exponit. Quũ A
autem & ille consternatus esset, longoque tempore super ea re consilio destitueretur: deinde etiam caussam aliquam deprehendere cuperet propter quam in veneno falsus esset (ipse enim veneficus erat & huiusmodi rerum artifex) quo pacto & in quem modum vbi domum rediisset venenum acciperet, minutatim per singula interrogabat. Hic autẽ, Nihil inquit aliud ago domum veniens, quàm quod infuso crateri veneno, deinde paululum etiam labefactatus,& anxietate in corde concussus, crucis signo, vt quod à Christianis ex consuetudine fieri solet, propter timorem calice obsignato, oculis clausis illud bibo. Vbi primum crucis nomen hic audis- B
set Hebræus, intellexit statim quod erat, nempe crucem esse quæ vim tolleret veneni. Porrò ne res nudæ solum hæreret suspicioni, quandam etiam requirit fidem, cuidam illius cani tradito veneno, hunc protinus interimit. Hebræus autem nullas amplius requirens demonstrationes, abiurata patria secta ad veritatem accedit. Idq́ue primum: tollit errorem, & venenum ei qui alio modo vsus fuerat, vere mortiferum ostensum est prioris veneficij ipsius, signum mutationis idoneum. Accedit ad Christi discipulum, ducem errantium. Tubæ variarum spiritus linguarum mentis conceptum indicat, arguit insipientiam. Publicat prauum illud mysterium, manifestat prioris erroris insensibilitatem: Porrò il- C
le & accedentem suscipit & laudat resipiscentiam, ipsumq́ue adhortationibus munit ac consiliis. Deinde& baptismate regenerat, & vniuersorum domino conciliat. Verum neque communis salutis dispensator eum qui Hebræo fuerat occasio mutationis, ita male habẽtem neglexit: sed caussa cognita quæ ipsum ad id periculi duxerat,& propter quã vltro propria quoque vita misere priuandus erat, & paternis ipsum refouet colloquiis,& illius animam, quæ iam conciderat, erigit: ac tristitiam & desperationem abiicit. Deinde opere etiam adfert consolationem, quandoquidem & hoc poterat efficere. Quoniam enim & debitorum repetitione & rerum necessariarum inopia oppressum illum vidit, & ob id ipsam vitam misere abiicientem, quid facit? Atque hinc mihi cõsiderate quibus donis ille dotatus fuerat. Quod enim antea Petrus cum ipso templum ingressurus ad horam precationis

Act. 3. precationis nonam, qua, vt inquit Lucas, vsus est in clau-
D do qui ad Speciosam templi portam sedebat ac eleemosynam petebat, dicens, Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do, simul & pedes ipsi sanos reddens: hoc sane & iste hic facit. Sciens enim nihil sibi argenti esse vel auri, vt hinc illius indigentiæ necessitatem consolari posset: herbæ quæ in proximo erat quantum ambabus manibus comprehendere posset iussit homini accipere. Ille vero quum ignoraret quænam esset caussa, & quidnam hac re sibi vellet apostolus, vbi herbam quantum totis manibus assequebatur comprehendisset, ipse facta duntaxat oratione ac signo crucis, ipsam restituit, & protinus
E correptam herbam aurum esse ostendit, aurumque purissimum: atque hunc confestim tollere iussit, simulque & consilij inopiam ac desperationem ex præsenti egestate cõtractam dissoluere, & debita reddere, ac residuæ vitæ occasionibus prouidere, Deoque gratiarum actiones reddere. Quid igitur fieri posset quod huic æquaretur miraculo? Siquidem in templi introitu forsan & hic quodammodo fuerat Petro auxilio, & abundantiorem ambo spiritus gratiam postulauerant. Hic autem solam Iohannis vim ac fortitudinem est intueri, quantáque erga deum spiritus familiaritate ditatus sit. Sed hæc quidem exhibebat dum adhuc in terra conuersaretur, errores abigens, & pietatis prædica-
F tionem disseminans, ac reuocans veritatem. Postquam autem omnes, quod suarum erat partium, deo adduxerat: cœlum quidem efficiens proscenium, terrę autem orbem theatrum, ac angelos spectatores, qui stupefacti erant ad deco-
Psal. 18. rem virtutis illius ac prudentiam (Desiderabilia namque super aurum & lapidem pretiosum multum, ac dulciora super mel & fauum erant doctrinæ ipsius diuina eloquia) ciuitatem egressus est, discipulis præcipiens vt ligonem ac sarculum secum conferrent: ac protinus in montem quendam ascendens, vbi nũc huius templum extructum est eximiæ quum pulchritudinis tum magnitudinis, stansque in ipso, Hic inquit filij mihi fodite. Deinde vbi se totum consignasset, ac dixisset, Et tu mecum esto domine Iesu Christe, astantibusque subiunxisset. Pax vobis fratres, in foueam demisit pallium, & ipse quoque in eam descendit: ac corpore me-

pore mediam obtinuit Asiam, vbi olim qui è Græcanico cœtu erant philosophabantur. Porrò discipuli comas euellebant, genásque percutiebant, ac orbationem miserabiliter deplorabant: pastorem, gubernatorem, seruatorem, denique eum qui omnibus omnia erat inclamabant. Deinde etiam ciuitatem accedentes, his qui in ciuitate erant manifestant id quod factum erat, Interim autem die illucescentē concurrunt ad monumentum, discere cupientes num præceptor adhuc superuiueret: & ouile accesserunt, porro pastor nusquam comparebat: solæ iacebant crepidæ, is autem qui has abiecerat, disparuerat. Discurrunt huc & illuc, quemadmodum hi qui cum Elissæo erant, scrutantur, inuestigant: verum incassus efficitur ipsis labor. Deinde vix tandem illius vocis recordati, Si eum volo manere donec veniam quid ad te, ad mentem alacriorem redeunt. Et ille quidem Enoch & Eliæ Thesbitæ coniungitur, hi autem à lamentis discedentes, deum vniuersorum laudabant qui suum dilectum adeo magnificauerat. Hoc itaque die quo hæc contigerunt splendidus huic Theologo celebratur Ephesi conuentus ex omni genere ac vniuersa ætate, qui astrorum splendorem imitetur. Præterea in hoc sacro loco, ad quem hic cum pallio declinauit, minutus quidam puluis manat ac exoritur cuius accedenti medelam ab omni morbo suppeditans. Quum igitur in nocturnis laudibus festi ipsius, ab his qui in eo ministrant, tradatur cœtibus ad hoc cōgregatis, non facile exhauritur, sed quo amplius hauriunt, tanto magis manat veluti perpetuus quidam thesaurus, qui simul & participantes reddit ditiores, ac seipso abundantior semper efficitur, gratia ac benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul ac spiritui sancto, gloria, imperium, honor, & adoratio, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

Marginalia: A (beside line 1); B, 4.Reg.2. (beside "Discurrunt huc & illuc"); Iohan. 21. (beside "Si eum volo manere"); C (beside "Quum igitur in nocturnis").

Vita diui

D # Vita diui Lucæ
APOSTOLI AC Euangelistæ.

COMMENTARIVS IN DIVVM Lucam Apostolum & Euangelistam.

E 
I iusti memoriam cũ encomiis celebrare diuinus quidam vir ac sapiens diuina lege statuit, quantã sane conuenit Apostolo Christi nos simul adferre laudem? Siquidem hunc iustitia mirum in modum fecit & Apostolatu dignum, & vt Paulo dilectus videretur. Verum enimuero quoniam hic in Euangelio laudem adeptus est, relictis omnino encomiorum legibus, quæcunque de eo narrare necesse est, per modum historiæ referemus. Quis
F Antiochenam ignorat ciuitatem, quem situm ac magnitudinem quósue terminos habeat? & quænam hæc sit, & quãtam occupet terram, quóue irrigetur flumine, Orontes hic est vbi primum homo Christiani appellatione ditatus est: ex qua Diuus Lucas ortus est: & naturam quidem ac indolem habens, vt quæ generosa esset ac pretiosa: veluti ex hoc manifestum est quòd & vita apparuit studiosissimus, & sermonem tradidit vitæ maxime conformem. Quum autem omni disciplinæ genere vacasset à puero, & Syriacã ac Hebraicam linguam exactissime edoctus est, & velut arbor iuxta fontes, floridus iam & augmentatus, diuinarum scripturarum studio mirum in modum profecit. Adolescẽtiam itaque attingens, gymnasia frequentabat quæ tum in Græcia, erant tum in Aegypto, ac pulcherrimam apud Græcos eruditionem collegit: grammaticen quidem ac poeticen perfecte asse-

fecte assequutus, ad rhetorices vero artisque bene dicendi A
cacumen pertingens, neque in philosophiæ dignitatibus alicui cedens: sed logica quidem ad ethicen, ethice vero ad practicen tanquam gradu vtens, ita omnibus bonis incūbēs, tādem pulcherrimā simul ac humanissimam medicinā assequitur, idque intantum vt ab hac vt plurimum designaretur ac appellaretur. Postquam autem ingenij dexteritate ac magnitudine omnem artem citius percurrit quàm volucris aera, satisque humanæ doctrinæ adeptus est, ad sublimiorem ac meliorem transit habitum. Quis autem fuit modus transitus? Habebat quidem interim de mundi salute disputationes ac congressus is qui liber à peccato, venerat vt peccatores vocaret ad pœnitentiam, idque post luctam contra aduer B
sarium & trophæa de illo relata, post auditum superne patris *Matth.9*
testimonium ac spiritus descensum. Percurrebat autem fama *Mar.3.4*
vniuersam Iudæam ac Galilæam, & alicubi etiam extra terminos ea quæ euangelicæ prædicationis erant sequebantur. Tunc multi sane ad veram hanc doctrinam cordis aures obturabant ac mentis oculos claudebant: neque vitæ suscipere sermonem, neque veram lucem intueri digni erant. Hi autem in quibus veritatis vestigium impressum erat, quique terræ bonæ rationem ac proportionem habebant, totis (quod aiunt) oculis intuebantur, & arrectas adhibebant animæ aures ad auscultationem, ac velocissime ad veritatem transferebantur, nihilque quod facere decens erat prætermittebāt, vt ad id quod honestum erat accederent, & ad ipsam nudam animam transmitterent certam veritatem. Horum vnus erat C
admirandus hic præco veritatis ac præceptor: qui ad piam prædicationem mentis oculo illustratus, despicit cognationem omnem, despicit & naturæ viscera, abiicit pecunias, possessiones omnemque substantiam: ita vt nemo adeo facile pedum puluerem ac manuum sordes abiiceret: vt ne vel hoc ipso præ festinantia occupari certe potuerit, quo facultates indigentibus distribueret. Vtque breuiter dicam, despectis cunctis inferioribus, superna velociter amplectitur: & ad Iudæam accedit, vaditque ad eum quem concupiscebat, ac statim ad conspectum ac sermones Iesu, efficitur splendidum receptaculum ad pretiosum gratiæ vnguentum. Neque tamen illi frequentibus fuit opus sermonibus ac miraculis ad

N illius

D illius cognitionem,sed quanto doctrina ac prudentia animique dexteritate in aliis præpollebat, tanto velocius & ipsam pure veritatem & prædicatum sermonem cognoscit. Ab hoc tempore efficitur legitimus ac verus Christi discipulus: quumque frequenter præceptori adfuisset, & eius signa ac prodigia affectatus esset, ne in salutaribus quidem ipsius afflictionibus deest. Et quemadmodum omnibus adfuerat, ita sane
Mar.16 & resurrectionis conspector fuit. Cum Cleopa enim ad a-
Luc.24 grum Emmaus proficiscenti adstans post resurrectionem dominus (ô horrore plenum illum accessum) tarditatem ac cordis eorum incredulitatem improperat: & scripturarum interpretationibus suam passionem ac magnum resurrectionis mysterium confirmat. Veruntamen quæ fuit huius diui-
E næ colloquutionis agricolatio? Ignis diuinus iam in horum animis relucet, iamque die declinante manere secum dominum quodammodo coegerunt. Porrò ipse maiori dei cognitione illos afflare volens, non solum vulgari modo congressus est, verumetiam ad mensam vnà recumbit, panisque fractione exactius agnitus esse hic idem qui triduo mortuus fuerat, tandem disparuit, nullo eorum sensu id percipientes effecta hoc modo in eis firmiori resurrectione mortuorum. Præterea à Saluatoris in cœlum assumptione ac sanctissimi spiritus inde descẽsione, hic duodecim Apostolis associatus, & eadem gratia ac potestate repletus, gentium præceptor designatur, diuino modo docens dispensationis mysterium,
F & multos ad creatoris cognitionem ex errore manuducens ac baptismate consecrans. Siquidem currebat diuinus hic Lucas prædicationem vbique disseminans, & sermonum sagena plures ex profunda ignorãtia ad deum adducebat: afflictus pro euangelio, quum ad pessimos Græcos ad disseminandos sermones accederet. Multa aspera sustinebat in terra, in mari, in singulis ciuitatib⁹. Desertum dicebatur ei amicum solum, dummodo aliquos in eo inueniret quos deo adduceret ac trãsferret ad pietatem. Vbi autem & Paulus cœlestia conscendisset, vt intueretur veritatem & aperte eam prædicaret, ac abiectis erroris tenebris veritati adhæsisset & choro discipulorum annumeratus esset, Lucas ipsi socius itineris vbique constituitur ac peregrinationis comes, certamina pro pietate exoptans, & ob id se huiusmodi coniungens

gens militi,& vnà cũ eo vſque ad vincula afflictus quaſi maleficus,ſimulq; cognitionis radios ad fines terræ emittens:adeo ipſi conformis ac domeſticus, & per omnia gratus effectus,vt Paulus ſcribens fidelibus Lucam frequenter nominaret dilectum:qui à Ieroſolymis & circũadiacentibus locis Illyricum vſque vnà cum ipſo impleuit euangelium:& à Iudæa Romam vſque vnà cum eo vinctus,eiſdẽ laboribus, eiſdem afflictionibus,eiſdem communicauit naufragiis, volens omnino particeps declarari etiam coronarum propter hos labores recipiendarum. Ita ergo vbi variis modis in talento prædicationis ſimul cum Paulo negotiatus eſſet, atque tot gentes adduxiſſet ac irretiiſſet ad pietatem, totius diſpenſationis præceptoris & vere amator & amatus diſcipulus, ſacræ ſcriptor hiſtoriæ ſimul & euangeliſta oſtenditur, vt qui & prius aſſequutus eſſet, & ab his qui ab initio miniſtri fuerant hæc cognouiſſet,aut etiam ſuperne in ſacris edoctus eſſet. Siquidem hic euangeliſta myſterium retexuit Gabrielis paranymphi delatum ad virginem qui communem mundo gratiam annuntiauerat. Hic etiam Chriſti natiuitatem aperte exarauit,tanquam recens in pręſepi iacentem manifeſtãs, & faſcias ac paſtores,gaudiiq́ue pręcones angelos deſcribẽs. Hic ſententias ac doctrinas omnem mentem excedentes, veri ſimul ac honeſti amore manifeſtauit,rerum veritati ſermonum ingenuitatem commiſcens,vt & mentis ſimul ac linguæ virtutem ob oculos poneret. In parabolis quoque doctrinas ſalutares retexuit,in hoc etiam copioſior cæteris. Vtq́ue breuiter dicam,quemadmodum verbi deſcenſum in terram dilucide cognoſcendum dedit,ita & aſcenſum in cœlos, & reditum ad thronum paternum, ſicut quiſpiam è cœlo veniẽs, manifeſtauit. Hoc autem inter cætera gratiſſimum eſt quòd ipſum quoque typum aſſumptæ humanitatis Chriſti mei, ac ſignum eius quæ illum pepererat & aſſumptam humanitatem dederat, primus hic cera ac lineamentis tingens, vt ad hæc vſque tempora in imagine honorarentur, tradidit: tanquam non ſatis eſſe exiſtimans, niſi etiam per imaginem ac typum verſaretur cum his quos deſiderabat,quod feruentiſſimi amoris ſignum eſt. Neque id ſolum,ſed & fidelibus omnibus Chriſtiq; amatoribus hæc quę maxima erant gratioſe donauit. At in non his ſolis Lucas gratiam ſpiritus quæ

A B C Luc.1.2. Luc.24.

D in se erat coartauit, neque ad solum euangelium hic ministrantem habuit linguam, sed post finem miraculorum Christi, etiam Apostolorum exponit actiones, & primum diuinam Saluatoris in cœlum assumptionem: deinde super ipsos in igneis linguis spiritus descensum: dehinc ita Stephani lapidationem, Pauli conuersionem, nempe per Christum factam de cœlis vocationem, & transitum à litera ad spiritum: huius in singulis locis vincula, carceres, plagas, flagellationes, varias gentium insidias: quomodo à Ierosolymis Romam peruenerit, labores in mari, afflictiones, pericula, calamitates, naufragia: quorum non spectator tantum, sed & particeps fuerat: atq; ob id diligens est horum E enarrator. Sed Paulo quidem Romæ relicto rursum hic ad orientem discedit, totamque Libyam percurrens in Aegyptum peruenit: & quum superiorem Thebaida intra suam doctrinam recepisset, ac ad magistrum per euangelium adduxisset, inferiorem Thebaida † septem portarum ciuitaté accedit, in qua etiam pontifex ac pastor à spiritu præponitur. Statuis impurisque dæmonum delubris in terram deiectis (Id enim studio sibi erat, vt errorem totis (quòd aiũt) pedibus fugientem demonstraret) sacra templa contra solo deo erigit, eisque qui in profundis ignorantiæ tenebris tenebãtur, per euangelium ad dei cognitionem regeneratis, mites filios effici curat. Huiusmodi igitur fructibus magistro oblatis, impietate de medio sublata, erectis templis, altaribus stabilitis ac consecratis, & sub credentibus, presbyteris ac diaconis inter hos creatis, rectæque fidei præfinitione ipsis tradita: Et nunc quidem à veteris instrumenti scriptura adducens testimonia, nunc verò ab eo quod ipse contexuerat euangelio interpretans ipsis ea quæ de Christo erant: & ostẽdens vetus instrumentum omnino consonum esse nouo, vnumque & eundem esse deum qui & hoc & illud statuerat, plenus iam dierum effectus, redit in pace ad deum patris, puluere quidem pulueri relicto, anima verò in manibus eius qui dederat commendata: illuc transiens vbi regio est viuentium, vbi sonus festa celebrantium, vbi inhabitatio est omnium lætantium. Huiusmodi sunt certaminum Apostoli pro pietate narrationes: hic fuit ipsi finis laborũ pro Christo perpessorum, quorum etiã manipulos nunc metit in lætitia: ita vt possit

Act. 1. 2. 7. 9.

Act. 14. 16 18. 19. 21. 27. 28.

† Siquidẽ Thebæ Bœotiæ ἑπτάπυλοι dicebantur. i. septẽ portarum ad differ F tiã Thebarũ Aegyptiarũ quæ ἑκατόμπυλοι erãt. i. centum portarum.

ut possit & ipse cum Paulo dicere: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, propter quæ reposita est mihi corona iustitiæ. Veruntamen his nunc consequēs esse opinor mentionem facere, vnde & quomodo quibusue sanè temporibus sacræ huius reliquiæ ex Achaia, veluti diuinus quidam thesaurus reportatæ sint, & claræ ac regiæ ciuitati redditæ. Transibat quondā à Sirmio ad Istrum. * Cōstantius Constantini magni filius, sed fratrum tertius, atque ad hanc Istri ripam non longo tempore castrametatus, audiuit Barbaros qui vltra Istrum erant conflicturos cum Romanorum principatu: & ipse formidans ne quid mali in suo principatu facerent, confestim ad Thraciam, ac Byzātium equitauit. Quumque ad regionem Odrysiorum peruenisset, vbi Adrianus Romanorum Imperator extructa ciuitate, sui appellationem loco dedit, accedit ad eum quidam episcopus, veluti donum quoddam ipsi gratissimum deferens, Andreæ ac Lucæ Christi discipulorū corpora indicans in Achaia esse sepulta. Porrò ille & nūtio gauisus est, & Artemiū quo maximè vtebatur, & quem sciebat feruidum amatorem charitatis erga Christum (Attestatur viro diuinum huius amorē certamen ac periculum temporibus Iuliani propter Christū susceptum) Hunc ergo tanto feruore pro pietate spirantem amicum Artemium ad pretiosorum corporum reductionem confestim emittit. Etenim erat hic Constantius & in cæteris moderatus, & moribus mitis ac modestus, & magno admodum circa ecclesiarum ædificationem amore occupatus. Vnde etiam ad patris sui ciuitatem circa illius sepulchrum, veluti reddens patri honorem, templum ab ipsis fundamentis maximum ædificat, in quo etiam, vbi Artemius sacrorum Apostolorum reliquias ex Achaia retulisset, in ipso diuino altari sacra mensa reposuit: Andreæ quidem è ciuitate Patreorum, Lucæ autem ex Thebis Bœotiæ translatis corporibus. Ac breui tēpore intermedio etiam Timotheum, qui in choro discipulorum Christi velut perspicua quædam stella splēduerat, ex Epheso refert Ioniæ, ministro quoque rursum ad hoc vsus Artemio. Sed habuit & ipsum sacræ mensæ ambitus, veluti reddentem debitum quoddam pietatis suis auxiliatoribus. Verum Timotheus quidem huiusmodi habuit corporis reductionem. Porrò in diui Lucæ reductione tale editur


** Hieronymus aduersus Vigilātiū dicit Cōstātinū has reduxisse reliquias.*

A B C

D editur miraculum, sermone ac memoria dignum. Anatolius quidam eunuchus vnus eorum, qui tunc è regio erant cubiculo, misero corporis morbo detentus erat. Vbi ergo maiorem nouit esse morbum, quàm qui medicorũ posset arte cu-
Luc.18. rari: probè sciens ille quòd quę impossibilia sunt apud homines, deo possibilia sunt: omnibus aliis relictis ad Lucã Christi discipulum confugit, & hoc auxiliatore vtitur aduersus morbum. Vbi enim vrna quæ pretiosum continebat ipsius corpus, ad sacrum templum iam esset delatum, quod à fundamentis Constantius erexerat, accedens hic dictus Anatolius, simulque baiulans cum his qui illam portabant, confestim deprimente morbo absoluitur: & viuens ex mortuo tale adeptus beneficium, tota sua vita non intermisit gratias age-
E re Apostolo ac deo, qui per ipsum huiusmodi edebat miracula. Ita igitur primum ex Thebis relatum diuinissimi Lucæ corpus, honorificè admodum, ac magnificè vnà cum Andrea ac Timotheo in templo reponitur, quod à Constantio ædificatum erat: quum circa sacrarum reliquiarum repositionẽ fidei opera, ac feruidum Constantij desiderium plurimũ demonstrata sunt. Quanquam hic postea maligni laqueis aliquantulum captus (ô casum miserum, heu turbulentam subuersionem) Arianorum dogma ebibit. Multis autem postmodum tẽporibus, Iustinianus assumptis imperij sceptris, multo adhuc amplificentius circa hęc sacra Apostolorem corpora afficitur, & theca argentea hæc concludens, circa ipsum altare vehementi dei amore reponit, nempe pretiosa in pre-
F tioso conditorio. Et quidem sacri altaris mensam theca cõstituit: porrò communi Apostolorum nomine templum appellatur: ad quod sanè omnes qui cõueniunt fideles laudant hunc, tanquàm discipulum: celebrant, vt Euangelistam: beatificant, tanquàm eum qui in sacris sudoribus ac laboribus diuino Paulo semper fuit socius: & inde sanctificationem participantes, spirituali implentur gaudio: idque gratia ac benignitate domini nostri Iesu Christi, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

3.

schedà 278



BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
LAB. RESTAURO
ROMA



Digitized by Google